



IO. FRIDERICI CARTHEVSER

MED. DOCT. ET PROF. PVBL. ORD., ACADEMIAE REGIAE BORVSS. SODALIS ET ACAD. ELECTORALIS MOGVNTINAE SCIENT. VTIL. ASSESSORIS

FVNDAMENTA PATHOLOGIAE ET THERAPIAE

PRAELECTIONIBVS SVIS ACADEMICIS ACCOMMODATA.

TOMVS II.

MORBOS ABDOMINIS, ARTVVM, CVTANEOS ET VNIVERSALES CONTINENS.



FRANCOFVRTI AD VIADRVM,

APVD IOHANNEM CHRISTIANVM KLEYB.

MDCCLXII.



SERIES SECTIONVM ET CAPITVM PARTIS SECVNDAE.

Cap.

Cap.





SECTIO I.

DE MORBIS ABDOMINIS EXTERNI, VMBILICI, PERITONAEI ET CAVITATIS ABDOMINIS.



CAP. I.

DE ZONA SERPIGINOSA.

§. I.



ZONA SERPIGINOSA, *Cingulum serpiginosum*, *Zoster*, Ζωςὴρ, est pustularis inflammatio erysipelatodes, vel herpes pustuloso-inflammatorius, istam abdominis

minis partem, quæ vulgo cingi ſolet, ab umbilico ad vertebras usque, adeoque circum circa, palmae utplurimum latitudine, occupans. Germanice dicitur *der feurige Umlauff.*

§. II.

Singularis hic et rariſſime obvius affectus plerumque cum febrili quadam ſanguinis ebullitione accedit, et initio tam doloroſus eſt, ut patiens nec ſtare, nec incedere, nec ſedere, nec decumbere, nec ullam partis affectæ contrectationem perferre poſſit, deinde autem, quando tubercula, urticatis primum haud diſſimilia, in maiores minoresve puſtulas ſive veſiculas pellucidas, limpido liquore turgidas, mutantur, dolor ſenſim mitescit. Puſtulæ hæ poſt aliquot dierum decurſum ſponte, aliæ tamen poſt alias, rumpuntur, ac ſenſim, humore acri effuſo, cum cuticulæ ſeparatione exſiccantur; fieri nihilominus nonnunquam ſolet, ut liquor valde cauſticus carnem ſubiectam profundius erodat et paſſim vera ulcuſcula excitet: Nec ignorari quoque oportet, ſerpiginoſam hanc inflammationem eryſipelatodem ſubinde ab umbilico

umbilico per totam regionem hypogaſtricam ac femora ad genua usque deſcendere, et febrem graviorem aliaque pathemata comites adducere.

§. III.

Proxime hoc malum a *valde acrium humorum*, præprimis *lymphaticorum*, *ſtagnatione* ac *ſtaſi*, quibus apud ſubiecta cacochymica, teſte obſervatione, prægreſſa iracundia, uſus acidorum intemperantior, applicatio emplaſtrorum tenacium, et nimis arcta abdominis per cingula et thoraces conſtrictio præcipuam occaſionem largiuntur, dependere, certum eſt; quod capſulæ autem Gliſſonianæ et ligamentorum hepatis ſtrictura, uti nonnulli opinantur *a*), annularis atque determinati ambitus cauſſa exiſtat, nondum in clare luce poſitum eſſe, arbitror, quoniam, ſerpiginoſo - eryſipelacea hæc inflammatio interdum citra ullam prægreſſam iracundiam naſcitur, et apud lactentes tenellos infantes, qui valde acida exhalatione cutanea gaudent, ſolam quandoque emplaſtrorum adplicationem ſequitur.

a) V. *Excell.* IVNCKERI *Diſſ. de Zona Serpiginoſa.*

§. IV.

Morbus valde periculosus est, praesertim si latiorem ambitum nanciscatur, ac febre graviori stipatus accedat, aut pustulae colorem lividum obtineant, non semper tamen funestum eventum sortitur, si curatio eius rite instituatur. Eo autem haec ipsa redit, ut humores acres ac fervidi contemperentur, ac blandae postmodum transpirationis ope foras eliminentur. Indicationibus autem hisce, praeter plura alia *diluentia* ac *temperatiora diaphoretica*, potiunculae ex aqua flor. acaciae, scordii, melissae, foeniculi &c., lap. cancrorum, nitro, pulvere cort. cascarillae &c., nec minus infusa theiformia ex rad. scorzonerae, cichorii, taraxaci, saponariae, pimpinellae albae, herba veronicae, betonicae, teucrii veri, chamaedryos nob., scordii, melissae citr., thea orientali, flor. rorismarini, ligno sassafras, flavedine cort. citri, semine foeniculi &c. satisfaciunt, et saepe etiam *clysmata emollientia*, *laxantia rhabarbarino-mannata*, immo subinde apud adultos, eosque valde plethoricos et phlebotomiae adsuefactos, *venaesectio* conducunt. Externe initio sola tantum *sicca* ac *mollia velamenta*, vel

vel *ſacculi ſicci*, ſpeciebus balſamicis, ſæpius pridem in parte priori recenſitis, repleti, locum habent, deinde vero, ruptis nempe veſiculis, *demulcendi* ac *conſolidandi* fine, oleum ovorum myrrhatum recentius, aut mucilago ſem. pſyllii et cydoniorum, pauxillo ceruſſæ et mercurii dulcis maritata, illini, et, enatis quoque profundioribus ulcuſculis, conſueta *travmatica*, mel roſatum v. g., pulvere myrrhæ genuinæ et balſamo Peruviano remixtum, aliaque in uſum trahi poterunt.

✤ ✤ ✤ ✤ ✤ ✤ ✤ ✤ ✤ ✤ ✤ ✤ ✤ ✤ ✤ ✤ ✤

CAP. II.

DE LVMBAGINE RHEVMATICA.

§. I.

LVMBAGO RHEVMATICA, alias etiam *Nephritis ſpuria* nuncupata, dolor fixus atrociſſimus eſt in regione lumbari, nunc magis verſus renem et ipſos nonnunquam ureteres, ad veſicam usque, penetrans, nunc magis ad os ſacrum deſcendens, adeoque ſæpe ſæpius nephritidem veram, aut ſic dictum ſpasmum fixum Paracelſi mentiens.

§. II.

Maxima ſimilitudo, quæ hunc morbum et dolorem nephriticum verum ſpasmumque fixum Paracelſi ſive immanes oſſis ſacri cruciatus intercedit, circumſpectos etiam ac rationales medicos haud raro in practicos errores præcipitat, eosque eo deducit, ut lumbaginem pro nephritide vera *a*), vel etiam, ſi dolor ſcilicet ſeſe magis ad os ſacrum demittat, pro ſpasmo fixo Paracelſi habeant, adeoque curationem in ægrorum detrimentum ſiniſtre inſtituant, et veram inprimis nephritidem, quæ nondum aderat, frequenti diureticorum fortiorum uſu producant. Vnde clarum eſſe arbitror, quod multum omnino interſit, ut morbus hic, ſuſcepta adcurata ſedis et ſymptomatum contemplatione ac comparatione, debite ab adfectibus ſymbolizantibus diſcernatur.

§. III.

Dolor, qui eſſentiam huius morbi conſtituit, ac modo remiſſior tenſivus, preſſorius, gravativus, modo, præſertim ſub corporis motu,

a) Vid. SYDENHAMIVS *in Opuſculis ſuis Sect. V. cap. 5. p. m. 260.*

motu, inclinatione et erectione, acutiſſimus ſcindens, pungens, terebrans, lancinans eſt, valde, ſive genium ſive atrocitatem ſpectes, cum torminibus, quæ ſpasmo fixo Paracelſi et nephritide vera calculoſa laborantes perſentiunt, convenit, adeoque hoc loco parum vel nihil lucis fœneratur, ſed præcipua differentiæ criteria a ſede primaria et ſymptomatibus quibusdam, memoratarum affectionum cuique propriis, deſumenda erunt. Dolor nimirum *rheumatico-lumbaris* muſculos lumborum externos praecipue torquet, ibidemque etiam, licet paululum aliquando ad os ſacrum deſcendat, aut renes quoque, et veſicam, quoties internos ſcilicet muſculos lumbares ſimul occupavit, conſenſualiter infeſtet, ipſamque ideo diureſin ſubinde nonnihil turbet, fixam, quamdiu perdurat, ſedem retinet; *nephriticus* ex adverſo renem et ureterem proprie excruciat, ſitumque proinde profundiorem habet, et in externa lumborum regione ſolummodo leviorem quendam ardorem producit, magisque præterea ad pubis regionem et inteſtina extenditur, immo altius in abdominis cavitatem penetrat, et varia igitur pathemata, urinæ ſcilicet ſuppreſ-

 ſionem,

sionem, stuporem cruris eiusdem lateris, retractionem testiculi in maribus, acerbissimos coli dolores, refractariam alvi obstructionem et vomitum creberrimum, cuius plenaria in lumbagine absentia præcipuum certissimumque differentiæ signum præbet, provocat, et dolor denique, quem *spasmus fixus Paracelsi* infert, quique impetuosæ cruoris congestioni originem debet, et unice fluxus hæmorrhoidalis ac menstrui anomaliis succedit in externis saltim partibus musculosis, circa os sacrum et coccygis, adeoque in infima spinæ dorsalis regione sævitiem suam maxime exercet, et rarius, si diuturnior sit ac magis magisque ingravescat, ad regionem lumbarem adscendit, sed frequentius sese versus utrumque aut alterutrum os ischium, ad femur usque, diffundit, easque partes, nisi vehementi semper dolore, rigore tamen aut extraordinario stupore, afficit, et valde inprimis, quod notabile rursus signum diagnosticum est, post incalescentiam in lectis plumaceis exacerbatur *a*).

§. IV.

a) Conf. CHRIST. SAM. GEBAVERI *Diss. de Spasmo fixo Paracelsi p. 18.*

§. IV.

GEORGIVS BAGLIVVS ad pathognomonica ac plane infallibilia lumbaginis ſigna etiam ſingularem quendam dolorem refert, qui ſub corporis inclinati erectione oritur, et lumbos totumque corpus inferius ſecundum patientis expreſſionem per medium quaſi ſcindere videtur: „Dolorem lum„borum rheumaticum, *inquit a)*, a nephriti„co per hoc certiſſimum ſignum diſtinguere „poteris: Pete ab ægro, an, dum in terram „incurvatur, et inde erigitur, cum difficulta„te erigatur, adeo ut per medium quaſi ſcin„di videatur; ſi hæc adſunt, pro certo habe„to, dolorem illum non eſſe nephriticum, ſed „rheumaticum, productum ſcilicet ab acribus „et muriaticis ſalibus, per ſeroſum humorem „illinc depoſitis &c. Verum enim vero, mea non minus, quam aliorum experientia edoctus, reticere nequeo, ſignum hoc, etiamſi ordinario in lumbagine adſit, haudquaquam infallibile eſſe, ſed iſtud in graviori pariter nephritide calculoſa et exacerbato ſpasmo fixo Paracelſi obſervari, et ambulandi igitur impotentiam, ſpinæ dorſalis inflexibilitatem

a) *In Operibus p. m. 116.*

ſive rigiditatem, ac memoratum dolorem tenſivo - vibrativum acutiſſimum, corporis incurvati erectioni ſupervenientem, minime ſpecificis rheumaticæ lumbaginis, ſed communibus potius huius, nephritidis calculoſæ, et ſpasmi fixi Paracelſi ſymptomatibus accenſenda eſſe.

§. V.

Simile prorſus iudicium etiam de plerisque reliquis ſymptomatibus, de animo videlicet deiecto, rerumque leviſſimarum impatientiſſimo, inquietudine corporis maxima, ſomno turbulento, adpetitus imminutione aut proſtratione, intercurrentibus horripilationibus, iisdemque utplurimum ſuccedente ſanguinis ebullitione, febrili humorum commotioni valde analoga, &c. ferre nullus dubito, et alvi tantum et urinæ excretiones, quæ deſideratæ differentiæ cognoſcendæ aliquid ſubinde lucis adfundunt, quodammodo excipiendas duco. Nam ſola lumbagine rheumatica præſente, alvi quidem ſegnities adeſt, et urina quoque interdum parcius, aut ſaltim difficilius cum moleſta ſtranguria fluit, nunquam vero perfecta harum excretionum ſuppreſſio

ſuppreſſio notatur; ſæviente autem nephritide calculoſa, alvus plerumque pertinaciſſime obſtruitur, et lotii excretio vel plene planeque ſufflaminatur, vel iſtud exigua admodum quantitate ac ſaltem guttatim cum magno dolore et anxietate emittitur, et ſub fixi tandem ſpasmi Paracelſi tormentis diureſis non magis quidem, quam in lumbagine graviori, impedita reperitur, alvus tamen refractariam obſtructionem patitur, cui ſæpius ſeſe pruritus in ano atque teneſmus moleſtiſſimus aſſociant.

§. VI.

Circa determinandam cauſſam materialem, quæ ſub largiori decubitu ſuo et refractaria inhæſione, pungendo, morſicando, aliove modo fibras nerveas irritando, impetuoſas ac ſumme dolorificas conſtrictiones ſpasmodicas in muſculis lumbaribus excitat, ſcriptores medici in partes abeunt, aliique hunc et quoscunque alios dolores partium rheumaticos unice ab *acerrimo humore ſeroſo-lymphatico* derivant a), alii ex adverſo, iique paucio-

a) Conf BAGLIVVS *l. c.* et IO. ALLEN *in Synopſi univerſæ med. pract. cap.* 9. *art.* 56.

pauciores, cum SYDENHAMIO a) *sanguinem inflammantem, tenacissimaque pituita mirifice refertum*, primario adcusant. Quod me attinet, nec horum, nec illorum sententiæ simpliciter subscribere possum, sed utramque potius, diversis tamen temporibus et in diversis subiectis, admittendam esse, censeo. Nam licet certo quidem certius sit, quod humor seroso-lymphaticus, recrementis salinis muriaticis aut salino-tartareis, scorbuticæ aut arthriticæ prosapiæ, largissime remixtus, frequentissima huius doloris causa existat, nec ullum tunc in parte affecta tumoris aut ruboris vestigium cernatur, quorundam nihilominus observatione comprobatum est, subinde, quanquam paullo rarius, in parte dolente levem quendam tumorem ac ruborem

a) „Cum utraque hæc morbi species, *sic l. c. de „rheumatismo et lumbagine loquitur*, ab inflamma„tione videatur oriri, quod tum iam dicta ar„guunt phænomena, tum præsertim sanguinis „venæsectione educti color, utpote qui Pleuri„ticorum sanguini tam est similis, quam ovum „ovo, neque quisquam reperiatur, qui hos in„flammatione laborare, vel quidem dubita„verit &c.

borem inflammatorium obſervari, et ægros inſuper, poſt debilem citoque transeuntem horripilationem, tam frequentes ac vehementes experiri ſanguinis univerſi commotiones, ut veram febrim dolori complicatam eſſe credant a).

§. VII.

Circa prognoſin pleraque lumbagini adplicari poſſunt, quæ generatim in hac parte de rheumatismo valent; quare paucis ſaltim hoc loco indicaſſe ſufficiat, dolorem hunc, licet interdum atrociſſimus ſit, et ſatis diu muſculis lumbaribus inhæreat, vitæ periculo vacare, nec ominoſa unquam pathemata metuenda eſſe, niſi materia refractarie hactenus ſubſiſtens rurſus ad motum retrogradum redeat, et, magis ad interiora corporis translata, inteſtina, pulmones, cerebrum &c. occupet. In iunioribus, maiori adhuc partium robore pollentibus, facilius tollitur, in ætate provectoribus autem, dudum ad ſenectam

a) De cauſis huius morbi procatarcticis cæterisque ſcitu neceſſariis ætiologiæ momentis plura in ſequentibus, *Cap. de Rheumatismo*, videnda ſunt.

ctam inclinantibus, ac valde pridem debilitatis, radicalem curationem, praesertim si per moras diuturniores ac saepius iteratam invasionem iam valde invaluerit, rarissime vel nunquam admittit, sed identidem, sub tempestatum mutatione, aut commisso levissimo errore diaetetico, recurrens, patientes per totum reliquum vitae decursum mirifice vexat. Solvitur plerumque blanda diaphoresi, aut forti aliquando sudore, vel copioso ac critico impuritatum tartareo-salino-mucidarum cum urina secessu, vel macularum quoque, pustularum, aliarumque efflorescentiarum purpuratarum eruptione, immo, si calidioris sanguineae indolis sit, haemorrhagia narium apud subiecta iuniora, et fluxus haemorrhoidalis, apud seniora superveniens, eundem haud raro perfecte tollunt, vel valde tamen mitigant.

§. VIII.

Curando huic morbo singula interna, quae *resolvendi*, *diluendi*, *temperandi*, *depurandi*, ac *roborandi* fine in reliquis adfectibus rheumaticis proficua reperiuntur, inserviunt; quare

quare ſpecialius illa hoc loco allegare nolo, ſed completam eorum recenſionem ad caput de *Rheumatiſmo* reſervabo: Quod topica externa vero attinet, illa modo *paregorica*, modo *diſcutientia* eſſe debent. Præſente enim ſtatu calidiori bilioſo-ſanguineo, cataplasma ex pane triticeo, in lacte ad pultis conſiſtentiam cocto, additoque poſtmodum tantillo croci, dolorem egregie mitigat; in ſtatu frigido ſive ſeroſo-lymphatico contra ſacculi ex ſpeciebus balſamicis, baccis iuniperi v. g., ſem. nigellæ Rom., croco orientali, herba menthæ, maioranæ, rorismarini, flor. chamomillæ vulgaris et Romanæ, avena toſta &c., ſeſe magis commendant, immo in hoc caſu ſubinde potentiora ſpirituoſa, ſpiritus videlicet cornu cervi, lumbricorum terreſtrium, formicarum, ſpiritus vini crocatus et camphoratus, aqua Anhaltina, cephalica imp., eſſentia caſtorei, &c., neceſſaria et utilia inveniuntur: Vt nihil de vivis lumbricis terreſtribus dicam, quorum adplicatio, ſi tamdiu ſcilicet duret, donec lumbrici moriantur, magnopere a quibusdam commendatur.

CAP.



CAP. III.

DE
HERNIA VMBILICALI, VENTRALI, CRVRALI, ET INGVINALI.

§. I.

Hernia vmbilicalis, græce *Omphalocele*, ʼΟμφαλοκήλη (ab ὀμφαλὸς, *umbilicus*, et κήλη, *tumor*), itemque, præsertim levior, *Exomphalos* et *Exomphalon* (ab ἔξ, *ex*, et ὀμφαλὸς, *umbilicus*) dicta, ex subrotundo, eoque maiori aut minori, umbilici tumore, vel interdum ex tumida saltim eiusdem elongatione et indecora prominentia facile cognoscitur, ac vulgo in *veram* et *spuriam* dividitur. Veræ appellationem accipit, quando, propter *annuli tendinei umbilicalis relaxationem* aut *distensionem*, pars omenti, vel intestini, vel utriusque, per nimis dilatatum foramen violentius protrusa, tumorem umbilici efficit; spuria ex adverso audit, quoties aqua aut flatus tumoris præternaturalis causa existit: Hinc prioris species nunc *Epiploomphalos*, nunc *Enteromphalos*, nunc *Enteroepi-*

Enteroepiploomphalos, posterioris vero vel *Hydromphalum*, vel *Pnevmatomphalum* vocantur.

§. II.

Si prolapsum intestinum, stercore vacuum, tumorem producit, iste nec durus, nec mollis est, et spiritu retento crescit, sub decubitu supino autem vel sponte desidit, vel digitis pressus sonitum quendam edit, et cum murmure aliquo retro compellitur: Vbi vero omentum excidit, maior tumori mollities est, nec ullus eiusdem strepitus sub pressione percipitur *a*). Aqua denique aut saltim flatu ingresso, tumor, homine resupinato, sponte utplurimum subsidet, et sub quocunque etiam alio corporis situ facile, si digito premitur, cedit, ast protinus quoque, pressione cessante, resurgit. Notari cæteroquin oportet, posteriores hasce tumoris umbilicalis species rarissime solas nasci, sed veris herniis plerumque iunctas reperiri, immo pnevmatomphalum ex mente quorundam nunquam absque herniæ veræ consortio accidere.

a) Conf. PLATNERI *instit. chirurg.* §. 801. p. 508.

§. III.

Hernia umbilicalis, ſi cauſa adæquata accedat, apud cuiuscunque ætatis, ſexus, et temperamenti homines generari quidem poteſt, ob naturalem nihilominus prædicti annuli tendinei teneritudinem, aut prægreſſam eminentem relaxationem, apud tenellos infantes, præſertim ſi umbilicus poſt reſectionem non recte curatus, nec faſcia ſatis adſtrictus fuit, ut et apud pueros atque puellas crebro eiulantes, apud hydropicos itemque, apud valde obeſos et foeminas gravidas, frequentius paullo atque facilius, quam apud ſubiecta ſicca ac macilenta, naſcitur, et pro diverſa etiam corporis, umbilicum intrantis ac diſtendentis, conditione modo maius, modo minus periculum adducit. Nam ſi inteſtinum prolabitur, et ſimul cum eo ſtercus induratum in tumorem exit, facile ſic dicta *Hernia incarcerata* oritur, cui poſtmodum, ſi tempeſtiva partis prolapſæ repoſitio negligatur, aut propter ſtercoris duritiem et inteſtini intruſi magnitudinem cito fieri nequeat, dolor vehemens, durities, inflammatio, vomitus creberrimus, febris, quin ominoſa haud raro gangræna, in ſphacelum funeſtum degenerans,

nerans, superveniunt. Eadem metuenda sunt, quoties intestinum et omentum coniunctim tumorem refractarium efficiunt, nec leve etiam hoc malum aestimandum erit, quando omentum elapsum, omissa tempestiva repositione ac debita ligatura per fasciam, cum annulo tendineo, vel etiam cum simul exeunte intestino adeo glutinatur, ut sine scalpelli ope partes cohaerentes diduci iterum ac retro compelli nequeant *a*).

§. IV.

Ab hactenus expositis umbilici tumoribus SARCOMPHALOS, *Sarcomphalum*, (a *σάρξ*, *caro*, et *ὀμφαλὸς*, *umbilicus*), causae proximae intuitu, valde differt. Nullam enim annuli tendinei relaxationem aut distensionem, nec ullius quoque partis interioris prolapsum supponit, sed a *sola carne*, nunc molliori, nunc duriori, oritur, quae umbilico, facta inprimis post partum laxiori eiusdem vinctura, praeternaturaliter innascitur; hinc nullum quoque, nisi forsan (quod rarius tamen evenit) caro luxurians carcinomatis naturam induat, dolorem, multo minus vo-

B 2 mitum

a) Conf. PLATNER *L. c. §. 803. 804.*

mitum cæteraque herniæ veræ ſymptomata habet, et tumor præterea nunquam ſub patientis decubitu ſupino ſponte deſidit, nec prementi etiam digito cedit, ſed formam eandem ac magnitudinem retinet.

§. V.

HERNIA VENTRALIS in diverſis abdominis locis naſci poteſt, et diverſam pariter cauſſam proximam agnoſcit. Oritur nimirum 1), quando fibræ muſculorum transverſalium in aliquo loco a ſe invicem diducuntur, adeoque ſolum peritonæum inteſtinis atque viſceribus valide reprimendis impar evadit, 2) quando peritonæum ſub ingenti corporis nixu, aut illato ictu vehementi rumpitur, et 3) denique, quando muſculi abdominis ſub vulneratione ad peritonæum usque, vel hi et ipſum peritonæum perforantur, nec vulnus poſtea perfecte ac debite ſanatur, ſed, muſculis incumbentibus conſolidatis, minus confirmata cicatrix, vel hiatus quidam, vel magna tamen imbecillitas in ſubiecto peritonæo remanet.

§. VI.

Propter minorem plerumque tumoris magnitudinem ac formæ externæ ſimilitudinem, et adhuc magis propter ortum ac ſedem in abdomine variantem, hæc hernia interdum ab incautis chirurgis cum abſceſſu confunditur, et inſontes igitur ægri pœnam ignorantiæ aut incuriæ chirurgi nonnunquam luere coguntur: Pœnam, dico, ignorantiæ aut incuriæ chirurgi; neceſſaria enim differentiæ criteria minime deſunt. Siquidem tumores iſti, qui, ex ſtaſi humorum nati, tandem in abſceſſum abeunt, initio ſtatim inflammatorii ſunt, et ordinario dolorem mitiorem absque vomitu habent, tumores herniosi ex adverſo non tantum initio, ſed deinde etiam, niſi, cura omiſſa, aut negligentius atque ſiniſtre inſtituta, diuturnior partis protruſæ incarceratio contingat, inflammatione carent, et longe facilius quoque, ſi digitis premuntur, cedunt, quin penitus haud raro, omento et inteſtinis diſtendentibus ad interiora compulſis, apud ægrum reſupinatum ſubſident. Quibus accedit, quod tumor hernioſus ſubito utplurimum oriatur, et

 initio

initio longe vehementiorem dolorem, cui ſæpe vomitus crebrior iungitur, ſuſcitet.

§. VII.

HERNIA CRVRALIS ſive *Femoralis*, græce Μηροκήλη (a *μηρὸς*, *crus*, *coxa* et *κήλη tumor*) nuncupata, ſedem in abdomine, omphalocele multo inferiorem, obtinet, et prope os ileum in eo lateris dextri aut ſiniſtri loco naſcitur, ubi *arteria* et *vena cruralis*, ante egreſſum *iliacæ* dictæ, per *foramen quoddam ſubrotundum*, annulo tendineo cinctum, et extrinſecus valido *ligamento* FALLOPII ſive POUPARTII tectum, *proceſſum cruralem* ingrediuntur. Facta enim tendinei huius ligamenti, ut et annuli ſubiecti relaxatione præternaturali, aut, quod crebrius accidit, violenta diſtenſione, inteſtina et omentum, ob imminutam dictarum partium reſiſtentiam, debite amplius in ſede ſua contineri nequeunt, ſed pars eorum facile per foramen memoratum in auguſtum proceſſum peritonæi cruralem deſcendit, eumque valde diſtendendo et ampliando, variæ magnitudinis tumorem, quem, æque ac reliquas hernias veras, dolor vehemens in loco prolapſus,

lapſus, tormina ventris, colicis ſimilia, vomitus creberrimus aut vomendi conatus, alvi obſtructio &c. comitantur, producit. Facilius hæc hernia apud ſubiecta ſequioris, quam nobilioris ſexus, præſertim ſeneſcentia et ſenilia, oritur, et partis elapſæ repoſitio, ob maiorem plerumque ſub ligamento FALLOPII incarcerationem, utplurimum difficillime ſuccedit; unde etiam fit, ut hernia hæc patienti haud raro mortem inferat.

§. VIII.

HERNIA INGVINALIS ſive *Bubonocele* (a *βȣβὼν*, *inguen*, et *κήλη*, *tumor*) inferiorem rurſus ſitum, quam merocele, habet, et æque ac herniæ præcedentes, apud utriusque ſexus homines, frequentius tamen apud viros, quam fœminas, generari ſolet, quando annulus tendineus, *foramen ovale muſculi oblique deſcendentis*, ſeu *orificium proceſſus ſpermatici* cingens, nimio humorum affluxu, aut nimia apud obeſos pinguedine præternaturaliter relaxatur, vel interna quadam aut externa violentia, maxime autem ſub ponderum ſublatione et vehementiori atque incongruo corporis nixu, valde diſtenditur,

ſtenditur, et epiploon poſtea atque inteſtina per proceſſum memoratum (qui apud viros *vaſa ſpermatica*, apud foeminas *ligamentum uteri rotundum* transmittit) ad inguina usque devolvuntur, ibidemque maiorem minoremve tumorem excitant.

§. IX.

Probe hæc hernia a merocele et bubone, cum quibus ſæpe confunditur, diſtingui debet, et chirurgum itaque ad ſequentia discriminis ſigna reſpicere oportet. Bubonocele nimirum in paullo inferiori inguinis loco eſt, et tumor pudendis propior reperitur, merocele ex adverſo ſedem inguine paullo ſuperiorem habet, et aliquantulum ſuper femur prominet. Bubo per plura ſigna ab hernia inguinali diſcernitur: Nam prior nonſolum a pudendis paullo remotior eſt, ſed digitis quoque preſſus, ob maiorem duritiem, difficilius, quam tumor herniofus, cedit, nec ſedem ſuam ſub preſſione mutat, tumor herniofus vero, præſertim ſolo tantum omento intruſo, mollior eſt, et, inflammatione abſente, ac brevi præmiſſa topicorum emollientium adplicatione, vel etiam citra eandem, preſſione

pressione retro ad abdominis cavitatem compelli potest. Tumor herniosus praeterea subito utplurimum sub abdominis compressione, constrictione, percussione, ponderum sublatione, aliove corporis nixu vahementi aut incongruo, sub vomitu, tussi &c. nascitur, et, partis devolutae incarceratione facta, aut inflammatione oborta, ingenti dolore, vomitu crebriori, ac pertinaci alvi obstructione, nullis unquam purgantibus solvenda, stipatur; bubo autem, absque praegressa caussa externa violenta, a subsistentibus in glandula inguinali humoribus impuris venereis aliisque oritur, ac sensim increscit, nec ullum vomitum, nec alvi suppressionem, nec tantum quoque dolorem, etiamsi inflammatio superveniat, provocat. Nec silentio denique praetermittendum erit, in bubone, si patiens tussim spontaneam moveat, digito imposito, motum fere nullum, in hernia vero satis notabilem percipi.

§. X.

De caussis procatarcticis, quae hanc et praecedentes hernias abdominis veras producunt, multo hoc loco subiungere superva-

caneum duco, quoniam earum praecipuae atque ſolenniores in *prima* dudum *Parte a)* et paſſim quoque ſub proxime praecedente tractatione recenſitae fuerunt. Quod prognoſin vero attinet, circa illam adhuc generatim monendum erit, hernias haſce, ſi rite tractentur, apud infantes, pueros et adoleſcentes perfecte rurſus et interdum ſatis facile perſanari poſſe, apud viros autem rariſſime et apud ſenes denique ac ſenio propiores nunquam perfectam medelam admittere, ſed eo tantum apud poſteriora haec ſubiecta proſpiciendum eſſe, ut poſt felicem partis elapſae repoſitionem, nova proruptio, congruae atque ſufficientis vincturae ope, praecaveatur.

§. XI.

Curatio herniarum interdum tribus, interdum duabus ſaltim indicationibus nititur. Si tumor enim mollis penitusque ab inflammatione immunis eſt, mox partis elapſae *repoſitio methodica*, a chirurgiae doctoribus deſcripta, mediante leni preſſione cum digitis aut molli ſpongia ſuſcipitur, ac nova eruptio apto *perizomate* ſive *ammate* prohibetur: Sin tumor

a) *Sect. I. cap. 10. §. 12.*

tumor vero una cum partibus elapsis, propter nimiam refrigerationem, aut stercoris indurati inhaesionem, aut inflammationem, aut incarcerationem diuturniorem, iam valde induruerit, debite prius iniecto clystere et foris imposito cataplasmate calido ex rad. altheae, herba ac foliis malvae, floribus chamomillae vulgaris, sambuci, meliloti, caricis &c., cum lacte coctis, emolliendus, et pars prolapsa deinde demum reponenda est. Quo eo citius quoque ac certius apud subiecta iuniora partibus laxatis aut distentis robur pristinum restituatur, ante perizomatis adplicationem locus, ubi partes solidae abdominis laxatae, distentae aut plane disruptae sunt, unguento quodam adstringente atque travmatico, v. g. unguento Comitissae, balsamo Tolutano et pulvere terrae Iaponicae remixto &c. inungi, vel emplastrum stypticum, v. g. empl. ad hernias Off. &c., imponi debet. Circa emplastrum tamen notandum erit, adplicationem eius non semper necessariam esse, nec quaevis etiam subiecta istud, ob molestum pruritum, quem sub paullo diuturniori adhaesione sua excitat, perferre posse.

§. XII.

§. XII.

Laudatis confortantibus externis etiam interna quaedam *roborantia*, supra *a*) dudum quoad partem commendata, mixturae nimirum ex tinctura martis pomata aut cydoniata, tinctura travmatica WEDELII, eff. terrae Iaponicae, balsami Peruviani &c., electuaria ex syrupo cydoniorum, cinnamomi, myrtino composito, extracto millefolii, croco martis sulphurato aut aperitivo STAHLII, pulvere sanguinis draconis, corticis Peruviani, rad. tormentillae, granorum chermes &c., nec minus vinum Gallicum rubrum, *Pountac* dictum, spiritu salis acido nonnihil impraegnatum a), iungi possunt, nec utilitate pariter leniora *laxantia* rhabarbarina et *diaphoretica* carent, quoties nimius humoris serosi adfluxus antea memoratis annulis processuum peritonaei tendineis, caeterisque loci affecti partibus praeternaturalem laxitatem inducit. Cavendum tamen, ne laxantia statim post partis elapsae repositionem, aut hernia reposita vincturis nondum satis munita, aut pertinaci alvi obstructione spasmodica praesente, exhibeantur,

a) *Tom. I. Sect. I. cap. 10. §. 12.*

b) Vid. PETRI DIONIS *Chirurgia.*

beantur, ac novæ inteſtini, aut omenti, aut utriusque eruptioni anſam præbeant.

§. XIII.

Si nonnunquam, propter annuli tendinei et inteſtini atque omenti glutinationem arctiorem, aut propter ſtercoris inhærentis copiam atque duritiem, aut tumoris vaſtitatem, aut inflammationem, tanta partium elapſarum incarceratio accidit iſtæ, ut, præmiſſa etiam emollientium adplicatione, ſola operatione manuali, ſub optimo licet et maxime congruo patientis decubitu, ad abdominis cavitatem reduci nequeant, ad *ſcalpelli operam aliaque chirurgiæ inſtrumentalis auxilia*, a ſæpe laudato PLATNERO *a*) pluribusque chirurgiæ doctoribus uberius atque diſtincte deſcripta, confugiendum erit. Tempeſtive tamen hæc omnia fieri debent, ne gangræna, ſumma imbecillitas, ſudores frigidi, nervorum diſtentio, ſingultus &c. ſuperveniant, et operationis adminiſtrationem plane interdicant.

§. XIV.

Ad curandum Sarcomphalum et Hydromphalum, quorum in antecedentibus aliqua

a) In *Inſtit. chirurg. rat.* §. 815. 816. 835. *ſqu.*

qua pariter mentio facta fuit, medicamenta pharmaceutica directe nihil valent, sed præcipuum auxilium a sola chirurgia instrumentali *a*) exspectandum est. Circa posteriorem cæteroquin affectum haud ignorari oportet, facile istum post operationem revertere, nec unquam penitus, si hydropis symptoma constituat, persanari, nisi morbus primarius tollatur.



CAP. IV.

DE HYDROPE ABDOMINIS VERO.

§. I.

Triplex in Praxi HYDROPS ABDOMINIS VERUS seu *proprie talis*, nimirum *Hydrops ascites* sive *utricularis*, *Hydrops peritonæi*, et *Hydrops abdominis externi anasarcoideus* occurrit. Hydrops ascites (ab ἀσκὸς, *uter*) universalem sensimque increscentem abdominis tumorem, ab humore seroso-

a) Vid. PLATNER *L. c. §. 815. sequ. it. §. 823. 835. sequ.*

roſo - lymphatico, in imi ventris cavitate collecto, prognatum, denotat, ac rurſus in *Aſcitem vulgarem*, *ſaccatum*, et *veſicularem* ſive *veſicalem* dividitur.

§. II.

Aſcites vulgaris oritur, quando vaſcula quædam lymphatica, propter *viſcerum aliarumque imi ventris partium*, hepatis v. g., ac venæ portarum, pancreatis, lienis, aut vaſorum ac glandularum meſenterii, *obſtructionem refractariam*, adeoque ob *valde hinc inde ſufflaminatum ſanguinis ac lymphæ circuitum*, rumpuntur, et *humor ſeroſo - lymphaticus* a) iugiter affluens, immo, *obſtructis* interdum *ruptisve vaſis lacteis*, ipſe *chylus* b) in cavitatem

a) b) Aqua, in aſcite recentiori mediante paracentheſi educta, ſero ac lymphæ naturali haud diſſimilis reperitur, prunisque cum cochleari admota, albuminis ovorum inſtar, coagulum ſubit. Notatu quoque dignum eſt, eandem, teſtantibus obſervationibus, ſubinde colorem albidum et ſaporem ſubdulcem obtinuiſſe; manifeſto documento, chylum pariter ex obſtructis ruptisque venis lacteis nonnunquam in abdominis cavitatem effundi, et maſſam igitur ſanguinis

tem abdominis inter peritonæum et viſcera effunditur, vel ſubinde etiam ſi *viſcerum ſudor*, propter eandem obſtructionem, a venis bibulis reſorberi, et denuo ad humores circulantes redire nequit, ſed in maſſam aqueam coire cogitur. Silentio præterea hoc loco minime prætermittendum cenſeo, interdum præternaturalem hanc aquei humoris in ventre collectionem ſub *pertinaci* tantum *iſchuria*, citra ullam vaſculorum rupturam et citra ulla pariter meſenterii cæterorumque viſcerum vitia, contingere, adeoque in tali caſu cauſſam proximam unice ad *ſublatam exhalationis* et *inhalationis proportionem* redire. Suppreſſa enim lotii excretione, poſteaque ipſa etiam ſecretione cohibita, vaſa ſero excrementitio nimium replen-

eo magis temperante liquido totumque corpus nutrimento privari. Non adeo diu cæteroquin extravaſati hi liquores priſtinam temperiem, priſtinumque colorem retinent, ſed ſub mora diuturniori in abdominis cavo viſcidiores, valde acres, purulenti, putridi ac fœtidiſſimi redduntur, et ſenſim, ſicuti ſectio poſt mortem et paracentheſis apud vivos inſtituta abunde docuerunt, colorem citrinum, aut virideſcentem, ſubrubrum, rubello-nigricantem &c. induunt.

replentur, et tubuli exhalantes ob iuſto largiorem affluxum magnopere diſtenduntur, adeoque plus, quam venæ bibulæ reſorbere poſſunt, emittunt. Probabile quoque eſt, *obſtructionem pororum veſicæ urinariæ*, qui partem ſudoris viſcerum in veſicam transmittere creduntur *a*), haud raro prædictæ collectionis cauſſam exiſtere, vel plus tamen minusve ad augendam humoris extravaſati molem conferre.

§. III.

Obſtructio viſcerum memorata modo *ſanguinis ac lymphæ ſpiſſitudinem ſolidarum*-

a) Sententia hæc maxima omnino veriſimilitudine gaudet. Nam quotidiana conſtat experientia, lotium poſt copioſam potulentorum, præſertim tepidorum, adſumtionem pallidum, tandemque fere aquoſum, excerni, et deinde etiam experimentis ſatis confirmatum eſt, veſicam urinariam poris, liquida aquoſa ab extra in cavitatem eius penetrare permittentibus, inde autem redire prohibentibus, inſtructam eſſe, immo aquam, ad aliquot uncias abdominis cavitati, apud canes provide apertæ, infuſam, elapſis aliquot horis, per urethram denuo reddi, etiamſi

que partium atoniam eminentem, modo *tumores nodosque indissolubiles scirrhosos*, modo, quanquam paullo rarius, *spasmos insolentiores*, eosque diuturnos aut crebro revertentes, vel *clandestinas* tamen *constrictiones ac coarctationes vasorum* proximas rursum caussas agnoscit; hinc prae reliquis etiam prava alimentorum in ventriculo digestio et vitiosa chylificatio, eius copiosior atque frequentior ciborum viscidorum atque irresolubilium, usus intemperantior potulentorum spirituosorum, praesertim vini adusti, ingurgitatio aquae frigidae post corporis incalescentiam aut iracundiam, moeror diuturnus, constitutio aeris humida simulque frigida, sudoris, fluxus menstrui, lochialis et haemorrhoidalis suppressio, abusus purgantium drasticorum, intempestivus stypticorum martialium usus in passione hypochondriaca, febres intermittentes, fluor albus et critica alvi profluvia, adstringentium usu praemature cohibita, icterus chronicus, colica gravior, rebellis passio hysterica, nephritis calculosa, exulceratio renum, haemorrhagiae

ambo ureteres filo ceraceo ligati fuerint. Conf D. D. KRATZENSTEIN *Diss. de Diabete p. 12.*

rhagiæ immodicæ, adſumta toxica ſaturnina aliaque conſtrictoria, retropulſa impuritas ſcabioſa aut arthritica et dyſcraſia humorum ſcorbutica huius morbi geneſi et incremento famulantur: Immo, fieri nonnunquam ſolet, ut plagæ, abdomini ruditer illatæ, aut graves eiusdem contuſiones ac concuſſiones, nec minus exhibita venena cauſtica, citra prægreſſam aut complicatam viſcerum &c. obſtructionem, rupturæ vaſculorum lymphaticorum, aut eroſionis, eamque excipientis exundationis præternaturalis, auctores exiſtant.

§. IV.

Intumeſcentia abdominis hydropica primordia ſua utplurimum quidem in pedibus habet, et tumor oedematoſus, qui foveas, digito impreſſas, aliquamdiu retinet, et noctu in lecto calido et ſub corporis decubitu paullulum ordinario decreſcere, interdiu autem ſub ſitu erecto ac motu corporis rurſus increſcere ſolet, inde per crura ac femora ad membra genitalia ac ventrem, nunc celeriori, nunc tardiori progreſſu, adſurgit, ſubinde nihilominus accidit, ut iſta, propter congruas et adæquatas cauſas procatarcticas, inter proxi-

 me

me præcedentes paſſim recenſitas, primum et interdum ſubito in ipſo abdomine naſcatur, et poſtea demum ad genitalia artusque inferiores deſcendat. Initio, præſente videlicet minori aquæ extravaſatæ copia, tumor abdominis ordinario œdematoſus, aut tamen mollior et ſub ægri decubitu ſupino latior atque depreſſior eſt, et aqua ſub motu et alternante inprimis corporis converſione ad latera, nec minus ſub blanda abdominis percuſſione cum ſtrepitu fluctuat *a*), creſcente vero et adeo aucta humoris extravaſati mole, ut abdominis parietes anteriores ac laterales valide ubivis atque æqualiter diſtendat, durus evadit, digitoque prementi fortiter renititur, et formam perfecte arcuatam, qua ſeſe ab intumeſcentia ventris apud gravidas, quæ circa umbilicum elatior eſt, ac quaſi acuminata, in regionibus iliacis contra depreſſior, admodum diſtinguit, nanciſcitur, nec ulla amplius aut ſaltim leviſſima aquæ fluctuatio ſub abdominis con-

a) Optime hæc fluctuatio percipitur, quando manus dextro aut ſiniſtro abdominis lateri, aut umbilico validius apprimitur, et deinde altera manu latus oppoſitum aut in caſu poſteriori pars abdominis infima modice percutitur.

concuſſione percipitur. Nunquam hic tumor, ſolo ſcilicet aſcite præſente, ultra ſcrobiculum cordis et trunci inferioris limites ad pectus, collum, faciem, brachia et manus extenditur, ſed partes memoratæ paullatim potius contabeſcunt: Sin aſciti autem, ſicuti haud raro evenire conſuevit, hydrops univerſalis intercutaneus accedat, partes quoque ſuperiores indiſcriminatim tumidæ redduntur.

§. V.

Deſcripto moleſtiſſimo ventris et partium inferiorum tumori varia pathemata, ſitis nempe magna et continua, inappetentia ciborum, tuſſis ſicca, dyſpnoea, ſubinde fere ad ſuffocationem usque, præſertim inter decumbendum, ingraveſcens, et febricula lenta, tandemque hectica, ſeſe comites adiungunt, ac ſenſim cum adoleſcente morbo primario adoleſcunt. Alvus interdum lubrica, liquida ac mucida eſt, interdum, et ſæpius quidem, ingenti ſegnitie aut perfecta obſtructione laborat, urina ſaturate utplurimum rubra ac valde acris exiſtit, et difficillime, pauca copia et cum dolore ardente ac morſicante excernitur, quin penitus nonnunquam fluere

 nequit,

nequit, ſudor poſt data diaphoretica rariſſime ſequitur, in ore, faucibus et toto interdum canale alimentario aphthæ admodum urentes et profundius haud raro ulceroſæ generantur, vultus livido aut lurido defœdatur pallore, membra omnia ſummum torporem ſummamque laſſitudinem perſentiunt, viresque univerſi corporis magis in dies magisque decreſcunt, et tandem, aucta humoris extravaſati corruptione putredinoſa, natisque hinc inde viſcerum ulcuſculis et maculis ſphaceloſis, perpetua in ventre morſicatio, ieiuno inprimis ventriculo, percipitur, immo in externa abdominis ſuperficie maiora quandoque aut minora ulcera exoriuntur, quæ, perſeverante hydrope, nullis unquam remediis, licet minime profunda exiſtant, conſolidari poſſunt.

§. VI.

Hydrops aſcites in genere morbus chronicus, refractarius et curatu difficillimus eſt; hinc eum pauci, ſecundum HIPPOCRATIS effatum et creberrima experientiæ teſtimonia, effugiunt: Valde tamen præſagia pro ætatis ac virium ægri, pro cauſæ atque dura-

durationis morbi, pro febris complicatæ aliarumque circumſtantiarum diſcrepantia variant. Si æger enim adhuc in vegeta ætate conſtitutus eſt, nec vires atque ciborum appetentia admodum deiectæ ſunt, ſi morbus, a ſola viſcerum obſtructione reſolubili ortus, per moras longiores nondum invaluit, nec lenta adhuc febris iuncta obſervatur, cura rite inſtituta de ſanitate recuperanda nondum deſperandum eſt: Contrarium ominari, nec medicum certi quidquam ſpondere oportet, quando æger provectioris dudum ſenectutis annos attigit, aut morbus ſub mora diuturniori iam valde adolevit, aut urgens febris lenta, et lividus luridusque faciei pallor, tabes itemque partium ſuperiorum et ingens adpetitus ac virium proſtratio, morſicatio continua in abdomine et ſimilia de ulceroſa viſcerum corruptela haud obſcure teſtantur.

§. VII.

Curatio, ſive felicem ſive minus felicem ſucceſſum ſortiatur, tribus ſemper indicationibus, quarum prima ad *aquæ collectæ eductionem*, altera ad *obſtructionum in viſceribus reſerationem* et tertia denique ad *roboris amiſſi re-*

ſtitutionem redit, ſuperſtruenda eſt. Prima indicatio optime atque citiſſime tempeſtiva ac methodice inſtituta *paracentheſi* obtinetur; aſt ſimul dolendum, quod chirurgicum hoc remedium plerumque nimis ſero, morbo videlicet ad ſummum pridem gradum evecto, viſceribusque dudum corruptis, adhibeatur, et ob hanc igitur rationem auxilium deſideratum rarius ferat. Præter paracentheſin ſcopo huic *diaphoretica* pariter, eaque mitiora, nec minus *diuretica*, *laxantia* et interdum quoque *potentiora cathartica* inſerviunt, præſertim ſi illis *activa aperitiva* et *leniora adſtringentia* addantur aut interponantur; quippe quæ, partim organa excretoria et viſcerum meatus reſerando, partim vim contractilem in ſolidis augendo, non tantum excluſionem aquæ per alvum aut vias urinarias egregie adiuvant, ſed circuli quoque et inhalationis libertatem reſtituunt, adeoque novam humorum ſtagnationem, extravaſationem ac præternaturalem in abdomine collectionem impediunt.

§. VIII.

Multa quidem pharmaca ad prædicta medicaminum genera referri poſſunt, propter

emi-

eminentiorem tamen ac ſæpius confirmatam activitatem, aqua amara Sedlizenſis, et acidulæ Pyrmontanæ, radix ſcillæ, morſuli antimoniales KVNCKELII, *pilulæ* ex aſa fœtida, gummi ammoniaco, ſagapeno, terebinthina lota, extracto trifolii fibrini, cardui benedicti, chamomillæ vulgaris, millefolii, catholico, mercurio dulci, ſulphure antimonii aurato et oleo cajeput, *electuaria* ex ſyrupo de hyſſopo, de eryſimo LOBELII, oxymelite ſcillitico, rob iuniperi, extractis prædictis, pulvere rhabarbari, mechoacannæ albæ, rad. iridis Flor., ari pptæ, ſem. ſinapi, millepedum, granorum chermes, coccionellæ, croco martis aperitivo STAHLII, ſulphure antimonii aurato &c., *mixturæ ſpirituoſæ* ex tinctura metallorum, antimonii, tartari, ſuccini, pimpinellæ albæ, trifolii fibrini et martis helleborata, *mixturæ ſpirituoſo-vinoſæ* ex liquore terræ foliatæ tartari, extractis amaris, tinctura rhabarbari, eſſ. gentianæ rubræ, pimpinellæ albæ, trifolii fibrini, tinctura martis helleborata &c., *mixtura aqueo-ſpirituoſa* ex ſpiritu ſalis dulci et tinctura florum poeoniæ aquoſa, ſale ebuli aut centaurii minoris nec minus arcano tartari aut floribus

 ſalis

ſalis ammoniaci largius impraegnata, *infuſa vinoſa* ex radice ellebori nigri, pareirae bravae, ſaponariae, cichorii, ligno Guaiaco, nephritico, hba hederae terreſtris recentiori, marrubii albi, ſummitat. geniſtae, flor. hepaticae nob., anſerinae, calcatrippae, ſem. foeniculi, apii paluſtris, dauci vulg. et Cretici, baccis iuniperi, cinnamomo &c., ut et *pulveres* ex nitro, ſale fixo centaurii minoris, cardui bened., ſale de SEIGNETTE, mirabili GLAUBERI, floribus ſalis ammoniaci martialibus, granis chermes, rad. iridis Florentinae, ari pptae, ſulphure antimonii aurato, croco martis aperitivo STAHLII &c. praecipue hoc loco laudari merentur *a*). Non contemnendi quoque uſus *clyſteres acriores* ſunt ex rad. ſcillae, pimpinellae albae, hba hyſſopi, rorismarini, ſalviae, thymi &c., praeſertim ſi addito quodam ſale amaro aut ſalſo vulgari, et electuario hierae picrae ſimpl. aut compoſitae, electuario benedictae laxativae &c. energia eorum exaltetur.

§. IX.

a) Nonnulli etiam rotulas ſtimulantes [MYNS, pellendi ſcopo laudant, immo pauxillum pulveris cantharidum pilulis et electuariis addunt; at

§. IX.

Aqua educta, et viscerum obstructionibus reclusis, cura ulterior eo maxime dirigenda est, ut robur amissum partibus solidis denuo restituatur. Nolo numerosissima illa pharmaca *amara*, *balsamica*, et *subadstringentia*, quae ad finem hunc impetrandum in usum trahi possunt, speciatim recensere, sed paucis tantummodo monuisse sufficiat, corticem Peruvianum, martialia, et succum granorum chermes sese virtute sua valde in hoc passu commendare, et frequentius itaque ac paullo largiori dosi, interpositis tamen, vel additis mitioribus aperitivis, exhibenda esse.

§. X.

Hydrops abdominis saccatus in eo maxime ab ascite vulgari differt, quod humoris extravasati atque collecti moles, sive ille limpidus adhuc atque sincerior sit, sive dudum corruptus, foetidus ac vario colore tinctus, libere haudquaquam in abdominis cavitate et inter viscera circumfluat, sed tota, vel quoad po-

mihi, propter erosionis metum, internum cantharidum usum parum placere non diffiteor.

potiſſimam tamen partem, ſacco cuidam membranaceo, nunc *ſimplici*, h. e., unica tantum atque continua cavitate donato, nunc *celluloſo*, ſive in multas majores et minores concamerationes diſtincto *a*), incluſa hæreat. Origo harum burſarum, quæ ingentem ſubinde magnitudinem conſequuntur *b*), valde incerta ac ſine dubio multiplex eſt. Pro mea enim ſententia formari poſſunt, 1.) quando tunica hepatis, aut lienis, aut alterius viſceris ac partis membranacea in loco quodam, humoris extravaſati preſſione, ab involuta ſubſtantia citra rupturam avellitur, aut 2) duplex meſenterii lamina membranacea a liquido quodam ſeroſo-lymphatico in telam celluloſam interiectam effuſo, ab invicem diſtrahitur, aut 3) cellulæ quædam omenti adipoſæ, propter vaſculorum reducentium obſtructionem, pingui humore ſeroſo valde replentur, ac magis paullatim magisque diſtenduntur, aut 4) viſcidæ humoris extravaſati moleculæ in aſcite vulgari in orbiculare ac clauſum

a) Vid. *Memoir. de l' Acad. Royal. des Sciences ann.* 1703.

b) Conf. *Commerc. litt. Norimb. ann.* 1731. *p.* 147.

ſum involucrum membranaceum ſenſim concreſcunt *a*). Tertia originis ſpecies conſiderationem maxime mereri videtur, quoties ſaccus maior in numeroſas rurſum cellulas minores diviſus cernitur, reliquae autem praecipue circa burſae ſimplicis geneſin locum inveniunt. Apud foeminas, quod tacitus hoc loco praeterire nequeo, interdum *Hydrops dextri* aut *ſiniſtri ovarii* hydropem abdominis ſaccatum mentitur. Primum enim indureſcunt haec ovulorum conceptacula, deinde inflammantur, corrumpuntur, et liquore, ex innumeris lymphae vaſculis, ſubſtantiam eorum perreptantibus, ſenſim erumpente, adeo diſtenduntur, ut tandem in magnam molem excreſcant *b*).

§. XI.

Tumor in hydrope ſaccato utplurimmum in alterutro abdominis latere incipit, et aegri ſub morbi primordiis minorem duntaxat molem globoſam in certo loco percipiunt, quae ali-

a) Conf. *Memoir. de l'Acad. des Sciences ann. 1719.*
b) Conf. RICHARDI MEAD *Monita et Praecepta medica p. 71.*

aliquamdiu citra ſingularem moleſtiam et citra notabilem coloris naturalis in cute mūtationem increſcit, adeoque apud fœminas perſæpe graviditatis ſuſpicionem movet. Abdomen præterea ſub quocunque corporis ſitu formam eandem retinet, nulla quoque ſentitur aquæ fluctuatio, nec ullus, morbi initio, tumor genitalium, femorum, crurum ac pedum œdematoſus obſervatur, ſed partium dictarum ſingulæ poſt diuturniorem demum tumoris abdominalis præſentiam, ſuperveniente videlicet aſcite vulgari, intumeſcunt. Interdum nihilominus ſigna memorata medicum fallere poſſunt, quoniam hydrops ſaccatus et aſcites vulgaris ſubinde eodem tempore et in eodem ſubiecto iunctim generantur, aut ſaccus in vulgari aſcite, ſicuti antea pridem retuli, ex viſcidis demum humoris extravaſati atque corrupti particulis paullatim concreſcit.

§. XII.

Ab uſu medicamentorum pharmacevticorum in hydrope ſaccato parum vel nihil auxilii exſpectandum eſt, quum humor incluſus neque per alvum et urinæ vias educi, neque

que ad fluida circulantia revertere poteſt; hinc tota ſpes, quæ forſan ſupereſt, in *paracenthesi* collocanda erit: Dolendum tamen, hanc pariter operationem, quæ in aſcite vulgari inter certiora evacuantia militat, rariſſime voto ac ſpei perfecte ſatisfacere, quoniam tunica ſacci poſt puncturam et aquæ effluxum in abdomine remanet, et, coalito rurſus inflicto foramine, nova aquæ collectio intra breve tempus accidit.

§. XIII

Hydrops Veſicularis ſive *Veſicalis* rarius, quam binæ præcedentes ſpecies, in praxi obvius eſt, et ingentem congeriem variæ magnitudinis hydatidum ſupponit, quæ abdominis cavitatem replent, et ventris tumorem efficiunt. Hydatides hæ, ſive veſiculæ, aqua refertæ, ſubinde viſceri cuidam arcte adhærent, et aliquando ſolitariæ ſunt, hinc nihil aquæ ſub primis mali incunabulis in abdomine fluctuat, aliquando autem, ſociato nimirum aſcite vulgari, mobiles inveniuntur, et extravaſato humori aqueo, cum mutua utplurimum cohæſione, vel, quanquam rariſſime, citra eandem, innatant, aut quoad maximam

ximam tamen partem immerſæ iacent. Priores, ex mente quorundem *a*), nihil aliud ſunt, quam portiones vaſorum lymphaticorum alicuius viſceris, in quibus motus lymphæ eſt impeditus, unde ſpatiola inter valvulas, liquore prædicto diſtenta, in figuras oblongo-ſphæroidales efformantur: Poſteriores ex adverſo, uti ego quidem opinor, ex viſcidioribus ac gelatinoſis humoris corrupti particulis eodem prorſus modo, quo ſaccus maior interdum generari dictus fuit, ſenſim concreſcunt; quemadmodum iſtud in ipſo etiam hydrope ſaccato nonnunquam evenire ſolet *b*), quando humor incluſus, creſcente corruptela, maiorem ſucceſſive ſpiſſitudinem atque lentorem contrahit.

§. XIV.

De curatione huius hydropis eadem prorſus dicenda veniunt, quæ de ſaccati medela dicta fuerunt, immo multo adhuc magis,

a) Vid. IO. ALLEN *Synopſ. Med. Pract. Cap. 8. p. m. 293.*

b) Vid. *Memoir. de l'Acad. Royal. des Sciences ann. 1701. 1703. et 1722.*

gis, quam in ſaccato, de optato ſucceſſu dubitandum eſt. Nam ſi veſiculæ, propter accretionem ad viſcera, vel propter magnitudinem aut mutuam cohæſionem, per factam aperturam nec egredi, nec etiam, ob ſitum incertum, aut remotiorem, aut diſtinctum atque mutabilem, incidendo aut pungendo aperiri poſſunt, vel nihil omnino aquæ, inſtituta paracentheſi, effluit, vel tantum humor, maſſam veſicularem et viſcera libere circumfluens, erumpit, et operatio proinde intuitu ſcopi primarii plane fruſtranea eſt.

§. XV.

Ab aſcite vario, hactenus expoſito, HYDROPS PERITONAEI magnopere quoad ſedem humoris extravaſati et nonnihil etiam quoad ſymptomata diſcrepat, et itidem in *vulgarem* atque *ſaccátum* dividitur. Vulgaris audit, quando humores ſeroſo-lymphatici non tantum in univerſam telam peritonæi celluloſam, quæ abdominis anteriora ambit, ſed inter hanc etiam et transverſos muſculos abdominales ita effunduntur, ut poſteriores a peritonæo disiungantur, et tumor ventris renitens, ſubrotundus, æquabilis, et

circa umbilicum duntaxat, ob ſtrictiorem ibi tendinum muſcularium cum peritonæo cohæſionem, paullo depreſſior, oriatur: Saccatus autem appellatur, quoties humor in ſimplici quadam ac magna burſa membranacea, inter denſam peritonæi laminam et muſculos abdominis præternaturaliter efformata, et facile nonnunquam a partibus reliquis ſeparabili *a*), tanta copia colligitur, ut tumor, arctioribus quidem, quam in ſpecie præcedente, limitibus circumſcriptus, valde tamen ſuper reliqui ventris ſuperficiem eminens, in conſpectum veniat.

§. XVI.

Longe tardius in hac ſpecie, quam in aſcite, tumor abdominis augeſcit, ſummumque incrementi gradum haud raro poſt aliquot demum annorum decurſum attingit, adpetitum præterea eſculentorum ac potulentorum, reſpirationem, ſomnum, naturalem vultus colorem, vigorem oculorum, excretionem alvinam, diureſin, fluxum menſtruum apud fœminas, et cæteras corporis functiones parum

a) Vid. *Comm. litt. Norimb. ann.* 1741. *p.* 51.

parum turbat, adeoque ſub prima acceſſione primisque incrementi temporibus, præter inſolitam atque moleſtam abdominis gravitatem, nullum ſingulare incommodum adfert. Deinde autem, poſtquam valde adolevit, et humores extravaſati magnam acrimoniam ac corruptelam ulceroſam contraxerunt, dolores morſicantes in abdomine externo ſentiuntur, accedit febricula lenta cum variarum functionum turbis, et in externa ventris ſuperficie nonnunquam ulcera cacoethica, quæ conſolidationem plane reſpuunt, generantur *a)*.

§. XVII.

Magna ſimilitudo, ſi ventris tumorem ſpectes, hydropem peritonæi et HYDROPEM OEDEMATOSVM ſive *anaſarcoideum* intercedit, unde creberrime accidit, ut alter cum altero confundatur: Quare, ut error

D 2 hic

a) De recenſitis aliisque hydropis peritonæi ſignis plura in *Actis Academiæ Regiæ Pariſinæ ann.* 1707. videri poſſunt. Conferri etiam merentur, quæ in *Actis iisdem* ann. 1728. a CHOMELIO de ſpontaneo aquarum per ſubito apertum umbilicum effluxu relata fuerunt.

hic, quantum fieri poteſt, evitetur, ſequentia differentiæ criteria notanda erunt. Tumor in hydrope abdominis œdematoſo ſive anaſarcoideo, qui ſedem ſuam in panniculo adipoſo habet, et a *lympha admodum viſcida*, in dicti panniculi cellulis, propter partium ſolidarum atoniam et venarum reducentium obſtructionem, valde adcumulata, oritur, pallidus omnino, laxus, ac mollis eſt, et ſub primo igitur ortu ſuo et ulteriori progreſſu digiti impreſſi veſtigia aliquamdiu retinet, in hydrope peritonæi autem durior exiſtit, digitoque prementi valide renititur, et initio nullam, poſt incrementum vero atque durationem longiorem leviſſimam duntaxat coloris naturalis mutationem patitur. Quibus accedit, quod œdema femorum, crurum ac pedum hydropi peritonæi ſolitario nunquam, anaſarcoideo autem frequentiſſime iunctum reperiatur.

§. XVIII.

Prognoſis et ſucceſſus curationis in hydrope peritonæi non minus, quam anaſarcoideo, pro durationis, magnitudinis, aliarumque circumſtantiarum diverſitate differunt

runt. Si patiens enim iunior, vegetus, atque robuſtus, et tumor ipſe adhuc parvus ac recens exiſtit, nec ulla pridem febricula lenta, nec alia functionum vitalium ac naturalium læſione ſingulari ſtipatus reperitur, ſi aqua etiam, paracentheſi educta, tenuis, bene colorata, nec fœtida eſt, bonum plerumque eventum et perfectæ interdum ſanitatis reditum ſperare licet. Contraria vero metuenda erunt, quando patiens iam ſenex aut ſenio proximus aut valde infirmus eſt, aut tumor diu pridem duravit ac valde increvit, dudumque febrem lentam aliaque pathemata comites habet, et aqua præterea, poſt inſtitutam paracentheſin erumpens, admodum craſſa, fœtida, mali coloris ac penitus ulceroſa deprehenditur.

§. XIX.

Pharmaca *aperitiva*, *purgantia*, *diuretica* et *ſudorifera*, ſupra contra aſcitem commendata, in hoc pariter hydrope, præſertim adhuc recentiori, ſubinde non contemnendum quidem auxilium ferunt, nec *calor* etiam *hypocauſti*, *foci*, *furni*, *ſolis*, *arenæ*, *ſimi* &c. laude ſua defraudandus eſt; optimum nihilo-

minus atque certiſſimum remedium *Paracentheſis* eſt, ſi incifio ſcilicet ad celluloſam duntaxat peritonæi laminam nec ultra penetrans, tempeſtive, h. e., tumore adhuc parvo atque recenti, ſuperſtite etiam ſufficienti ægri robore et humore extravaſato nondum corrupto, inſtituatur, ac toties, quoties neceſſum erit, repetatur. In caſu enim contrario parum quoque auxilii præſtat, et palliativum tantummodo tumoris, tum primum nati, tum renaſcentis, remedium eſt.



CAP. V.

DE TYMPANITE.

§. I.

TYMPANITES (a τυμπανίζω, *tympani inſtar ſono*), alias etiam *Tympanitis*, *Tympanias*, nec minus, quanquam abuſive ſaltim ac ſatis inepte, *Hydrops ſiccus*, *Hydrops flatuoſus* dictus, eſt tumor abdominis conſtans, æquabilis, durus, valde renitens, ſonitumque ſub percuſſione edens, a diſtendente materia flatuoſa

flatuoſa ortus, adeoque ſenſim absque multo gravitatis ſenſu in faſtigium aſſurgens.

§. II.

Melioris cognitionis gratia triplex Tympaniæ ſpecies, *Tympanites* nimirum *inteſtinalis*, *ventralis internus*, et *abdominalis* ſive *ventralis externus*, conſtitui debet. In prima ſpecie flatus, continua atque ingenti diſtenſione renitentem ventris tumorem efficientes, canalem alimentarium, ventriculum videlicet et inteſtina, maxime autem cæcum et colon, replent, et bina hæc poſteriora adeo interdum expandunt, ut craſſitie ſua, ſicuti ſectio poſt mortem docuit, femur humanum æquent, quin apud vivos patientes, ipſam quandoque rupturam patiantur: In altera ſpecie ſimilis materia flatuoſa putrida et ordinario igitur, ſi emittitur, fœtidiſſima in cavitate abdominis, adeoque intra peritonæi, inteſtinorum ac viſcerum limites, nunc ſola, nunc vero, præſertim poſt longiorem morbi durationem, iunctim cum aliqua humoris ſeroſi mole, hoſpitatur, et in tertia denique telam peritonæi celluloſam ac huius et muſculorum abdominalium interſtitia, ſive ſpatia

intermedia, immo, licet rarius, panniculi adiposi cellulas, occupat.

§. III.

Caussa tympaniae intestinalis praecipua mihi nulla sane alia esse videtur, quam *ingens tunicarum ventriculi et intestinorum atonia*, qua praesente, non tantum resistentia eorum valde minuitur, sed naturalis quoque vis contractilis adeo decrescit, ut flatus, sub necessario complicata digestionis labe ex mucido - semiputridis cruditatibus copiosissime genitos, debite amplius per superiora et inferiora expellere nequeant; unde minime etiam mirandum est, quod magis in dies magisque cum toto ventre intumescant. „Ventriculus enim „et intestina, uti IO. ALLEN, praeeunte „LITTRIO, loquitur *a*), quasi musculus ca„vatus spectari possunt, cui aer inclusus est „antagonista, parietes et aer internus sunt „tanquam duo ἐλατῆρα se mutuo indesinenter „impellentia. Quamdiu hae potestates aequi„pollent, ventriculus et intestina alternatim „se contrahunt, et dilatant salva dimensione natu-

a) *In Synops. Med. Pract. p. m. 300.*

„naturali, ſuntque officiis ſuis obeundis paria, „manente ſcilicet æquilibrio: ſi autem late-„rum ventriculi et inteſtinorum ſyſtole vim „elaſticam aeris incluſi ſuperat, fiſtula inteſti-„nalis ſupra modum coarctabitur: e contra „ſi quando fibrarum inteſtinalium vires elaſti-„cæ quoquo modo imminuantur, aer inclu-„ſus canalem plus iuſto dilatat, et quo debi-„lior eſt inteſtinorum elaſticitas, eo maior eva-„dit eorum capacitas, unde Tympanites or-„tum ducit. &c.

§. IV.

Prædicta ventriculi et inteſtinorum atonia interdum univerſi generis nervoſi imbecillitatem, a cauſſis variis, alibi recenſitis, inductam, ſequitur, interdum vero refractariæ viſcerum aliarumque partium connexarum, hepatis v. g., lienis, pancreatis, vaſorum meſeraicorum &c., obſtructioni ſuccedit, et alio rurſus tempore et apud alia individua eſculenta oleoſa ac pinguia, nec minus potulenta aquea tepida, iuſto largius iuſtoque frequentius adſumta, clyſmata aliaque medicamenta emollientia, tam interna, quam externa, itemque vomitoria et cathartica fortiora nimium

uſurpata, ſpasmi inſolentiores ac crebro recurrentes hypochondriaci atque hyſterici, tormina colica, iliaca et nephritica vehementiora, impetuoſæ atque creberrimæ congeſtiones hæmorrhoidales, ſpontanea ac diuturna flatuum, exitum molientium, repreſſio atque retentio et ſimilia mediati aut immediati eiusdem genitores exiſtunt.

§. V.

Altera ſpecies, quam *Tympanitem ventralem* ſive *abdominalem internum* appellavi, longe rarius, quam præcedens, occurrit et triplicem originem, ſi prima materiæ flatuoſæ generatio, vel potius generationis locus ſpectetur, habere videtur. Pro mea enim ſententia naſci poteſt, 1) quando parva humoris feroſo-lymphatici moles, propter cauſſas varias, in antecedente capite expoſitas, in abdominis cavitatem effuſa, ſub diuturniori quiete ſua putreſcit, ac ſenſim in flatuoſam materiam reſolvitur, 2) quando ſimilis vapor elaſticus ac fœtidiſſimus a viſcere quodam corrupto magna ſenſim copia emittitur *a*), et deni-

a) Conf. RICHARDI MEAD *Monita et Præcepta medica Cap. 8. de Hydrope p. 70.*

denique 3), ſi flatus, in canale inteſtinali geniti, per unam aut plures inteſtini cuiusdam aperturas, eroſione, exulceratione, aut putredine factas, vel a vermibus roſione productas a), in imi ventris cavitatem irrumpunt, ibidemque calore magis expanſi, ventris integumenta attollunt atque diſtendunt. Nonnulli memoratis tranſitus viis etiam vaſa lactea addunt, eademque ita nonnunquam circa originem ſuam in inteſtinis dilatari poſſe perhibent, ut iunctim humorem alibilem et flatus recipiant, eosdemque poſtmodum, ſi in aliquo loco, obſtructis inprimis glandulis meſeraicis, rupta aut corroſa fuerint, in cavum abdominis emittant.

§. VI.

A tympanite ventrali interno *Tympanitem ventralem externum* non adeo longe quoad flatuoſæ materiæ generationem recedere, arbitror. Facile enim fieri poſſe, credo, ut humor quidam viſcidus ſeroſo-lymphaticus in

a) Conf. IO. HENRICI SCHVLTZII *Differt. de Lumbricis effractoribus.*

in cellulosa peritonæi substantia, non copiose tamen, sed parva tantum quantitate subsistens, vel minori etiam mole inter peritonæum et musculorum abdominalium interstitia effusus, paullulumque sub quiete diuturniori putrescens, caloris actione in flatum mutetur, qui partes postea, arctius antea cohærentes, disiungit, et, natas cavitates magis paullatim magisque replendo, distendendo atque ampliando, renitentem ventris tumorem efficit. Nec silentio etiam prætermitti debet, caussam præternaturalis inflationis formalem æque ac materialem interdum, licet rarius, in cellulis panniculi adiposi latitare, quoniam aer inclusus et rarefactus nonnunquam, sicuti istud observationes nonnullæ docuerunt, post extimorum duntaxat integumentorum perforationem cum sibilo erumpit, et tumor in loco puncto et circa eum confestim subsidet.

§. VII.

BAGLIVUS et plures alii, quod paucis adhuc commemorare necessum duco, aliam rursus, et ab exposita plane distinctam, hydropis sicci ætiologiam tradiderunt, eumque unice, citra ullius materiæ vaporariæ seu flatuo-

sæ

ſæ præſentiam, a *fibrarum*, e quibus viſcera ac reliquæ abdominis partes contexta ſunt, *ſiccitate nimia* et *ingenti affectione tetanoidea*, ab acri quodam humore irritante induƈta, oriri crediderunt. Verum quod me attinet, ſententiam hanc, quam BAGLIVVS citra ullam plane exceptionem propoſuit *a*), penitus quidem reiicere nolo, probe nihilominus inter cauſſam tympaniæ proximam atque formalem et cauſſam aliquam procatarƈticam diſtinguendum eſſe, exiſtimo; hinc totam rem ita mihi concipio: Quando fibræ viſcerum

a) „Flatuoſa ventris intumeſcentia, *in Oper. p. 81.* „*ſcribit*, ſive ſiccus hydrops ventris, non gignitur a vapore detento intra viſcerum et abdominis clauſtra, ut vulgus putat ignarum. Fibræ viſcerum et partium abdominis intentæ „nimium, criſpatæ et exſiccatæ portentoſum acquirunt elaterem; Vnde ingens diſtentio ſolidi, ſine ullo vapore ſubieƈto: Et quando diſtenſio multum augetur, magis magisque liquidorum circulum impedit, hinc facile ſicco hydropi humidus ſuccedit, et ſemper ante mortem aſcites tympanitidi coniungitur. Fibras „autem exſiccat, criſpat, convellit materia acris, „ſalina, piperina, morſicans; hinc ſiccitas et „diſtenſio, &c.

rum cæterarumque abdominis partium, propter diuturnam diætam calidam atque vinosam, propter aromatum, salsorum, purgantium, sudoriferorum, et diureticorum abusum, aliasque caussas, iusto ficciores redduntur, facillime, ab acri tamen humore irritatæ, in vehementes ac valde rigidas contractiones tensionesque spasmodicas ruunt, quæ liberum postea liquidorum circuitum sufflaminant, et stagnationi eorum, adcumulationi, et passim quoque, facta inprimis vasculorum quorundam ruptura, extravasationi occasionem præbent: Vnde fit, ut, pro diversa humoris extravasati quantitate ac sede, vel hydrops humidus seu proprie talis, vel secunda aut tertia hydropis ficci seu flatuosi species, modo in antecedentibus exposito, nascatur.

§. VIII.

Adventum tympanitidis interdum murmura ventris crebriora, rugitus, ac tormina, et vehementes inprimis ac diuturni dolores circa umbilicum, qui nullis remediis cedunt, præsagire solent, interdum vero sine prodromis hisce accedit. Tympaniæ ventrali externæ et plerumque etiam internæ sub primo

mo ſtatim ortu, ſicuti ex præmiſſa dudum ætiologia patet, aliqua humoris ſeroſi extravaſatio iuncta reperitur, inteſtinalis autem initio utplurimum ſolitarius eſt, et poſtea demum, niſi tempeſtiva atque felici medela tollatur, in aſcitem incurabilem degenerat. Quando aquæ moles in abdomine iam valde increvit, tympanites ab aſcite vix amplius aut ne vix diſcerni poteſt, et in ſolitario tantum certiora quædam differentiæ criteria notantur. Nam tumor in tympanite ſub quocunque corporis ſitu æqualis ac conſtans eſt, ita ut venter, ægro reſupinato, nusquam ſubſideat, ſed ubique admodum diſtentus permaneat, et æque propemodum ac veſica, ſpiritu plena, tumeat. Magis præterea et undique digito prementi renititur, multóque durior, quam in aſcite, eſt, et manu percuſſus tympani inſtar ſonitum edit, nulla tamen ſub percuſſione aut corporis volutatione ad latera aquæ fluctuatio percipitur, nec patiens tantam quoque ventris gravitatem, quam in aſcite, ſentit. Reliqua ſymptomata, parca videlicet et difficilis urinæ excretio, alvi ſiccitas et pertinax obſtipatio, aut ſumma ſegnities, nec minus dyſpnœa, tuſſis ſicca, pulſus

celerior

celerior atque ſubdurus, ſitis, febris lenta &c. tympaniti et aſciti communia quidem, in priori tamen plerumque mitiora, in poſteriori graviora deprehenduntur, ſi excretionem alvinam exceperis, quæ in tympanite inteſtinali magis ordinario, quam in aſcite, ſufflaminata eſt, quoniam inteſtina, propter ingentem diſtenſionem ſummamque fibrarum atoniam, nullo fere motu periſtaltico, nec debito amplius atque ſufficienti vi expultrice gaudent.

§. IX.

Tympanites inteſtinalis et ventralis externus, recens tamen et apud ſubiecta iuniora natus, interdum feliciter rurſus curatur, in inveterato autem, ad ἀκμὴν perducto, nec minus in ventrali interno nihil ſperandum eſt, ſed tandem poſt longiora aut breviora temporis intervalla aſcites funeſtus certiſſime ſequitur. *Paracentheſis* in tympanite inteſtinali ſolitario nullum plane locum invenit, ſed eo tota dirigenda erit curatio, ut ventriculo et inteſtinis robur priſtinum per interna et externa auxilia reſtituatur, quo muniis ſuis circa chymificationem non minus ac chylifica-

catio-

cationem, ſed circa flatuum pariter fæcumque alvinarum translationem et excretionem debite rurſus perfungi valeant. Inſerviunt huic ſcopo ſingula *carminativa* et *roborantia*, *balſamica*, *amara*, *aromatica*, *acria*, *auſteriuſculo-amaricantia* et *auſtera* interna, nec minus externa varia, *linimenta* videlicet, *emplaſtra*, *ſacculi*, *clyſteres acriores*, *carminativi* ac *roborantes*, *cingula latiora coriacea* &c., Sect. II. Cap. 13. §. 9. et 10. contra flatulentias primæ culinæ commendata, uberrimeque expoſita; quare ſpeciatim illa hoc loco recenſere nolo, ſed paucis tantummodo adhuc moneo, prædictis carminativis ac roborantibus internis apud ſubiecta nonnulla *aperitiva* etiam addenda et interponenda eſſe, ut viſcerum aliarumque partium connexarum obſtructiones, quæ ſæpe ſæpius, uti ſupra retuli, præcipui atoniæ ventriculi et inteſtinorum genitores exſtunt, recludantur: Immo haud ignorari quoque debet, ab uſu pharmacorum calidiorum abſtinendum, et mitiora ſaltim, cum temperantibus mixta, in uſum trahenda eſſe, quando calor univerſi corporis ſiccus atque continuus, et partium ſuperiorum contabeſcentia complicatæ ludum lentæ febriculæ præſentiam produnt.

§. X.

§. X.

Tympanites ventralis internus, poſt viſceris aut partialem inteſtini cuiusdam exulcerationem aut putrefactionem, vel poſt perforationem inteſtinorum a vermibus aut vaſorum lacteorum rupturam oriundus, pro meo iudicio plane inſanabilis eſt; quod alteram vero ſpeciem primariam attinet, quae humori extravaſato putreſcenti, ſenſimque in flatum reſoluto, ſuos natales debet, illam, ſi viſcera putridis ulceribus nondum corrupta, ſed ſaltim obſtructa ſint, nonnunquam *paracentheſis* et *pharmaca, contra aſcitem laudata*, tollunt.

§. XI.

In tympanite ventrali externo medendi methodus et remedia pro cauſarum diverſitate differunt. Si tumor enim a copioſa materia feroſo-flatuoſa, telam peritonaei celluloſam et muſculorum interſtitia, vel cellulas panniculi adipoſi occupante, excitatur, praeter aptam *paracentheſin*, ſola mitiora *antaſcitica*, aeque ac in vero peritonaei hydrope, proſunt: Sin mera autem fibrarum, membranarum, ac viſcerum affectio tetanoidea ſeu ingens, rigida ac plane ſingularis ſtrictura,

poſt

post nimiam exsiccationem ab acri humore excitata, citra vaporariae materiae concursum, huius et cuiuscunque hydropis sicci caussa existat, paracenthesis et quaevis pharmaca acria et calida amara balsamica, aromatica, ac spirituosa, et quaevis pariter purgantia, diuretica atque sudorifera exulare debent, et totum potius curationis negotium *temperantibus, demulcentibus* et *humectantibus* expediendum erit. Conducunt itaque iuscula avenacea et carnium iuniorum animantium, lac asininum et caprinum, serum lactis dulce, aqua Selterana cum lacte, decocta avenacea et hordeacea cum radice scorzonerae recenti, altheae, taraxici, tussilaginis, graminis, rasura cornu cervi, eboris &c., aqua simplex frigidiuscula, clysso antimonii sulphurato, aut succo citri et limoniorum, aut sale acetosellae et nitro dep. parcius impraegnata, succus cucumerum atque melonum depuratus et sacharo canto nonnihil remixtus, choccoluda, absque aromatum additione ex solis nucleis cacao et sacharo parata, immo emulsiones ex aqua flor. nymphaeae, borraginis, anagallidis purpureae, cichorii, lactucae, amygdalis dulcibus, seminibus quatuor frigidis maioribus et mino-

ribus, nitro depurato &c., nec minus potiunculae ex aquis iisdem, nitro, ſale acetoſellae, ſyrupo acetoſitatis citri, mororum &c. Hiſce interdum moderatus quoque *balnei aquae ſimplicis* ac *tepidae* uſus iungi poteſt: Vſus, inquam, moderatus, ne iuſto frequentiori eius adhibitione fibris partium ſolidarum ſtatus, priori plane contrarius, magna nempe flacciditas et atonia, inducatur. Eadem cautela etiam circa *clyſmatum humectantium* adplicationem notanda erit.

§. XII.

Corpore debite humectato, fibrisque ſtrictis ſufficienter relaxatis, prima culina per *blanda laxantia*, quibus hoc loco infuſum rhabarbarino-mannatum cum ſale de Seignette aut cremore tartari, nec non paſſulas rhabarbarinas, pulpam tamarindorum, decoctum prunorum laxativum cum ſenna, ſyrupum roſarum ſolutivum et ſimilia mitiora accenſeo, a recrementis ſuis purgari, et deinde *leniora* viſcerum *aperitiva*, quae paullulum inſuper partes ſolidas confortant, in uſum vocari debent. Neglecta enim viſcerum recluſione plenaria, affectio tetanoidea facile revertitur: Nec

Nec ignorari quoque oportet, prægreſſæ diuturniori fibrarum ſtricturæ nimiæ utplurimum atoniam ſuccedere, et ob hanc igitur cauſſam *roborantium* quoque uſum, præmiſſis tamen præmittendis, neceſſarium eſſe.



CAP. VI.

DE BVBONIBVS.

§. I.

Bvbo in genere tumorem glandulæ inguinalis dextræ aut ſiniſtræ denotat, ac merito in *frigidum benignum*, *inflammatorium* atque *ſcirrhoſum* dividendus eſt.

§. II.

Bubo frigidus benignus, h. e., ab inflammatione ac virulentia plane immunis, utplurimum poſt digeſtionis vitia et tranſpirationis cutaneæ ſuppreſſionem a *lymphae viſcidae decubitu* ac *ſtaſi* oritur, nec raro etiam apud pueros atque puellas fieri conſuevit, ut ſolum duntaxat *humorum lymphaticorum redundantiam* ſequatur. Non adeo doloroſus cæte-

roquin, nec adeo quoque durus est, hinc facile, et sæpe quidem sæpius, citra medicamentorum usum, rursus discutitur. Propter formæ similitudinem sedisque vicinitatem subinde cum hernia inguinali confunditur; quare ne error hic, in magnum patientis detrimentum, circa diagnosin committatur, discriminis signa, quæ supra Cap. 3. de *Herniis* §. 9. adduxi, probe notanda erunt.

§. III.

A frigido atque benigno glandulæ inguinalis tumore Bubo inflammatorius sese ardore, rubore, maiori duritie, et intensiori dolore distinguit, ac modo in vera peste aliisque febribus exanthematicis malignis per *metastasin* quandam generatur, modo, et quidem creberrime, *inquinationi humorum venereæ* et *præmature inprimis cohibitæ gonorrhoeæ virulentæ* succedit, nec tam facile iterum, quam præcedens benignus, resoluitur, sed sæpe in suppurationem aut exulcerationem transit; imo prior, exanthematicus videlicet ac pestilentialis, interdum, malo tamen omine, necrosin patitur, et posterior, a venereo miasmate oriundus, subinde, præsertim si levissima duntaxat, aut,

aut, ſicuti nonnunquam obſervatur, nulla prorſus inflammatio iuncta ſit, in ſcirrhum, doloris expertem et difficillime rurſus reſolubilem, indureſcit. Non unica tamen hæc tumoris ſcirrhoſi origo eſt, ſed iſte aliquando etiam naſcitur, quando tumor frigidus benignus nimia medicamenti ſpirituoſi exſiccantis aut reprimentis adplicatione induratur.

§. IV.

Adverſus bubonem benignum auxilium eſt in *lenioribus catharcticis*, præſertim mercurialibus, in *diluentibus* itemque, *incidentibus*, *diaphoreticis* et quibusvis *purificantibus* et *anticatarrhalibus*, in *Parte priori Sect. VII. Cap.* 10. §. 3. contra tumores glandularum oris commendatis. Externe cataplaſmata et fomenta *emollientia*, iisdemque aliquamdiu adhibitis ac forſan tumori reſolvendo imparibus, emplaſtrum diaphoreticum et oxycroceum MYNS., de gummi ammoniaco, diachylon et ſimilia conveniunt. Eadem remedia etiam in bubone venereo proficua ſunt, externis tamen camphora et mercurius vivus largius addi, et ex internorum cenſu paullo potentiora eligi, iisdemque, ſi inflammatio valde increvit, pulveres nitroſo-camphorati iungi debent.

bent.

bent. Nec prætermitti quoque oportet, in inflammatorio bubone venereo ſuppurationem, propter humoris quieſcentis virulentiam diſcuſſione ſemper præſtantiorem eſſe, adeoque ſedulo curandum, ut illa, niſi natura reluctetur, mature ſuperveniat. Vltimum hoc monitum in bubone peſtilentiali et quocunque maligno exanthematico eandem pariter, immo longe adhuc maiorem, quam in venereo, attentionem meretur, quoniam priores ſemper critici ſunt, ſummumque patienti periculum poſt virulentiſſimi humoris regreſſum imminet; quemadmodum plura de hiſce *Cap. de Peſte* videnda ſunt. Bubo ſcirrhoſus *potentiora reſolventia interna* ac *ſola emollientia externa* ad ſui curationem poſtulat, et iisdem quoque interdum, ſi adhuc ſcilicet recens, mobilis, nec valde durus exiſtat, feliciter diſſolvitur: Sin dudum vero calloſam adquiſiverit duritiem, medicamentorum actionem penitus ſpernit, et unice igitur in tali caſu videndum, an tuto amplius *Sectione chirurgica*, cuius adornandi methodum ſæpe laudatus PLATNERVS generice *a*) deſcripſit, tolli queat.

SE-

a) *L. c.* §. 268. *p.* 159.



SECTIO II.

DE MORBIS HEPATIS, LIENIS, VENTRICVLI, INTESTINORVM AC MESENTERII.



CAP. I.

DE INFARCTV ET OBSTRVCTIONE HEPATIS ET LIENIS



§. I.

INFARCTVS et OBSTRVCTIONES HEPATIS atque LIENIS interdum cum manifeſta in hypochondrio dextro aut ſiniſtro intumeſcentia atque duritie accidunt, interdum citra eandem generantur. Priores viſu et tactu clare cognoſcuntur; præſentiam poſteriorum vero dolor fixus gravativus, preſſorius, conſtrictorius, raro pungens, in hypochondriorum alterutro, nec minus reſpiratio

difficilior, et variæ aliæ functionum vitalium ac naturalium turbæ solummodo obscure prodeunt. Tumor lienis, propter spongiosam huius visceris texturam, ad tantum subinde magnitudinem adscendit, ut apud foeminas graviditatis suspicionem moveat, et hepatis quoque moles aliquando adeo increscit, ut patiens, ob valde impeditum diaphragmatis descensum, vix amplius spiritum trahere valeat.

§. II.

Non contemnendum discrimen infarctum horum viscerum et obstructionem seu veram oppilationem intercedit. In infarctu enim sanguis et lympha nondum perfecte in vasis quiescunt, sed, propter crassitiem suam ac spissitudinem, solummodo stagnant, sive quod idem est, difficillime admodum, ac lente moventur, et magis igitur minusve sub stagnatione hac atque circuitu tardissimo visceris inflationem aliquam molisque augmentum efficiunt; in vera autem oppilatione seu obstructione stricte tali naturalem suum motum progressivum penitus amittunt, adeoque ad stasin perfectam perveniunt.

§. III

§. III.

Quanquam obſtructio in genere a *ſtaſi humorum perfecta* oritur, non ſemper tamen eiusdem naturæ eſt, ſed in *ſanguineo-lymphaticam* rurſus et *ſanguineo-inflammatoriam* dividi debet. Illa naſcitur, quando ſubſiſtentes humores vitioſi venoſa tantum atque lymphatica vaſa occludunt, inflammatoria ex adverſo evadit, quoties cruor ſubſiſtens in arteriis minoribus perfecte quieſcit, tranſitumque inſequentis in venas penitus ſufflaminat; quemadmodum plura de hac poſteriori in capite ſequente videnda ſunt.

§. IV.

Infarctus non minus, quam obſtructiones ſanguineo-lymphaticæ vel ab *eminenti partium ſolidarum atonia* et *magna lymphæ muciditate ſanguinisque craſſitie*, vel a *vehementi partium membranaceo-nervearum conſtrictione ſpasmodica*, cum *inſigni* utplurimum *humorum acredine coniuncta*, proxime oriuntur: Quibus vitiis, nunc tardius, nunc citius generandis non tantum animi adfectus, variaque delicta diætetica circa quantitatem ac qualitatem alimentorum, ſed ſæpe quoque

ſæpius

ſæpius arthritis, ſcabies ac purpura ſcorbutic
retroacta, diarrhoeæ criticæ ac febres inter
mittentes, præmaturo aut plane incongru
adſtringentium uſu cohibitæ, fluxus hæmor
rhoidalis, menſtrui et lochialis ſuppreſſio
terrore, refrigeratione, potu gelido aut medi
camentis ſtypticis &c. inducta, nec minus ca
thartica et calidiora ſpirituoſa, poſt graven
iracundiam adſumta et huius commatis plur
occaſionem largiuntur.

§. V.

Infarctus, rite inſtituta medela, ſæpiu
atque facilius tolluntur, veræ obſtructione
autem, et quidem ſanguineo-lymphaticæ, in
ter chronicas utplurimum, contumaces ac val
de ominoſas hepatis atque lienis adfectione
militant, et creberrime in ſcirrhum indiſſolu
bilem, aut exulcerationem abeunt, febrem
que lentam et tabem corporis, vel hydropen
aſcitem aliasque hydropis ſpecies, vel hæ
moptyſin ac phthiſin pulmonalem, vel aſthm
ſuffocativum, icterum rebellem &c., tandem
que mortem poſt ſe trahunt: Pro cauſſæ ta
men proximæ differentia diſcriminis quid
quam circa prognoſin et curationis ſucceſſu
occur

occurrit. Si obſtructio enim a ſpaſmo orta fuit, facilius reſeratur iterum; ſin vero ingentem partium ſolidarum atoniam et ſummam humorum ſpiſſitudinem cauſſas agnoſcat, plus negotii medentibus faceſſit, nec raro, præſertim ſi iam inveteraverit, aut dudum ſcirrhoſa evaſerit, omnem medelam reſpuit.

§. VI.

Curatio infarctus a perfectæ obſtructionis medela minime recedit, et ſedulo duntaxat apud ægros explorandum eſt, an in hac æque atque illo partium ſolidarum atonia, et humorum viſcoſitas, vel horum eminens acredo et illarum affectio ſpaſmodica cauſſas conſtituant. In caſu enim priori partim *phlebotomia*, *laxantia* et *aperitiva*, partim *roborantia*, in caſu poſteriori autem *emollientia*, *demulcentia*, et *edulcorantia*, quibus ſubinde pariter *venæſectio* iungenda eſt, requiruntur. Remedia poſteriora ſpecialius hoc loco adducere nolo, quoniam prolixe dudum in *Parte I. Sect. I. Cap.* 3. nec minus *Sect. præced. Cap.* 5. recenſita fuerunt: Quod priora autem attinet, illis quamplurima quidem, quæ in *Parte I. Sect. I. Cap.* 4. generatim contra

tra *obstructiones*, et in *praecedentis* quoque *Sectionis Capite quarto* § 8. contra *ascitem* commendata leguntur, quaeque incidendo, diluendo, abstergendo, discutiendo leniterque adstringendo operantur, accenseri possunt, maxime nihilominus, praeter *leniora cathartica*, praesertim salsa amara et infusa mannato-rhabarbarina aquosa, sale de SEIGNETTE aut tartaro solubili acuata, *pulveres incidentes salini* et *electuaria* ex syrupo de erysimo LOBELII, de quinque radicibus aperientibus, extracto angelicae, card. bened., cent. minor., pulvere rhabarbari, mechoacannae albae, irid. Flor., mercurio dulci, et sulphure antimonii aurato, nec minus *mixturae temperatiores* e liquore terrae foliatae tartari vinoso, extractis vix memoratis, tinctura rhabarbari, pimpinellae albae, antimonii tartarisata, et martis helleborata, *pilulae* ex gummi ammoniaco dep., extr. trifolii fibr., fumariae, scordii, rhabarbari ellebori nigri, mercurio dulci, floribus benzoinis, oleo caieput &c., *morsuli antimoniales* KUNCKELII, *decocta* et *infusa theiformia* ex rad. parreirae bravae, saponariae, pimpinellae albae, cichorii, ligno Guaiaco, nephritico, herba hed. terrestr., marrubii albi, flor. hepaticae

icæ nobilis ac rorismarini, et aquæ minera-
es soteriæ Egranæ, Pyrmontanæ, Selteranæ
c Sedlizenses laudari merentur. Condu-
unt quoque *emplastra* quædam, loco tumi-
lo atque dolenti imposita, v. g. empl. sple-
eticum, de gummi ammoniaco, diaphoreti-
um et de galbano crocatum MYNS., nec *li-
imenta* etiam, ex spiritu cornu cervi, lumbrico-
um terrestrium, matricali, aqua cephalica imp.,
leo succini &c. composita, utilitate carent.

§. VII.

Tumorem lienis, quod hoc loco præ-
nissis subiungendum duco, interdum INTV-
IESCENTIA FLEXVRAE INTESTINI
COLI SINISTRAE, a *solis flatibus incar-
eratis*, vel ab *hisce et excrementis alvi coacer-
atis et induratis* producta, valde æmulatur,
ec raro igitur patientem ac medicum ita de-
ipit, ut eandem pro vero lienis tumore ha-
eant. Verum enim vero tumores hosce sa-
s facile ab invicem discerni posse, existimo.
Iam tumor lienis constans est, et magis in
ies magisque, nisi medelam inveniat, incre-
it, intumescentia flatuosa et flatuoso-sterco-
icea autem, quae semper cum segnitie, sicci-
tate,

tate, aut pertinaci obſtructione alvi, et plerumque etiam cum multis ventris borborygmis coniuncta eſt, pro magis minusve ſufflaminata, aut magis minusve reſtituta excretionis alvinæ libertate modo maior, modo minor evadit, immo nonnunquam penitus propemodum evaneſcit. Tumor præterea contactu mollior eſt, quam præcedens, et facilius ſub preſſione et cum murmure aliquo, quod flatus propulſi efficiunt, cedit. Nulla igitur tumida hæc atque flatuoſa adfectio hypochondrii ſiniſtri remedia aperitiva vulgaria ad ſui curationem poſtulat, ſed tota medela eius *victu tenui* et *humectante*, *iuſculis avenaceis* ac *pinguibus gelatinoſis*, *clyſteribus lubricantibus*, *cataplasmatibus emollientibus*, et deinde *laxantibus* atque *carminativis* expedienda eſt.

✣ ✣ ✣ ✣ ✣ ✣ ✣ ✣ ✣ ✣ ✣ ✣ ✣ ✣ ✣ ✣ ✣

CAP. II.

DE INFLAMMATIONE ET EXVLCERATIONE HEPATIS ATQVE LIENIS.

§. I.

INFLAMMATIO HEPATIS, alias etiam *Hepatitis* dicta, et INFLAMMATIO

LIE-

LIENIS ſive *Splenitis* ſola tantum ſede diſtinctæ ſunt, quoad eſſentiam autem, ſymptomata, cauſſas, prognoſin et curationem adeo inter ſe invicem conveniunt, ut commode hoc loco coniunctim pertractari queant.

§. II.

Proxime hæ inflammationes a *ſtaſi ſanguinis, in arteriæ hepaticæ aut lienalis ramificationibus apud diverſa individua per diverſas quoque cauſſas procatarcticas inducta*, oriuntur, ac paullo utplurimum difficilius ex tuſſi ſicca, reſpiratione difficili, ſiccitate alvi, febre continua, pro inflammationis gradu magis minusve acuta, et obſcuro quodam, fixo, atque profundo dolore gravativo, tenſivo, leniterque ardente, hypochondrium dextrum in hepatitide, ſiniſtrum in ſplenitide occupante, cognoſcuntur. Dolor hic interdum, quoties inflammatio ſcilicet in ſuppurationem abit, ensimque abſceſſum formare incipit, punctorius atque pulſatilis redditur, nec prætermittendum quoque eſt, in hepatitide haud raro ngultum, peſſimo tamen omine, ſupervenire.

§. III.

Non adeo diu adfectus uterque perdurat, sed plerumque intra septem dies ad vitam aut mortem terminatur, variumque eventum habet. Nam stasis inflammatoria interdum discutitur rursus, ac febris largo sudore aut critica diuresi feliciter solvitur, interdum vero in abscessum aut scirrhum abit, postea que febrem lentam ac tabem corporis, aut hydropem aliaque pathemata, quae exulcerationem aut insanabilem viscerum obstructionem sequi solent, adducit, et saepe denique saepius in gangraenam degenerat, aut alio modo plerasque actiones vitales ac naturales tantopere turbat atque sufflaminat, ut patiens post breve tempus necessario extingui debeat. Quando suppuratione superveniente abscessus nascitur, materia purulenta vel per alvum aut cum urina educitur, vel, facta ruptura in abdominis cavitatem effunditur, ibidemque putrescens partium, quas tangit, corruptelae occasionem praebet.

§. IV.

Curatio cum pleuritidis humidae ac verae medela maximam partem convenit, et

tem-

tempestiva inprimis, *larga*, et interdum *repetita venæsectione in brachio*, nec non *diluentium*, *resolventium*, *temperantium* ac *diaphoreticorum medicaminum*, ut et *clysmatum emollientium* usu expedienda est; non neglectis tamen *topicis resolventibus*, *discutientibus et emollientibus externis*, cuius census sunt vesica bubula, decocto lacteo emolliente et nonnihil crocato repleta, unguentum dialthææ, anodynum et clysmaticum, cum camphora largius remixtum, emplastrum diaphoreticum, oxycroceum, de gummi ammoniaco et similia.

§. V.

EXVLCERATIO HEPATIS atque LIENIS utplurimum quidem *prægressæ inflammationis* et *suppurationis* consectarium est, persæpe nihilominus *diuturnæ* pariter ac *refractariæ obstructioni*, aut *natarum hydatidum rupturæ* succedit, immo interdum a *putrescente et acri humore quodam extravasato*, sicuti istud in ascite crebro observare licet, producitur.

§. VI.

Præter singularem atque constantem morsicationis sensum in hypochondrio dextro

 aut

aut ſiniſtro, qui præcipuum ac fere unicum ſignum diagnoſticum eſt, pleraque ſymptomata, quæ in phthiſi pulmonali notantur, febris lenta videlicet, tandemque hectica, contabeſcentia corporis, virium deiectio, languor adpetitus, reſpiratio difficilis &c., ſeſe ulceribus hiſce comites adiungunt, nec memorandum quoque diſcrimen circa prognoſin occurrit, ſed phthiſis pulmonalis, iecoralis et lienalis, ſi periculum, ſanationis difficultatem, et eventum ſpectes, pari paſſu ambulant. Non novi denique ſingularem differentiam circa medendi methodum et remedia, ſed ſingula, quæ contra phthiſin pulmonalem commendata fuerunt, in hiſce etiam ulceribus proſunt.



CAP. III.

DE CARDIALGIA ET SPASMO VENTRICVLI.

§. I.

CARDIALGIA, *Morbus cardiacus*, *Paſſio cardiaca*, *Cardiogmos*, eſt adfectio ventriculi, maxime autem ſenſibilis eiusdem

ac

ac valde nervosi orificii sinistri, quod vulgo *Cardia* vocatur, spasmodico-dolorifica, flatuum incarceratione utplurimum stipata.

§. II.

Veritatem datæ definitionis symptomata, quæ morbum hunc ordinario comitantur, abunde comprobant. Aegri enim eodem correpti, præter molestissimum dolorem gravativo-tensivum ac constrictorium, quin subinde vehementem simul rodentem ac morsicantem, in scrobiculo cordis et plerumqne sub costis quoque spuriis in utroque hypochondrio notabilem inflationem tumidam sentiunt, flatuosa seu rudis materia perspirabilis, hinc inde versus latera, vel sursum atque deorsum in ventriculi cavitate propulsa, murmura nonnunquam producit, et licet exitum sæpius, nec sine doloris exacerbatione, moliatur, illum tamen rarissime invenit. Propter magnam præterea ventriculi expansionem eademque plus minus prohibitum diaphragmatis descensum, respiratio difficilis redditur, halitus acres morsicantes aut urentes et nonnunquam liquidi pauxillum vel ingestorum portio cum ructibus, qui per intervalla pro-

rumpunt, ac protinus levaminis quidquam adferunt, violenter extruduntur, immo, malo graviori reddito, aut diutius durante, conatus vomendi, vomitus actuales, quin ipsa lipothymia, praesertim si inflammatio ac febris accedant, superveniunt.

§. III.

Vehemens contractio spasmodica, quae immediatum atque formalem doloris cardialgici causam constituit, circa orificium ventriculi sinistrum, quod valde, uti antea dixi, nervosum ac reliquis ideo stomachi partibus longe sensibilius reperitur, ordinario incipit, et maxime pariter viget, inde tamen ob continuitatem tunicarum et nexum fibrarum nervearum ac muscularium arctissimum, per totum quoque ventriculum, ad ipsum usque pylorum, adeo sese extendit, ut ille etiam praeternaturali constrictione claudatur, et flatibus hac ratione exitus ubique denegetur: Immo summe probabile est, ipsum diaphragma, quod gulam circa ingressum suum in ventriculum ambit, in consensum trahi, nec solam ideo ventriculi inflationem, diaphragmatis descensum nonnihil prohibendo, spirandi difficultatem

tem provocare, sed ipsum etiam septum transversum spasmodice constrictum pulmonibus, sub inspiratione expandendis, validiori nisu obstacula ponere.

§. IV.

Originem suam memorata violenta ventriculi contractio plerumque *rosioni*, *vellicationi*, *puncturæ*, *ardori*, *aliisque stimulis* debet, quos acres et heterogeneæ materiæ, vel in ipsa ventriculi cavitate hospitantes, vel in minoribus duntaxat tunicarum vasculis sanguiferis et lymphaticis subsistentes, et tenacius subinde impactæ, fibris nerveis inferunt. Ad caussas materiales priores, quæ in ipsa scilicet ventriculi cavea delitescunt, *cruditates pituitoso-acidæ* aut *fervidæ biliosæ*, aut *rancidæ*, nec minus *venena caustica* aut *constrictoria* pertinent; posterioribus vero retenta, vel retropulsa, *impuritas rheumatica*, *scabiosa*, *scorbutico-purpurata*, *arthritica*, et *exanthematica varia* accenseri meretur.

§. V.

Saburra acido-mucida, quæ genesi *cardialgiæ flatulentæ*, *strictius sic dictæ*, ansam

ſuggerit, et eſculentis craſſis, viſcidis, leguminoſis, fructibus horæis, præſertim immaturis, itemque potulentis, fermentatione paratis ac valde fæculentis præcipuos debet natales, duplici modo, nimirum ſub conſiſtentia craſſiori, et ſubtilioris pariter halitus forma, ventriculum, maxime autem orificium eius ſiniſtrum, adficit, ac ſtimulo moleſto ad violentas contractiones cogit. Craſſiores enim moleculæ, cauſticis particulis impraegnatæ, ob glutinoſitatem ventriculi tunicis tenacius adhærent, ſubtiliores vero atque volatiles aqueo-acidæ, ſenſim ſenſimque in materiam halituoſam reſolutæ, et quaquaverſum propulſæ, ventriculum non tantum magnopere expandunt, ſed hinc inde etiam allidentes et impingentes iteratis puncturis ſpasmodicas fibrarum nervoſo-muſcularium contractiones provocant: Vnde facillime etiam ratio reddi poterit, cur in hac ſpecie, in qua flatus copioſi adſunt, frequentes audiantur borborygmi, cur ventriculi inflatio maior ſit, quam in ſpeciebus reliquis, et cur ructus denique, identidem prorumpentes, notabilem doloris remiſſionem adferant.

§. VI.

§. VI.

Aliam *materia fervida* atque *corrupta biliosa* originem agnofcit, aliamque etiam in ventriculi tunicas impreffionem facit. Nafcitur quippe et in ventriculum defertur, quando bilis e cyftide, fub iracundia graviori fpasmodice conftricta, largiori copia, maximoque impetu in duodenum exprimitur, et portio aliqua, violento, præternaturali ac paullulum inverfo motu periftaltico inde per pylorum in ventriculi cavitatem protruditur, ubi paullatim maiorem acredinem atque fervorem nancifcitur, tandemque fingulari ardore prædictum ventriculi fpasmum producit; quare ægri etiam, hac fpecie laborantes, conftanter faporem quendam amarum in ore fentiunt, frequentes vomendi conatus et moleftam in ventriculo morficationem experiuntur, de ructibus valde amaris et quafi urentibus querimonias gerunt, immo flavum, fubviridem, nigricantem humorem, perfæpe tamen mucagine remixtum, fi actuales nempe vomitus quandoque superveniant, cum maxima naufea reiiciunt. Quibus neceffario tamen adhuc fubiungendum erit, fervidam hanc atque amaram hanc faburram, vomitu reiectam, non

ſemper veram bilem, ſed ſubinde *pravam* dun-taxat *oleorum unguinoſorum* atque *pinguedi-num progeniem* eſſe. Memoratæ enim ſub-ſtantiæ, copioſius ingeſtæ, in ventriculis de-bilioribus facile ranceſcunt, et ipſis hac cor-ruptione amarities et acrimonia, bilioſæ ana-loga, conciliatur *a*).

§. VI

a) „Olea, BOERHAAVIUS *in Prælect. acad. propr. Inſtit. rei medicæ ab* HALLERO *edit. Vol. I.* p. 254. *ſcribit*, „ob copiam ſuam, aut inertiam ven-„triculi, ſequentia ſpontaneas ſuas mutatione-„ranceſcunt, indolem induunt ovi putridi. S-„adſumſeris butyrum frixum inſolita copia, ne-„que ſuperbiberis potus acidi quod ſufficia-„abibit in liquamen acre, putridum; plane ſ-„mile illi, quod ex butyro, in aere tepido, hau-„diligenter adſervato, virideſcente cruſta obdu-„citur, et acerrime ranceſcit, et deguſtatum p-„horam ingratum ſaporem relinquit. Ex e-„liquamine, in ventriculo ſtagnante, adſcendun-„ructus, urentes, amariſſimi, et regurgitat mate-„ria inflammabilis, quam perperam ſolent B-„lem vocare. Similis putredo omnino oritu-„ex lardo vetere, ovis non recentiſſimis, aut a-„ſatim adſumtis, piſcibus pinguibus &c. Se-„bilem male vocari, ideo adparet, quod bil-„quidem ignem iniecta exſtinguat, quem ranc-

§. VII.

Cardialgia, ab adſumtis *venenis mineralibus* aut *vegetabilibus* producta, maioris adhuc momenti exiſtit, et gravius longe, quam praecedentes, vitae periculum adfert. Venena mineralis proſapiae, quae, ceu potentiora, maiorem, quam vegetabilia, annotationem hoc loco merentur, vel *conſtrictoria* audiunt, vel *cauſtica* ac *corroſiva*. Haec, quorum ſpecies potiores ac notiores arſenicum, mercurius ſublimatus, concreta quaedam antimonii ſulphureo-regulina, ſpiritus acidi ſalis, nitri, vitrioli &c. conſtituunt, valde acutis ac rigidis gaudent particulis, adeoque protinus poſt ingeſtionem tunicas ventriculi, quibus pertinaciſſime adhaereſcunt, altiusque inſiguntur, violentiſſime invadunt, et horrendis ſuis puncturis, roſionibus, eroſionibus, immo corroſionibus intra breve tempus efficiunt, ut graves hinc inde inflammationes naſcantur, et tunica ventriculi muſculoſo-nervea in vehementiſſimas con-

„da materia alit. Neque facile naſcitur in ro„buſtis corporibus et bilioſis; facillime in debi„libus, hypochondriacis, et quibus bilis iners „eſt.

contractiones ruat. Venena mineralia constrictoria, quibus maxime saturnina, plumbum v. g., igne fortiori in halitus resolutum, minium, cerussa, lithargyrium, concreta vitriolica et aluminosa rudiora &c. adnumerantur obtusiori quidem principio acido-terreo aut acido-metallico austero, styptico, gaudent ac languidiorem proinde tardioremque operationem exercent, maximas nihilominus ac contumaces constrictiones spasmodicas, quibus saepe inflammationes et refractariae vasorum atque meatuum obstructiones iunguntur concitant.

§. VIII.

Respectu sedis et specificae pariter indolis causae materialis *cardialgia rheumatica*, *scorbutico-purpurata*, *arthritica*, *scabiosa* et *varia exanthematica* magis minusve distincta reperitur. Nam vellicans materia non in ipsa stomachi cavitate hospitatur, sed in tubulis sanguiferis atque lymphaticis, ventriculi tunicas perreptantibus, subsistit, et inimico stimulo spasmodicas contractiones producit. Non gignitur praeterea in ventriculo, sed illuc cum sanguine et lympha, quibus largius immixta hae-

hæret, circuli ope transfertur, præſertim, quando, imminente critica excretione, aut ſa-utari dudum ad habitum cutaneum, vel, quod circa arthriticam præcipue valet, ad articula-tiones metaſtaſi facta, pori cutanei, admiſſo rigore, aut terrore, vel incongruis etiam re-pellentibus et obſtruentibus externe adplica-tis, repente clauduntur, et inverſo motu tu-bulorum tonico, impuritates eliminandæ, aut pridem ad corporis limites translatæ, rurſus ad interiora retropelluntur. Fieri tamen nonnunquam ſolet, ut notabilis harum impu-ritatum portio, ab humoribus abrepta et ad ventriculum deducta, absque prævia ad cutem et articulos depoſitione, in ventriculi vaſcu-lis ſub perenni humorum tranſitu fortuito ſub-ſtat, et ſpasmos cardialgicos ſuſcitet. Sin-gulæ cæteroquin hæ cardialgiæ ſpecies, ſi rheumaticam exceperis, quæ iterum citius plerumque atque facilius ceſſat, ob pertina-cem materiæ copioſæ, craſſæ ac valde acris adhæſionem, difficillime curantur, ac multos patientes, accedente inflammatione ac febre, in vitæ diſcrimen præcipitant.

§. IX.

§. IX.

Præter hactenus commemoratas cardialgiæ idiopathicæ ſpecies adhuc alia, quæ modo idiopathica, modo conſenſualis exiſtit, frequentiſſime, præſertim apud infantes teneriores, occurrit, quæ nullam plane cauſſam materialem agnoſcit, ſed a ſola privativa, *nimia* videlicet *per potulenta gelida* aut *aerem frigidum*, ſub ventoſa inprimis tempeſtate receptum, vel per *externam* duntaxat *abdominis refrigerationem* inducta, *caloris imminutione, eamque protinus apud ſubiecta ſenſibiliora excipiente ſpasmodica fibrarum* ac *membranarum contractione*, derivanda eſt. In caſu poſteriori, ubi ex ſola abdominis refrigeratione oritur, ſtrictura ſpasmodica non in ventriculo, ſed potius in externis abdominis integumentis ſua primordia habet, indeque ad involucra muſculorum abdominalium et connexum peritonæum ac meſenterium, quod poſtremum a peritonæo originem ducit, et denuo ventriculi et inteſtinorum tunicam externam format, ad interiores ventriculi tunicas propagatur.

§. X

§. X.

Curatio duabus indicationibus generalioribus nititur, quarum prima *communis caussæ formalis*, *spasmi* scilicet, altera *variæ* atque *specificæ caussæ materialis emendationem* ac *remotionem* respicit. Obtinendæ caussæ primæ *antispasmodica* et *emollientia* oleosa, pinguia, mucilaginea, tum interna, tum externa, inserviunt. Inter externa sese præ reliquis *cataplasmata* et *fomenta* ex rad. althææ, lilior. alb., herba ac floribus chamomillæ vulg., flor. sambuci, meliloti &c., cum lacte coctis, parata, et scrobiculo cordis tepide adplicata, commendant; locum tamen etiam inveniunt et egregiam quandoque utilitatem præstant *unguenta* et *linimenta* ex oleo amygd. dulcium, aut lini expresso, oleo infuso chamomælino, lilior. alb., verbasci, pulvere croci, ac paucis guttulis olei destillati carvi, cumini, menthæ, citri Italici &c., nec non unguentum dialtheæ et anodynum. Non carent etiam utilitate *clysteres emollientes*, immo in casu graviori et rebelli, præsertim si plethora adsit, aut inflammatio immineat, ipsa pariter *phlebotomia* necessaria reperitur. Quod interna autem attinet, illis non tantum *emollientia* quædam,

iuscula

iuſcula v. g. avenacea tenuiora, cum radice althææ aut floribus chamomillæ cocta et ſpermate ceti aut oleo amygdalarum dulcium recenti pinguia reddita, nec minus electuaria ex eodem oleo, ſpermate ceti, et pauxillo pulveris rhabarbari ac croci orientalis &c., ſed alia etiam *antiſpasmodica* et *leniora diſcutientia*, v. g. pulveres ex nitro depurato, ſem. fœniculi, ſantonici, aniſi ſtellati, croco &c., ſpiritus nitri dulcis rite pptus, vel ſolus, vel eſſentia menthæ, meliſſæ, flor. chamomillæ Rom., cort. citri, aurantiorum, theriacali &c. modice remixtus, et huius commatis plura accenſentur: Circa uſum tamen eorum probe adhuc notandum venit, oleoſa, pinguia, et tincturas ſpirituoſas, præſente fervida materia binioſa aut rancida, plane exulare debere, ac tenuiora duntaxat gelatinoſo mucilaginea, decocta avenacea et hordeacea, et purum ac ſolitarium ſpiritum nitri dulcem, vel huius etiam loco debite dulcificatum ſalis ſpiritum in uſum trahenda eſſe.

§. XI.

Antiſpasmodicis hiſce diverſæ indolis alia, quæ cauſſam irritantem præcipue corrigunt

gunt, tum addi debent, tum interponi. Ad emendandam nimirum ac deſtruendam ſaburram acido-mucidam, rudemque materiam perſpirabilem diſcutiendam prae reliquis apta inveniuntur *terrea alcalina*, *ſalina incidentia mediae naturae* et *carminativa*, cuius cenſus v. g. ſunt radix iridis Florent., curcumae, galangae, leviſtici, angelicae, cortex caſcarillae, eſſentiae antea recenſitae, eſſ. caſtorei, carminativa WEDELII, liquor anodynus mineralis, ſpiritus ſalis ammoniaci aniſatus et ſimilia. Adſumtis venenis cauſticis ac conſtrictoriis mineralibus, *oleoſa*, *pinguia*, et *ſalina alcalia*, v. g. lac recens tepidum, oleum olivarum, amygdal. dulcium, dilutior ſolutio ſalis tartari aquoſa &c. ſeſe ſpecifice commendant. Praeſente denique impuritate fervida billoſa, aut rancida, praeter emollientia ac demulcentia, *acidula* maxime et *temperantia nitroſa* proſunt, et ſic *diaphoretica* pariter, *potentiora ſudorifera*, *diuretica*, *diluentia*, *antiſcorbutica* &c., alibi ſaepius allegata, ſimul in auxilium vocanda erunt, quando ſubſiſtens retenta aut retroacta materia acris rheumatica, ſcabioſa, purpurata, arthritica, ſcorbutica &c. hoſtilis ſtimuli cauſſa exi-

ſtit. Spasmo perfecte remittente, debiteque praeparata impuritate vellicante, interdum *laxantia* quoque, aut *leniora emetica* neceſſaria iudicantur, ne maſſa heterogenea, in ventriculi cavo relicta, priſtinas nocendi vires recuperet, novasque ſtimulo ſuo turbas concitet.

§. XII.

Cum cardialgia reliquae VENTRICVLI ADFECTIONES SPASMODICAE multa quidem communia habent, ordinario tamen contumaciores ſunt et latius extenduntur, nec ſolum orificium ſiniſtrum, ſed totum plerumque ventriculum magnopere torquent. Silentio praeterea minime praetermittendum eſt, illas non tantum a cauſſis ſupra memoratis, ſed ſubinde etiam a *vermibus* oriri, nec raro pariter mere conſenſuales exiſtere, et *venae portarum, lienis, vaſorum brevium, vaſorum meſeraicorum &c. obſtructiones* aut *infarctus* cauſſas agnoſcere, vel *defectui, ſuppreſſioni, variisque aliis fluxus menſtrui* aut *haemorrhoidalis anomaliis* ortum ſuum debere. Vnde clare etiam pateſcere opinor, quod curatio earum interdum valde differat,

e

et ſaepe ad ſolius morbi primarii ſublationem aut imminutionem dirigenda ſit.



CAP. IV.

DE

ARDORE ET INFLAMMATIONE VENTRICVLI.

§. I.

ARDOR VENTRICVLI, vulgo *Soda* appellatus, in doloroſa ac plane ſingulari ventriculi morſicatione, igneo ardori magis minusve aemula, conſiſtit, et *acri cuidam humori rodenti* aut *ſimilis naturae materiae flatuoſae* ortum debet. Interdum, et quidem frequentius, rodens ac vellicans haec materia *acidae*, interdum *rancidae* aut *bilioſae* indolis eſt; hinc moleſta haec affectio apud ſubiecta ſenſibilia atque diſpoſita non antum largiorem acidorum ac fermentescibilium aſſumtionem ſequitur, ſed ſaepe etam oleoſorum ac pinguium, praeſertim uſtuatorum ingeſtioni, nec minus praegreſſae racundiae ſuccedit. Non premendum

quoque erit ſilentio, memoratam ventriculi morſicationem ac roſionem haud raro ab *acri impuritate ſcorbutica* et *purpurata*, ex humoribus circulantibus per glandulas aliaque emiſſaria ad ventriculi cavitatem depoſita, ſuſcitari; imo haud ignorari oportet, ardentem ac morſicantem hunc dolorem poſt cuiuscunque eſculenti, potulenti, condimenti ac medicamenti ſalſi, acris aut aromatici aſſumtionem naſci poſſe, quando mucus ventriculi naturalis propter glandularum obſtructionem deficit, vel crebriori emeticorum uſu ablatus eſt, et denudata igitur tunica villoſa eidemque ſubſtrata nervea quibusvis corporum acriorum iniuriis expoſita eſt.

§. II.

Contra hunc affectum utplurimum quidem remedia *terrea antacida*, morſuli v. g. contra ardorem ſtomachi off., nec non pulveres e conchis ppt., lap. cancr., magneſia alba et ſimilibus adhibentur; at uſum haec ipſa univerſalem minime obtinere, ſed pro diverſo materiae rodentis genio alia etiam atque alia in uſum trahenda eſſe, ex antecedentibus facile intelligitur. Peccant enim

enim humore tenui vel rudiori materia rancida aut biliosa, *nitrosa* pariter, quin ipsa aliquando *acidula* necessaria inveniuntur. Reticere etiam nequeo, *sacharum Canariense*, post pinguium esum ad frustum unum alterumve assumtum, rancorem ingestorum pinguium et inde metuendum ventriculi ardorem egregie avertere: Vt nihil de *gelatinosis* et *mucilagineis demulcentibus*, nec quicquam etiam de *diluentibus*, *edulcorantibus*, *diaphoreticis*, *diureticis*, *laxantibus* aliisque pharmacis dicam, quorum priora deficientis muci naturalis munia subeunt, et symbolum suum ad restitutionem eius conferunt, posteriora autem corrigendis et eliminandis quisquiliis humorum scorbutico-purpuratis specifice dicata sunt.

§. III.

Expositum affectum ventriculi leviorem ipsa INFLAMMATIO eius periculo et symptomatum atrocitate longe superat, plurimisque, quos corripit, necem affert. Exorta enim ominosa hac inflammatione confestim febris peracuta accenditur, cum aestu ingenti, creberrima et anxia corporis

iactitatione, vigiliis pertinacibus ac siti fere inexplebili. Adsunt praeterea tumor quidam in praecordiis et dolor insignis atque profundus circa ventriculum sub costis spuriis, urgent anxietates cardialgicae et hisce tandem, nisi citissima ac fausta feratur medela, vomitus, deliria, convulsiones, animi deliquia, sudores gelidi, et alia funesta symptomata accedunt. Non adeo diu quoque hic morbus perdurat, sed ordinario intra tres vel quatuor dies ad vitam aut mortem terminatur. Si eventum salutarem habet, sanguinis quiescentis et impacti discussione ac critico sudore solvitur, superveniens autem gangraena semper patientem vita privat, et suppuratio quoque, quae rarissime tamen accidit, anceps in hac inflammatione et plerumque exitiale naturae remedium est.

§. IV.

Generandae huic inflammationi quamplurima, quae aliarum partium inflammationes producere solent, apta inveniuntur, prae reliquis nihilominus potus gelidus, post fortem motum magnamque corporis incalescentiam ingestus, ingurgitatio vini aliorumque spi-

ſpirituoſorum, nec non data purgantia et emetica poſt proxime praegreſſam iracundiam vehementiorem, uſus intemperantior acrium et aromaticorum apud ſubiecta cholerica atque plethorica, et aſſumta venena cauſtica, in cenſum cauſarum veniunt: Nec raro etiam accidit, ut valde acres impuritates exanthematicae, petechiales nempe, purpuratae, varioloſae, rubeoloſae &c., nec minus arthriticae et pravi huius genii plures ad interiora retroactae ac largius ad ventriculum delatae, ſonticae huius inflammationis genitores evadant.

§. V.

Venaeſectio, in brachio mature adminiſtrata, eaque largior et ſemel ſubinde iterumque repetita, praecipuam in periculoſa hac inflammatione remedium eſt. Huic *diluentia*, *demulcentia* et *temperantia*, lenioribus *diaphoreticis* maritata ac tepide aſſumta, emulſiones nimirum ex aquis diapnoicis et refrigerantibus, amygdalis dulcibus, ſeminibus quatuor frigidis maioribus et minoribus, ſeminibus card. benedicti, papaveris albi, &c., decocta ex radice althaeae, cichorii, taraxaci, tuſſilaginis,

ginis, ſcorzonerae, raſurae C. C., eboris, et flavedine corticis citri, ſerum lactis dulce et ſimilia ſuccedere debent. Quod nitrum vero et ſalia reliqua neutra, quorum uſus largior in plerisque aliarum partium inflammationibus, cum febre inprimis complicatis, utplurimum quidem utiliſſimus, quin valde nonnunquam ad ſanguinem denſum viſcidumque reſolvendum neceſſarius eſt, in ventriculi inflammatione potiunculis et emulſionibus parciſſime addenda ſunt, ne nimia irritatione ſua immediata fibrarum ſtricturam adeoque cruoris incarcerationem et inflammationem augeant. Expedit etiam, cuivis horum medicaminum aſſumtioni copioſiorem potulenti cuiusdam tepidi aqueo - mucilaginei et gelatinoſi hauſtum ſubiungere, ut ſalia nonnihil contemperentur magisque diluantur, ac citius ad humores circulantes transferantur. Non ſupervacaneum denique, ſed valde potius utile erit, ſi internorum uſui externa applicatio *fomenti emollientis*, veſicae bubulae v. g., decocto lacteo florum chamomillae vulgaris, fl. ſambuci &c. repletae, accedat, ut ſtrictura fibrarum inſolentior quantocyus relaxetur.



CAP. V.

DE VITIIS APPETITVS.

§. I.

APPETITVS VITIOSVS in genere ad *imminutionem* aut *plenariam abolitionem* aut *depravationem* aut *nimium augmentum* redit, et *Dyſorexiam* proinde, *Malaciam*, *Anorexiam*, *Picam*, *Bulimiam* et *Cynorexiam* ſub ſe complectitur.

§. II.

Anorexia, alias etiam *Apoſitia* et *Aſitia* nuncupata, ſolo tantum gradu eminentiori a *Dyſorexia* diſtincta reperitur. Haec enim magis ſaltim minusve imminuta ciborum appetentia eſt, illa autem perfectam appetitus proſtrationem et maximum omnium eſculentorum faſtidium denotat.

§. III.

Dyſorexiae pro mea ſententia haud inepte etiam *Malacia*, tanquam ſpecies, iungi

 poterit,

poterit, quoniam nihil aliud eſſe videtur, niſi faſtidium ciborum particulare atque determinatum, ſive appetitus languidus et circa certa tantum alimenta, eaque utplurimum conſueta, vulgaria ac minus delicata, imminutus. Scio quidem, ſcriptorum pleroſque malaciam ſimpliciter ad depravati appetitus ſpecies referre, eamque ideo et picam eodem prorſus loco collocare: veruntamen non diffiteor, magis mihi in hac parte praedictam et quodammodo etiam analogicam WEDELII ſententiam placere, qui malaciam quoque a pica notabiliter diſtinguit et appetitum duntaxat alicuius rei nauſeabundum vocat: „Notari, *inquit,* a) etiam poteſt differentia inter Κίτταν ſeu Picam, et Malaciam. Κίττα „denotat depravatum alimentorum appetitum intenſum, peccantem gradu maiori. „Μαλακία vero eſt appetitus nauſeabundus „rei alicuius, quam quis eligit, quia alia ipſi „adverſantur, iudicans, quod hoc alimento „ſit uſurus. Hinc e. g. pica erit, ſi quis „dicat: niſi hoc fruar, moriendum mihi eſt, „aut ſi hoc conſequar, convaleſcam. Ma-

„lacia

a) In *Pathologia medica dogmatica Sect. III. Cap. II. p. 466.*

„lacia vero, ſi quis dicat: neſcio, quid „comedere debeam, ſed ſi quid comedere „neceſſum ſit, videtur mihi, quod illud vel illud accepturus ſim. &c.„

§. IV.

Frequentius expoſita appetitus vitia inter aliarum aegritudinum ſymptomata, quam morbos primarios ac ſolitarios, militant, et quotidiana pariter obſervatio docet, appetitum ciborum decreſcentem plerorumque aliorum morborum adventum praeſagire, reſurgentem ex adverſo ſive revertentem remiſſionis aut perfectae ceſſationis adeoque convaleſcentiae indicem eſſe: immo medicorum nulli ignotum eſt, ex maiori et minori appetitus deiectione ſaepe ſaepius morborum, praeſertim acutorum, magnitudinem et periculi gradus cognoſci.

§. V.

Aetiologia dyſorexiae ſymptomaticae paſſim ſub aliarum aegritudinum tractatione diſcenda erit, et hoc igitur loco ob ingentem varietatem ſuam ac prolixitatem explicari nequit: Quod idiopathicae vero cauſſas pro-

proximas attinet, illae ad *imminutum*, aut *plane abolitum*, aut *valde perturbatum ventriculi affrictum, similemque motum periſtalticum*, et hic rurſus *ad univerſi ſyſtematis nervoſi imbecillitatem*, aut *magnam fibrarum ventriculi flacciditatem*, aut *cruditates varias, mucidas, mucido-bilioſas, rancidas, putridas* &c., in cavitate ventriculi ſtabulantes, rugisque paſſim interpoſitas, ac non ſolum mole ſua totum ventriculum onerantes, mutuamque in rugis parietum approximationem impedientes, ſed vario etiam ſtimulo motum periſtalticum pervertentes, redit *a*). Nec praetermitti quoque oportet, motum periſtalticum perſaepe ſpaſmis, in hyſteralgia, paſſione hypochondriaca et ſub variis haemorrhoidum ac catameniorum anomaliis conſenſualiter per nervos et ſub impetuoſa pariter cruoris congeſtione productis, magnopere perverti, et memorata igitur pathemata frequentes, nunc manifeſtas, nunc clandeſtinas, dyſorexiae cauſſas evadere.

§. VI

a) De cauſſis procatarcticis ſcitu neceſſaria in Capite ſtatim ſubſequente videnda ſunt.

§. VI.

Sanandae anorexiae et dyſorexiae idiopathicae interdum, abſente videlicet cruditatum colluvie et eminentiori tantum ventriculi atonia peccante, praeter *diaetam congruam*, ſola *roborantia ſtomachalia* ſufficiunt, interdum vero ac paullo quidem frequentius, confortantibus varia medicamenta, quae cruditates collectas *incidendo*, *temperando*, *invertendo* corrigunt, et per ſuperiora poſtmodum aut inferiora educunt, praemittenda ſunt. Ad confortantia quaevis fere *amara*, *balſamica* et *aromatica* ſpectant, ad formam tamen variam redacta, et ieiuno inprimis ventriculo, vel etiam paullo ante aut poſt paſtum adſumta, *maſticatoria* nimirum ex rad. angelicae, galangae, mace, cinnamomo, aniſo ſtellato, cardamomo minori, flavedine cort. citri et aurantiorum, myrrha genuina, rhabarbaro orientali &c., nec non *mixturae concentratae ſpirituoſae* ex eſſ. abſinthii compoſita, gentianae rubrae, trifol. fibr., caſcarillae, aloes, myrrhae, cort. citri, aurantiorum, meliſſae, cinnamomi, croci &c., *mixturae temperatiores* ex vino, arcano tartari impraegnato, et extractis amaris, *electuaria* ex ſyrupo de

de cinnamomo, melissae, cort. citri, aurantior., rob. iuniperi, electuario de baccis lauri, diacoro, stomachico cum cinnamomo, extr., cent. minor., scordii, card. bened., pulvere rhabarbari, croci, sem. santonici, foeniculi, anisi stellati, cinnamomi, cascarillae, rad. ari, galangae, spec. aromat rosat., dianthos, diaxylaloes, diambrae, oleo aethereo cinnamomi, maioranae, menthae, citri Italici, caryophyllorum &c., *morsuli*, ex sacharo, myrrha genuina, sem. santonico, et cinnamomo vel ex sacharo etiam, cortice Peruviano et semine foeniculi compositi, *pilulae* ex aloe violata aut rosata, myrrha genuina, balsamo Tolutano, extractis amaris et vix memoratis pulverulentis et oleis balsamicis, *infusa vinosa* ex variis pariter speciebus amaris, balsamicis atque aromaticis et sic porro.

§. VII.

Memoratis interdum cum insigni etiam fructu et energiae augmento *adstringentia mitiora*, ut grana chermes, et succus inde paratus, cortex Peruvianus, vinum rubrum Gallicum, vulgo *Pountac* dictum, tincturae martiales &c., nec non *acria*, quaedam et *acidula*

sti-

ſtimulantia, radix ari v. g., eff. pimpinellae albae, ſemen ſinapi, ſal acetoſellae, ſpiritus nitri et ſalis dulcificatus &c. iunguntur, immo, externa linimenta ex ſpiritu matricali, aqua virtutum, cephalica imp., maſtichina, et balſamo vitae, aut oleis deſt. maioranae, carvi, menthae &c., ut et emplaſtra, ex allegatis oleis aethereis, oleo nucis moſchatae expreſſo, balſamo Peruv., Tolutano, et emplaſtro de cruſta panis aut de baccis lauri Off. compoſita et epigaſtricae regioni adplicata, multum perſaepe ad ventriculum roborandum et adpetitum revocandum conferunt.

§. VIII.

De pharmacis diverſis, cruditatum diſcrepantium emendationi, praeparationi et eiectioni deſtinatis, nulla ſpecialia hoc loco recenſebo, ſed, Lectorem ad Caput ſequens, ubi uberior eorum mentio fit, ablegans, de PICA, quae paſſim quoque in ſcriptis medicis *Ciſſa*, *Citta*, Κίττα, κίττωσις dicitur, loquar. Eſt autem haec ipſa adpetitus depravatus, ſubiectis ſequioris ſexus et maxime gravidis quibusdam, praeſertim ſtatim poſt conceptionem et tribus primis menſibus, familia-

miliaris, qui in eo consistit, ut res, ab esu humano plane alienas, calcem v. g., carbones, cretam, corium, picem liquidam, araneas, pisciculos vivos, carnes crudas &c., vel alimenta usitata quidem, ast in longe maiori, quam par est, quantitate, aut incongruo prorsus anni tempore, cerasa v. g., fraga, uvas, similesque fructus horaeos mense Decembri &c. tam flagrante desiderio appetant, ut saepe, si rerum desideratarum non potiantur, in animi deliquia incidant, immo facillime, si uterum gerant, naevos in embryones suos derivent. Notatu quoque dignum est, picam apud gravidas non tantum circa gustum, sed interdum quoque circa auditum, olfactum et tactum a practicis observatam fuisse; quae species tamen nequaquam huius loci sunt, sed ad alia aegritudinum capita remitti debent.

§. IX.

Oritur in anima insolitum atque corruptum hoc desiderium a *singulari nervorum irritatione*, et *perverso* inprimis *ventriculi motu peristaltico*, quem apud gravidas, et apud alias quoque foeminas sub fluxus menstrui anomaliis partim *cruor abundans* ac *viscidus*

im-

impetuoſa verſus ſtomachum congeſtione, partim *impurus liquor gaſtricus*, recrementis pituitoſo - acidis, aut bilioſis, aut putridis magis minusve inquinatus, ſuſcitat. Fieri támen ſubinde poteſt, ut ſola ſanguinis congeſtio, aut ſola ſaburra ventriculi heterogenea depravatae huius appetentiae cauſſa exiſtat, immo valde probabile eſt, primarium quandoque fundamentum unice in anima latitare, dum noto notius eſt, quod affectio haec longe frequentius apud pueros, puellas, virgines ac foeminas imbecillioris iudicii, aut delicatas molliterque educatas, quam apud viros et confirmati iudicii homines, naſcatur.

§. X.

Curatio huius morbi partim moralis, partim pharmaceutica et chirurgica eſſe, et ita in genere dirigi debet, ut nonſolum foror appetibilium idea deleatur, aut aliqua tamen ſatisfactione innocua nonnihil minuatur, ſed materialis quoque irritationis motusque periſtaltici perverſi cauſſa auferatur, aut mitigetur. Ad auxilia moralia *congruae leresque perſuaſiones*, ac *varia ſtratagemata medica* pertinent; chirurgico - pharmaceuticis

remediis autem, habita tamen prudenti cauſ-ſae materialis et individuorum ratione, *ve-naeſectio*, *laxantia* ex rhabarbaro, mechoacan-na alba &c., *leniora emetica* ex radice ipeca-coanhae, *terrea antacida*, *temperantia nitroſa* et *acidula*, ut et *temperatiora amaricantia* at-que *balſamica*, quorum alia ſanguinem abun-dantem corpori detrahunt, et congeſtionis impetum refrenant, alia cruditatem ventricu-li differentem corrigunt, et ſtomachi fibras nervoſas ac muſculares confortant, accenſen-da veniunt. Circa phlebotomiam caetero-quin et emetica probe notari debet, haec, et-iamſi inter ea tantummodo eligantur mitiſſima apud gravidas, propter metum abortus, ra-riſſime cum ſecuritate perfecta exhiberi, ne illam quoque apud eadem ſubiecta primis menſibus promiſcue adminiſtrari poſſe, ſed ſemper ad robur patientis, ad maiorem mi-noremve naturae propenſionem ad vomen-dum, nec minus ad gradum plethorae reſpi-ciendum eſſe.

§. XI.

CYNOREXIA, *Cynorexis*, *Orex-cynodes*, *Fames canina* et BVLIMIA, *Bul-mu*

mus, *Fames bovina* multis ſcriptoribus mera ſynonyma ſunt; at, notabile omnino diſcrimen cynorexiam et bulimiam intercedere, ex ſymptomatibus quibusdam clare patet. *Cynorexia* enim (a *κύων*, *canis* et *ὄρεξις*, *appetitus)* vehemens ac fere inſatiabile comedendi deſiderium eſt, cui poſt magnam atque praecipitatam ventriculi repletionem vomitio aut alvi deiectio ſuccedit, qua ingeſta cruda ac parum vel nihil ſubacta rurſus eiiciuntur. *Bulimia* vero (a *βοῦς*, *bos* et *λιμὸς*, fames), ingens quidem ac tantum ciborum deſiderium eſt, ut, retardata aliquantulum eorum adſumtione, lipothymia immineat, quin vere ſuperveniat, nulla tamen ingeſtionem vomitio aut alvi deiectio ſequitur, ſed adſumta, niſi perfecte, nonnihil tamen, ſubiguntur.

§. XII.

Cauſſa proxima ad *vehementem rugarum ventriculi attritum*, ac *iuſto auctiorem motum periſtalticum*, quem *liquor gaſtricus*, *acrius quisquilis nimium refertus* et interdum quoque *vermes*, praeſertim lumbrici, ex inteſtinis in ventriculum prorepentes, ſtimulatorio excitant, redire videtur. Acrimonia

memorata plerumque acidae indolis eſt; hinc praeternaturalis quoque haec veſcendi aviditas frequentius apud homines, qui acidorum adſumtioni nimium indulgent, naſcitur, nec raro pariter in paſſione hypochondriaca et febribus intermittentibus, ex acido-mucoſa ſaburra praecipue oriundis, obſervatur. Nolo tamen dicta ita accipi, ac ſi ſolam ſemper acrimoniam acidam exaltatam adcuſandam eſſe ſtatuerem, ſed dixi ſaltim, plerumque penetrantes humores acidos inſolitae eſuriei cauſſam materialem conſtituere. Nam probe ſcio, alias etiam quisquilias acres, e ſanguine ad cavum ventriculi, aut tunicarum duntaxat vaſcula depoſitas, ſtimulo vario violentiorem nonnunquam rugarum ventriculi attritum ſuſcitare, et aliquando igitur praecipuas cynorexiae ac bulimiae cauſſas evadere.

§. XIII.

Circa auxiliandi methodum in duobus hiſce adfectibus nullum plane diſcrimen occurrit, et potiora remedia ex *antacidorum* ac *demulcentium* claſſibus deſumenda ſunt. Ad antacida hoc loco non tantum terrea alcalina conchae v. g., lapides cancrorum, magneſia

alba

alba, morſuli contra ardorem ſtomachi off., &c., ſed alcalia etiam ſalina, tinctura ſcilicet tartari, metallorum, antimonii tartariſata et oleum tartari per deliquium, multa aqua dilutum, ad demulcentia vero mucilaginea, gelatinoſa, pinguia, et oleoſa ſpectant, immo hiſce interdum, craſſiori nimirum ſaburra ſimul præſente, *emetica leniora* et *laxantia* e radice ipecacoanhæ et rhabarbaro, præmiſſis tamen prædictis corrigentibus, iungi et interponi debent. Vt nihil de *diluentibus*, *expellentibus* aliisque pharmacis dicam, quæ, facto forſan impuritatis alterius decubitu ad ventriculum, aut malo hypochondriaco, aliove morbo complicato, in auxilium trahenda ſunt.



CAP. VI.

DE LAESA ALIMENTORVM DIGESTIONE.

§. I.

DIGESTIO LAESA, quæ vitioſæ eſculentorum appetentiæ utplurimum iun-

cta reperitur, apud ſcriptores medicos modo *Apepſia*, modo *Dyſpepſia*, modo *Bradypepſia* audit. Apepſia (ab *α priv.* et πέπτω, coquo) dicitur, quando nulla prorſus ciborum in ventriculo concoctio fit, ſed illi, cum anxia circa præcordia gravitate, tamdiu ibidem crudi remanent, donec mediante vomitu denuo reiiciantur, aut ſenſim, citra ullam pariter digeſtionem, per alvum excludantur. Dyspepſia (a δὺς, *difficile*, et πέπτω) gradum apepſiæ minorem, adeoque imminutam ſaltim et imperfectam alimentorum reſolutionem denotat, et Bradypepſia denique (a βραδὺ *tardum* et πέπτο) appellatur, quando adſumta admodum tarde reſolvuntur, nec ſemper itaque in ſuccum alibilem temperatum atque ſalubrem mutantur, ſed ſæpe, propter moram in ventriculo diuturniorem, corrumpuntur, et pro diverſa atque ſpecifica natura ſua vel aceſcunt, vel rancida evadunt, vel plane putreſcunt.

§. II.

Cauſſæ digeſtionis læſæ generatim vel ad *cibos adſumtos*, vel ad *ipſa chymificationis organa, caeteraque reſolutionis media* referendæ

dæ ſunt. De nocumentis, quæ alimenta, vel *nimia ſua copia*, vel *prava qualitate*, vel *incongrua atque perverſa adſumtione* digeſtionis negotio afferunt, ſeorſim agere ſuperſedeo; quod cauſſas vero reliquas, ad vitia organorum redeuntes, attinet, illas ordine in ſequentibus ac paullo fuſius exponam. Agmen ducat *tardus languidusque ipſius ventriculi motus periſtalticus*, a *tunicæ nerveo-muſcularis flacciditate* et *atonia* ortus, quam, præter plura alia, ingluvies maxime, et largior atque frequentior ciborum oleoſorum, pinguium ac flatulentorum adſumtio, nec minus copioſior potulentorum, praeſertim tepidorum, ingeſtio, ut et abuſus emeticorum, meditationes profundæ, poſt paſtum inprimis ſuſceptæ, frequens ac diuturna infantum lactatio, mœror, curæ, intemperantia libidinis, et immodicæ hæmorrhagiæ inducunt. Valde cæteroquin horum operandi nocendique modus differt: Alia enim ventriculum ultra limites naturales violenter diſtendunt, ut flatulenta, et eſculenta cuiuscunque generis, nimia copia adſumta; alia, cuius cenſus ſunt oleoſa ac pinguia, tunicas nimium emolliunt, flaccidasque reddunt; alia, emetica videlicet fortiora

ac sæpius, vel proxime etiam prægressa iracundia graviori exhibita, vehementi suo stimulo tunicarum contractionem adeo intendunt, ut fibræ naturalem suum elaterem magis successive magisque amittant, tandemque ingens ac fere paralytica relaxatio succedat, et alia denique, mœror v. g., curæ, meditationes profundæ, excessus in re venerea et hæmorrhagiæ exorbitantes influxum sanguinis ac fluidi spirituosi in fibras tunicæ muscularis motrices imminuunt, et totum præterea corpus laudabilibus hisce succis privant, ita ut partes nervoso-musculares debiles admodum ac suo postmodum muneri, prout decet, obeundo, impares evadant.

§. III.

Alteram depravatæ digestionis caussam primariam *spasmodica*, vel *vario alio modo perturbata ventriculi contractio* constituit, quam cruditates variæ, in ipsa ventriculi cavitate hospitantes, vel etiam vermes, venena acria erodentia ac constrictoria, impuritates exanthematicæ, scorbuticæ, arthriticæ, rheumaticæ, scabiosæ &c., e peripheria corporis retropulsæ, aut fortuito in ventriculi vasculis

sub-

ſubſiſtentes, congeſtiones ſanguinis et affe-
ctiones nervorum conſenſuales apud hæmor-
rhoidarios, hypochondriacos, et hyſtericas,
itemque iracundia ac terror et huius cenſus
alia provocant. Attentam profecto hæc
cauſſa conſiderationem meretur, quoniam
prima ac vera eius origo interdum valde ab-
ſcondita eſt, et in remotioribus haud raro
corporis partibus latet, quæ malum, quo pre-
muntur, ſano alias atque inſonti ventriculo
per nervos, uti dictum, et vaſa ſanguifera
communicant.

§. IV.

Debili ac perturbato motui ventriculi
periſtaltico *inordinata* pariter, *imminuta* ac
plus minusve impedita diaphragmatis et *muſcu-
lorum abdominalium actio* iungi debet. Nam,
cum ſeptum transverſum et abdominis muſcu-
li duo quaſi prela robuſta, quaſſando ac com-
primendo ventriculo adeoque triturationi au-
gendæ aptiſſima, conſtituant, facile pateſcere
arbitror, quid impedimenti, quidve incom-
modi circa digeſtionis negotium exſpectan-
dum ſit, quando partes memoratæ, propter
ſpirandi difficultatem ac minus ſufficientem

pulmonum expanſionem, aut propter relaxationem, abuſu unguentorum, cataplasmatum, balneorum emollientium &c. inductam, vel propter vulnera, inflammationem &c., officio ſuo debite perfungi nequeunt, vel ſpasmo etiam atque convulſione correptæ, actionem iuſto impetuoſiorem exercent, et alimenta præmature, h. e., nondum peracta neceſſaria reſolutione, per pylorum in inteſtina expellunt.

§. V.

Non infimum denique locum inter depravatæ digeſtionis cauſſas *liquoris gaſtrici penuria*, et *vitioſa qualitas* occupant. Penuria huius liquoris naſcitur, quando ſcaturigines eius in ventriculo, oſtiola nempe vaſorum exhalantium, a craſſa atque tenaci materia mucoſa aut ſpasmo obſtruuntur, vel liquidum ſalivale ſub uſu fumi herbæ Nicotianæ intemperantiori aut intempeſtivo, ante paſtum ſcilicet aut mox poſt paſtum, incaute profunditur, vel ſeroſi etiam laticis quantitas in toto corpore per fortes atque frequentes ſudationes, per largam diureſin, per crebro iteratam alvi evacuationem &c. nimium imminuitur. Vitioſa

tiosa qualitas eius maioris adhuc momenti eſt, quoniam magnopere differt, mixtisque cruditatibus variis, natura non minus, quam nocendi facultate diſtinctis, originem debet. Commode hæ cruditates in *ſimplices* et *mixtas* dividi poterunt: Simplices vel *acidæ* ſunt, vel *pituitoſæ*, vel *bilioſæ*, vel *rancidæ*, vel *nidoroſæ* ſive *putridæ*, et ex hiſce poſtmodum *mixtæ* diverſiſſimæ naſcuntur, quarum genius, penſitata miſcelæ diverſitate, facile patebit,

§. VI.

Cruditas *acida* motum ventriculi periſtalticum continua punctura ac roſione pervertit, atque ſpasmodicum reddit, immo adeo perſæpe illum et ab eo pendentem rugarum attritum intendit, ut, ſicuti in *antecedente Capite* pridum dictum fuit, appetitus iuſto auctior, qui patientes ad nimiam ciborum ingeſtionem impellit, oriatur. Ingenerandæ huic cruditati, cuius præſentiam frequens ventriculi morſicatio, itemque ructus acidi, ſapor ſalivæ acidiuſculus, eructatio liquidi acetoſi, dentium aciem hebetantis, quin ipſi nonnunquam vomitus acidi &c, detegunt, præ reliquis

quis cerevisia acescens, vina austera, acetaria, brassica muriatica, lacticinia, subdulcia farinacea, fructus horaei, mel, sacharina unguinosa, aliaque dulcia, subdulcia et acidulo-dulcia fermentescibilia, si saepius ac iusto largius adsumantur, favent, dum eorum alia copiosum acidum explicitum; alia implicitum, sub mora diuturniori incompletae ac lenis fermentationis ope paullatim evolvendum, ventriculo inferunt.

§. VII.

Altera cruditas simplex, quae *pituitosa* audit, quamque languidus inprimis ciborum adpetitus, gravitas ventriculi, intumescentia, nausea, et actualis quandoque vomitus pituitosus adesse indicant, valde pariter vegetum digestionis successum remoratur: Tenaces enim massulae mucosae gastrico liquori miscela sua spissitudinem inducunt, salsasque particulas eius, quae adactae cuneos exilissimos actione sua imitantur, obtundendo hebetant, et hac ratione penetrandi, macerandi, emolliendi, solvendi potentiam magis minusve imminuunt. Hisce accedit, quod, ventriculi rugis copiosius interpositae, contractionis at-

atque trituræ vigorem deprimant, et muſcularem inſuper tunicam, totumque ventriculum, cui continuum atque fruſtraneum faceſſunt negotium, magnopere debilitent. Non reticendum cæteroquin erit, cruditatem hanc, quæ plerumque cibis viſcoſis, craſſis ac duris, cuius cenſus ſunt legumina, pultes farinaceæ ſpiſſiores, carnes animalium ſeneſcentium et infumatæ, piſces marini, tam recentes, quam exſiccati &c. ſuos natales debet, rariſſime occurrere ſolitariam, ſed eidem acidam aut putridam plerumque iunctam deprehendi, quoniam alimenta allegata et huius farinæ reliqua ita comparata inveniuntur, ut minus debite ſubacta non ſolam ſaburram mucidam in ventriculo relinquant, ſed diutius quoque retenta pro ſingulari ac diſcrepante ſuo genio vel aceſcant, vel putreſcant.

§. VIII.

Corruptelam, hactenus conſiderata maiorem deterioremque, acris ac fervida ſaburra *bilioſa*, ſub forti iracundia e duodeno in ventriculum propulſa, naturali liquori gaſtrico inducit, eumque ingenti amaritie, blando atque ſubdulci chymo infenſiſſima, imbuit:

Vnde

Vnde fit, ut poſtmodum continuo ardore et hoſtili vellicatione inordinatam atque ſpasmodicam tunicarum contractionem provocet, quæ decenti ciborum reſolutioni et adhuc magis ſucci ſalubris elaborationi maximo impedimento eſt, nec raro etiam præmaturæ maſſæ rudis in duodenum translationi famulatur. Ordinario quidem nocivam hanc materiam, copioſius inprimis in ventriculi vacuo hoſpitantem, ſalivæ amarities, ructus nauſeoſi, amari, fauces ſub exitu ſuo nonnunquam, ignis fere inſtar, adurentes, inſigne faſtidium ciborum, dolor ventriculi tenſivo-ardens &c. produnt; attamen, quum cruditates rancidæ, poſt nimiam oleoſorum ac pinguium adſumtionem genitæ, ſæpiſſime pariter ipſam bilem amaritie, acrimonia, ac fervida indole valde æmulentur, ad prægreſſam iracundiam et victus qualitatem ſimul reſpiciendum erit, ut amaræ cruditatis indoles certius innoteſcat.

§. XI.

De cruditate *putrida*, cui vix memorata *rancida* tanquam mitior ſpecies iungi meretur, multa hoc loco verba facere ſupervacaneum duco, dum unumquemque protinus per-

perſpecturum eſſe credo, quod ingens omnino chymificationis depravatio inſequi debeat, quando fœtidum liquamen urinoſo-oleoſo-mucidum, mora inprimis acrius redditum, cum naturali ventriculi fermento peſſimum conſortium ſubit, et morſicatione moleſtiſſima motum periſtalticum perturbat, noviſque adſumtis ſimilem corruptionis labem inducit. Foediſſimam hanc impuritatem, quam ructus nidoroſi, ſapor ſalivæ putridus, nauſea ingens, anxietates præcordiales, poſt paſtum inprimis urgentes &c. patefaciunt, quævis animalis proſapiæ alimenta, ſolo lacte excepto, generare ſoleat, quoties, ob copiam nimiam aut ventriculi imbecillitatem variaſque alias cauſſas, in humida ac calida hac cavea moras longiores trahere coguntur: Nec penitus quoque eximenda ſunt eſculenta vegetabilia; ſiquidem multa inter ea occurrunt, quæ ſub indicatis conditionibus facile pariter putrida corruptela depravantur, immo fieri ſolet creberrime, ut ea, quæ primo præternaturalem contrahebant acorem, tandem putreſcant.

§. X.

Diverſam in adfectibus hiſce curandi methodum expoſita hactenus cauſarum diverſi-

versitas determinat. Nam, magna inprimis tunicarum ventriculi atonia praesente, non tantum *stomachalia stricte sic dicta*, amara videlicet, aromatica, balsamica et austeriusculo-amaricantia, *Capite praecedente* §*pho VI.* specialius pridem exposita, sed *acria* pariter, quae, licet nullum quidem robur, proprie tale, ventriculi tunicis procurare valeant, vivida tamen easdem irritatione ad celeriorem validioremque contractionem impellunt, in usum trahenda sunt. Possunt memorata tempore quidem diei quocunque cum fructu exhiberi, optime tamen, ante et post pastum adsumta, ventriculi languori medentur; immo, eorum nonnulla, myrrha v. g. genuina, rhabarbarum, flavedo cort. citri, cinnamomum, macis &c., magis sese auxilio suo commendant, quando lente saltim ac saepiuscule manducantur. Saliva enim, solubilibus particulis impraegnata, ac sensim defluens, continuam actionem in ventriculi tunicas atque contenta exercet, et blanda atque protracta hac operatione tunicarum robur certius, quam confortantia fortiora, largius una vice ingesta, reducit. Manducatio haec apud subiecta inprimis sensibiliora, fibris tenerioribus praedita,

aut

aut universi generis nervosi imbecillitate laborantia, utilis deprehenditur; quandoquidem hæc ipsa potentiora non facile perferunt, et molestos inde ventriculi tremores haud raro experiuntur.

§. XI.

Auxilium præstantius ac longe validius a memoratis tonicis internis exspectandum est, quando externe pariter activa *roborantia*, ad linimenti, unguenti, aut emplastri formam redacta, adhibentur, et scorbiculo cordis totique abdominis parti superiori adplicantur. Linimenta ordinario ex oleis destillatis æthereis et spiritibus, tam urinosis, quam inflammabilibus balsamicis, oleo menthæ v. g., maioranæ, carvi, thymi, citri, caryophyllorum, spiritu rorismarini, liliorum convall., matricali, vini crocato, salis ammoniaci vinoso, aqua cephalica imp., anhaltina, mastichina, epileptica LANGII, contra colicam &c. parantur, inter emplastra vero et unguenta emplastrum de crusta panis, de baccis lauri, de tacamahaca, stomachale, santalinum, unguentum comitissæ, basilicum, nervinum, carminativum et stomachale eminent,

 præ-

præſertim ſi illis pulvis caſtorei et croci orientalis, itemque balſamus Peruvianus et antea recenſita olea deſtillata modica quantitate addita fuerint.

§. XII.

Medicamenta, quæ irregulari atque ſpasmodicæ ventriculi contractioni opitulantur, propter maximam cauſſarum varietatem, magnopere diſtincta reperiuntur, et quævis omnino cauſſa ſingularis ſingularem quoque medendi methodum poſtulat. Nam urgentibus v. g. congeſtionibus hæmorrhoidalibus, hypochondriacis atque hyſtericis, pharmaca calidiora prorſus exulare, et, præter, *phlebotomiam in pede* et *clyſmata emollientia*, ſola *nitroſa* et *acidula antorgaſtica*, aliaque *blande reſolventia ſalina mediæ naturæ* in uſum vocari debent. Similia temperantia interna etiam proſunt, quoties prægreſſa fortior iracundia motum periſtalticum pervertit, et bilis fervidæ portio in ventriculum delata eſt. Aliter rurſus atque aliter cum tota curatione comparatum eſt, quando vehemens terror turbarum auctor fuit, vel rodens, urens, pungens, materia ſcorbutica, exanthematica, arthri-

thritica &c., minimis ventriculi vaſculis lymphaticis et ſanguiferis pertinaciter inhæret, vel adſumta venena cauſtica et conſtrictoria, aut vermes, aut cruditates acres moleſta vellicatione tunicas ventriculi vexant. Nunc quippe *antiſpasmodica* ac *ſedativa*, *roborantibus blandisque diaphoreticis* mixta, v. g. ſpiritus nitri dulcis, liquor anodynus mineralis &c., cum eſſentia meliſſæ, flor. chamomillæ Rom., ſcordii, theriacali &c. mixtus, nunc *diluentia*, *diaphoretica* et *fortiora* nonnunquam *ſudorifera*, nunc *alexipharmaca*, pro toxicorum diverſitate diverſa, nunc *anthelmintica* præcipue deſiderantur, et interdum cruditatum maxime præparatione et evacuatione opus eſt.

§. XIII.

Præparatio cruditatum, evacuationi ſemper præmittenda, nunc *attenuando* ac *reſolvendo*, nunc *temperando* et *invertendo* abſolvitur. Inter attenuantia, quæ cruditati pituitoſæ inprimis dicata ſunt, quævis ſalia media, v. g. tartarus vitriolatus, ſolubilis et tartariſatus, ſal digeſtivum SYLVII, arcanum duplicatum, ſal de SEIGNETTE, ter-

ra foliata tartari, &c., nec minus mercurius dulcis, radix iridis Florentinæ, ari ppta, semen ſinapi, et amara quædam, aromatica et balſamica, immo ipſa purgantia, doſi minori reliquis addita, militant; temperantibus vero et invertentibus alcalina terrea, nitroſa et acidula præcipue accenſentur. Terrea alcalina et completa interdum ſalia alcalia, aut hiſce tamen largius impraegnata medicamenta alia, tinctura v. g. tartari, metallorum, antimonii tartariſata et acris, ſalina fixa ex plantis amaris incineratione &c. parata et ſimilia, exhibenda ſunt, quoties acidum in prima culina abundat, nitroſa autem et acidula, v. g. nitrum dep., ſal acetoſellæ, cremor tartari, magiſterium hepaticum rubrum Dresdenſe, ſpiritus ſalis et nitri dulcificatus &c., locum inveniunt, quando ventriculus cruditatibus rancidis ac fervidis bilioſis refertus eſt. Et hæc omnia pariter, blandis præcipue balſamicis ſalſisque nupta, præſente vulgari ſaburra mucido-urinoſo-putrida, admodum proficua reperiuntur. De evacuantibus *emeticis* atque *catharticis*, quæ, niſi ipſa natura vomitum ſpontaneum aut diarrhoeam criticam excitet, poſt præparationem exhibenda ſunt, ſpecialia ad-

addere tædet, ſolamque duntaxat radicem ipecacoanhæ nominabo, quippe quæ reliquis præſtantior eſt, quoniam, præter catharſin, blandam quoque emeſin provocat.



CAP. VII.

DE VOMITV.

§. I.

VOMITVS eſt excretio præternaturalis, qua contenta ventriculi varia, nunc ſcilicet alimenta ingeſta, nunc vero ſaburra quædam pituitoſa, aut flaveſcens, æruginoſa, ſubviridis, bilioſa, aut rancida, bilis inſtar fervida atque amara, aut putrida, immo ſtercoracea, nunc denique ſanguis coagulatus aut nigricans grumoſus, aliaque, ad gulam ac fauces violentius propulſa, per os eiiciuntur. Fieri tamen ſubinde ſolet, ut vomitus plane inanis urgeat, et nihil omnino, vel paucum duntaxat ac tenue liquidum mucido - aquoſum extrudatur.

§. II.

Vomitus, cuius adventum perſæpe magna anxietas præcordialis, nauſea, tremor labiorum, ſubitanea vultus expalleſcentia &c. præſagiunt, in genere vel *idiopathicus* eſt, vel *ſympathicus* ac *ſymptomaticus*, et proxime utplurimum atque primario *ab inverſo ac convulſivo motu ventriculi periſtaltico*, *a cauſſa quadam irritante immediate aut mediate ſuſcitato*, oritur: Vtplurimum, inquam, non ſemper. Experientia enim conſtat, præſente *magna, et interdum fere paralytica, ſphincteris orificii ventriculi ſuperioris relaxatione*, vomitum facile atque creberrime poſt alimentorum adſumtionem, ſub ſola corporis inclinatione ac paullo fortiori abdominis compreſſione, citra ullum motum ventriculi convulſivum, contingere; immo frequens obſervatio docet, *ſolum* haud raro *motum diaphragmatis et muſculorum abdominalium convulſivum ſub tuſſi vehementiori*, nec minus *horum poſteriorum ſtricturam ſpasmodicam*, ſicuti iſtud ſæpe ſæpius apud tenellos infantes lactentes ſub abdominis refrigeratione obſervatur, pulſu ſuo ac compreſſione vomitum concitare.

§. III.

§. III.

Cauſſæ, quæ vomitum idiopathicum excitant, vel *irritando*, vel *emolliendo nimium aliove modo tunicas ventriculi relaxando* operantur. Hiſce *pinguia*, *oleoſa*, *mucilaginea*, maiori copia adſumta, *phlebotomia largior*, et *aliæ hæmorrhagiæ immodicæ*, illis vero *cruditates variæ*, pituitoſæ, acido-mucidæ, bilioſæ, rancidæ ac nidoroſæ indolis, *eſculenta* ac *potulenta*, excedente quantitate ingeſta, *vermes*, adſumta *venena* cauſtica, erodentia, conſtrictoria, *ſanguis extravaſatus coagulatus* aut *grumoſus*, et *acres impuritates exanthematicæ*, in vaſculis tunicarum ſubſiſtentes, ſenſimque quoad partem per glandulas et emiſſaria reliqua ad ventriculi cavitatem ſecedentes, præ reliquis accenſeri merentur. De cruditatibus et reliquarum cauſſarum quamplurimis ſpecialiora pridem in antecedentibus dicta occurrunt, circa ſanguinem coagulatum ac congrumatum vero et inde oriundum *vomitum cruentum* notandum venit, eruptionem eius in ventriculum plerumque contingere, quando *tunicæ a venenis cauſticis valde eroduntur*, aut *vaſa brevia* atque *ſplenica*, quod frequentius, præſertim apud hypochon-

driacos, hæmorrhoidarios, et hyſtericas ſterilesque foeminas, accidit, *infarctu* aut *perfecta obſtructione* laborant.

§. IV.

Non tantum circa vomitum idiopathicum, ſed circa ſympathicum quoque ac ſymptomaticum magna originis varietas eſt: Nolo tamen adfectuum ſingulos, quibus vomitus ſeſe nonnunquam comitem adiungit, hoc loco allegare, ſed *paſſionem* duntaxat *nephriticam*, *iliacam*, *colicam*, *hernias incarceratas*, *hyſteralgiam*, *vertiginem graviorem*, et *dolorem* ac *vulnera capitis*, quorum aliis hoc ſymptoma ſemper, aliis ſæpiſſime complicatum reperitur, nominaſſe ſufficiat. Allegatis merito etiam *graviditas recentior* adnumeranda venit; nam licet vomitus quidem nequaquam apud gravidarum ſingulas obſervetur, plerisque tamen eundem primis menſibus, propter ſanguinis redundantiam et abſconditam quandam ac conſenſualem nervorum affectionem, valde familiarem eſſe, quotidiana experientia probat.

§. V.

Conſiderata ſpecifica cauſſarum diſcrepantium indole, facile cuivis atque confeſtim

pa-

patebit, vomitum quandoque, heterogenea nimirum et inimica materia in ventriculo ſtabulante, inter criticas ac ſalutares excretiones militare, interdum vero, ſi ingentem v. g. ſphinĉteris cardiæ relaxationem et univerſi ventriculi imbecillitatem cauſſas agnoſcat, vel hæmorrhagias immodicas, aut cauſtici humoris regreſſum atque decubitum, aut vaſculorum rupturam, ſanguinisque effuſionem &c. ſequatur, valde nocivum et ominoſum eſſe, vel moleſta ad minimum aliarum quarundam ægritudinum ſymptomata augere, adeoque cum illis ſupervenire, intendi, miteſcere, atque ceſſare: Immo, patebit inde, ſpecierum aliam præ alia curatu faciliorem eſſe, et medendi pariter methodum atque remedia non tantum in vomitu ſympathico ac ſymptomatico, ſed etiam in idiopathico admodum variare. Nam *aliter* omnino ſub poſterioris curatione procedendum erit, quando magna totius ventriculi aut ſaltim ſphinĉteris atonia adeſt, *aliter* rurſus, quoties materia quædam irritans, aut ſua tamen mole valde moleſta in ipſa ventriculi cavitate hæret, *aliter* porro, quando humores acres atque impuri in tunicarum uaſculis ſubſiſtunt, fibrasque nerveas

non tantum ſub quiete ſua, ſed poſt partialem quoque ad caveam ventriculi seceſſum hoſtiliter vellicant, et *aliter* denique, ſi cruor coagulatus aut congrumatus excernitur.

§. VI.

Ad atoniam corrigendam, præter *victum congruum* et parcius una vice adſumendum, *nervina* ac *ſtomachalia amara*, *balſamica* et *remiſſiora aromatica*, *auſteris* tâmen atque *auſteriuſculis* plus minusve maritata, electuaria v. g. ex ſyrupo de cinnamomo, maſtichino, myrtino compoſito, cort. aurantiorum, meliſſæ, rob iuniperi, ſucco granorum chermes, extracto cardui bened., centaurii minor., millefolii, pulvere rhabarbari, cort. Peruviani, ſemine ſantonico, croco orientali, croco martis aperitivo Stahlii, oleo citri Italico, oleo cinnamomi, caieput &c., tincturæ ex prædictis aliisque extractis amaris et balſamicis cum vino paratæ, ac poſtmodum cum eſſentia cort. citri, caſcarillæ, meliſſæ, tinctura terræ Iaponicæ, tinctura martis pomata aut cydoniata &c. remixtæ, morſuli ex ſacharo et myrrha genuina, vel ex ſacharo, cortice Peruviano, ſemine cinæ, fœniculi, cardamomo mi-

inori, cinnamomo &c., rob iuniperi, ieiuo ventriculo cum vino malvatico adſumm, balſamus vitæ, ad paucas guttulas cum chari fruſtulo exhibitus, vinum Gallicum ıbrum, vulgo Pountac dictum, inter prancendum coenandumque modice hauſtum, maicatoria ex rhabarbaro, myrrha, mace, cinamomo &c., nec minus emplaſtra roborana, ſcorbiculo cordis impoſita, præcipue ommendari merentur. Præſente autem :ri humore quodam aut viſcidiori maſſa irriınte, initio *temperantia*, vellicanti materiæ ecifice dicata, terrea, v. g., ſalſis incidentius nonnunquam nupta, aut nitroſa et acidu, nec minus, obſervata videlicet eminentio reiectæ ſaburræ acredine, aut fervida prorıs natura, *obtundentia* ac *demulcentia* gelatioſa ac mucilaginea, hinc inde ſæpius dudum legata, exhiberi, et deinde demum, peracta imirum critica cruditatum evacuatione, *anſpasmodica*, v. g. ſpiritus nitri dulcis rite ulcificatus, nunc ſolus, nunc eſſentia meliſe, cort. citri, aurantiorum, caſcarillæ &c. cuatus, nec non *roborantia ſtomachalia* in ſum trahi debent: immo interdum, ſi heteogenea ſcilicet materia mole peccet, nec

vo-

vomitus spontaneus eidem perfecte eliminan-
dae sufficere videatur, necesse est, ut excre-
tio haec, praemissis tamen praeparantibus, d
ta parva radicis ipecacoanhae dosi, promo-
veatur. Cavendum caeteroquin, ne postre-
mum hoc remedium forsan propinetur, quan-
do acres humorum quisquiliae in vasculis tu-
nicarum ventriculi praecipue subsistunt, e
quoad aliquam duntaxat partem per glandu-
las et alia emissaria ad ventriculi cavitatem
emittuntur: In tali enim casu praecipuus cu-
rationis cardo in eo versatur, ut nonsolum
secretae, sed in canalibus quoque adhuc quie-
scentes impuritates *diluentibus*, *gelatinosi*
mucilagineis aliisque contemperentur, et po-
steriores denuo per *diaphoretica*, alibi dudum
contra similis originis singultum laudata, pe
vias sudoris et urinae excludantur.

§. VII.

Curatio vomitus cruenti, propter cau-
sarum diversitatem, a vomitus vulgaris mede-
la notabiliter discrepat, et eo in genere redit
ut primo ulterior cruoris in ventriculum ef-
fluxus impediatur, et postmodum viscera ob-
structa denuo recludantur. Indicationi prior

ve

næſectio, in pede adminiſtrata, nec minus *ulſiones refrigerantes, ſerum lactis dulce, de-cta hordeacea et avenacea refrigerata, nitro purato parciſſime, gelatina cornu cervi autem, t eboris aut crurum vitulinorum*, vel *mi- cydoniorum aut diacydonio ſimplici lar-us imprægnata*, et quævis temperata *muci-ginea* ac *gelatinoſa* alia præcipue inſerviunt; obtinendum vero ſcopum poſteriorem ncta *aperitiva*, eorumque inprimis mitiora, lia reperiuntur, quæ *Capite I. contra Infar-m atque Obſtructionem hepatis et lienis* com-ndata fuerunt. Valent tamen hæc de ſo-niori tantum vomitus cruenti ſpecie; quod eram enim, ab adſumto ſcilicet erodente corrodente quodam medicamento aut ve-no oriundam, attinet, in illa ſola *demulcen-* et *obtundentia mucilaginea, gelatinoſa, pin-ia* et *oleoſa* conducunt, aperitiva autem llo prorſus modo requiruntur, et nitrum oque ac quævis ſalina alia penitus exu-e debent, ſi *alcalia*, aqueo-mucilagineis xta, exceperis, quæ nonnunquam, ſi nenum acidum minerale fuerit, locum eniunt.

§. VIII.

§. VIII.

Species vomitus vulgaris ſympathica ac ſymptomaticæ nulla peculiaria remedi ad ſui curationem poſtulant, ſed cura unic vel tamen præcipue, ad morbi primarii, a colicæ ſcilicet, paſſionis iliacæ, herniæ inca ceratæ, doloris nephritici, hyſteralgiæ &c ſublationem aut mitigationem dirigenda eſt Nec operoſo etiam auxilio medico apu gravidas opus eſt, quoniam hic vomitus, q interdum ſolummodo matutinus eſt, inte dum vero poſt paſtum accidit, ordinari aliquot poſt impraegnationem diebus, au hebdomadibus, aut menſibus elapſis, ſpont ceſſat. Poſſunt tamen ſubinde, ſi ſympto ma hoc frequentia ſua, aut vehementia, au nimia diuturnitate maiora incommoda adfe rat, gravidamque valde debilitet, *temperan tia* quædam *nitroſa* et *acidula*, nec minus *le niora confortantia*, v. g. pulveres ex coral liis rubris, nitro, ſale acetoſellæ, radice poeo niæ, et granis chermes, potiunculæ ex aqu cinnamomi borraginata et cydoniata, aqu flor. borraginis, meliſſæ, fœniculi, pulver vix memorato, ſpiritu ſalis dulci, ſyrup cort. citri, aurantiorum, meliſſæ &c., mixtura

ex

x tinctura coralliorum, ess. cinnamomi, me-
ssae, ligni aloes, cort. citri, aurantiorum, et
piritu nitri dulci in usum trahi, immo, si vo-
nitus frequentius post pastum contingat, mo-
icus inter prandendum ac coenandum vini
nalvatici haustus commendandus est, ut mo-
estum hoc symptoma, si penitus forsan cessa-
e recuset, interea nonnihil ad minimum mi-
escat, donec embryo grandior factus sit, et
enaesectio, quae apud plethoricas certius
lerumque in hoc passu auxilium praestat, tu-
o institui queat.



CAP. VIII.

DE

C H O L E R A.

§. I.

CHOLERA, a χολὰς, *intestinum*, vel rectius a χολὴ, *bilis* ita dicta, in *humidam* et *sic*-*m* dividitur. Humida affectus ventriculi intestinorum spasmodico-convulsivus acu-imus est, ex vomitu enormi et vehemen-ac valde torminosa diarrhoea compositus,

quibus

quibus materia fervida, acris et ſubinde plane cauſtica, initio utplurimum tenuior, pallida et ſubflava, deinde craſſior, flava, viridis, coerulea, aut nigricans eiicitur: Sicca vero, quae rariſſime tamen occurrit, dicitur, quando flatus duntaxat nauſeoſi, amari, urentes ac mordicantes cum crepitu et ingenti ventriculi et inteſtinorum dolore per ſuperiora et inferiora erumpunt.

§. II.

Symptomata reliqua, quae hunc morbum comitantur, in ſpecie utraque eadem ſunt, et pari etiam atrocitate patientes torquent. Adſunt nimirum anxietates maximae, vehemens cardialgia, ingens nauſea, ſitis ardens, inflatio, diſtentio ac tormina ventris atque inteſtinorum ſaeviſſima, ebullitio et aeſtus, febrili calori analogus, vel vera ac valde acuta febris, cum pulſu primum celeri atque frequenti, deinde debili, tardo et intermittente. Vires praeterea ſubito proſternuntur, corpus univerſum celerrime extenuatur, et gravia animi deliquia cum frigore extremorum ſuperveniunt, quibus, intra paucas perſaepe horas, ipſa mors ſuccedit.

§. III.

§. III.

Cauſſa materialis, quae in cholera humida mediante ingenti morſicatione, ardore aut punctura motum ventriculi et inteſtinorum ſpasmodico-convulſivum, immo tandem gravem inflammationem, quae ſaepe in funeſtam gangraenam ac ſphacelum deſinit, excitat, nunc, et quidem frequentius, *vera bilis fervida* eſt, nunc vero *cauſtica quaedam materia acida*, vel *alia prava atque corrupta rancida aut nidoroſa*, in ventriculo ſenſim genita, aut protinus, uti *venena* v. g. *corroſiva*, *emetica* et *purgantia draſtica* &c., in ventriculum ingeſta, nunc denique *humor acerrimus atque malignus*, per glandulas et reliqua ventriculi atque inteſtinorum emiſſaria e ſanguine et lympha ſecretus. Vltima haec cholerae ſpecies interdum populariter graſſatur, et ſecundum WILLISII *a*), SYDENHAMII *b*), aliorumque obſervationem, ordinario menſe Auguſti, cuius terminos non facile excedit, naſcitur. In cholera ſicca, uti ego credo, eius-

a) *Pharmacevt. rat. Sect. III. cap. 3.*
b) *Opuſc. Sect. IV. cap. 2.*

eiusdem quidem genii impuritates acres in ventriculo et inteſtinis hoſpitantur, attamen minori quantitate adſunt, et longe maiori tenuitate, fluiditate ac volatilitate gaudent; unde etiam fit, ut, calore ſenſim in flatus reſolutæ, ventriculi et inteſtinorum tunicis magis ſub rariori, quam craſſiori, forma ſtimulos hoſtiles inprimant.

§. IV.

Inter cauſſas procatarcticas, præter complura alia, quæ acrium cruditatum geneſi in prima culina, vel cauſtici ad eam atque maligni humoris translationi ac depoſitioni famulantur, locum maxime iracundia frequens ac gravior, præſertim ſub paſtu vel paullo ante aut poſt paſtum, vel præſentibus dudum in prima culina variis cruditatibus aliis, exorta, eſculenta nimium oleoſa, pinguia aut calidioribus aromatibus largius condita, carnes, ova et quævis alia, butyro frixa, caſeus antiquus acrior, ova barbæ piſcis, lacticinia, ante aut poſt acidorum ingeſtionem adſumta, cucumeres recentes, fructus horæi acidi atque auſteri, cereviſia novella, vinum recens ac muſtum merentur, immo diuturna intempe-

ries

ries aeris calida et ſicca, et adhuc magis ſubitanea corporis ſudantis ſub æſtuoſa atmoſphæræ conſtitutione refrigeratio interdum unica aut tamen præcipua huius mali cauſſa occaſionalis evadit, quoniam diluens ac temperans latex ſeroſus ſub memorata aeris intemperie nimium profunditur, et partes cruoris fervidam plane ac valde acrem indolem adquirunt.

§. V.

Raro præceps ac truculentiſſima hæc affectio fauſtum ſortitur eventum, ſed quamplurimos potius, quos corripit, præſertim ſi æſtiva epidemica ſit, vel ab ingeſto vero veneno, vel citra manifeſtum diætæ vitium a ſola cauſſa interna exorta fuerit, intra unum, duos, tres, quatuor dies trucidat: Quamplurimos, inquam, non omnes; hinc probe etiam ante ſententiæ decretoriæ expoſitionem cauſſæ non minus, quam ſymptomata conſideranda ſunt. Rediturae enim ſalutis ſpem concipere licet, quando nec febris vera, nec convulſiones, ſingultus, animi deliquia et gravior animi perturbatio adſunt, pulſusque regularis ac fortis eſt, et anxietas atque tormi-

na, aliqua materiae irritantis parte eiecta, notabiliter remittere incipiunt. Secus ex adverso iudicandum, nec quicquam amplius boni exspectandum erit, si complicata febris peracuta continuo increscit, et nulla prorsus anxietatis, doloris ac convulsionis ventriculi atque intestinorum remissio post copiosam dudum saburrae peccantis excretionem observatur, sed potius tremor et involuntariae contractiones artuum, singultus, sensuum internorum perturbatio et abolitio, delirium, sudor ac frigus extremorum, cum internorum ardore maximo et pulsu debilissimo, vix amplius interdum perceptibili et identidem remittente, nec minus gravia animi deliquia superveniunt, vel sanguinolenta etiam ac foetidissima recrementa, odorem plane cadaverosum spirantia, vomitu et alvina deiectione excluduntur.

§. VI.

Nulla hic morbus emetica, cathartica et laxantia proprie talia, nec ulla pariter sub vigore suo austera styptica et calida amara, balsamica et aromatica confortantia stomachalia patitur, sed initio *demulcentia* tantum, di-

diluentia et *temperantia quædam, invertendæ ac corrigendæ caussæ materiali specifice dicata,* deinde vero *sedativa* ad sui curationenm postulat. Demulcentia ac diluentia communem in hoc morbo usum habent, ast mature et larga copia exhibenda sunt, ut virulenta materia tempestive eluatur ac diluatur, et tempestive etiam vomitu et alvina deiectione excernatur. Militant inter ea aqua simplex tepida, decocta mucilaginea et gelatinosa ex hordeo, avena, oryza, milio, semine cydoniorum, radice althææ, scorzoneræ, tussilaginis, rasura cornu cervi, eboris &c., iuscula tenuiora pullorum, carnis vitulinæ et avenæ excorticatæ, iuscula ex fagopyro Polonico, aut cancris contusis et similis naturæ aliis, albumen ovorum recens, cum sacharo conquassatum et nonnihil postmodum aqua dilutum, solutio aquosa tragacanthæ et gummi Arabici, oleum amygdalarum dulcium recentissime expressum, emulsiones ex amygdalis dulcibus, seminibus quatuor frigidis maioribus et minoribus, semine milii solis &c., ac serum lactis dulce, immo lac recens non minus, quam ebutyratum illis quandoque accensendum est. Notari tamen debet, ho-

rum alia, quæ pauxillum acidi expliciti in ſinu ſuo fovent, aut facilius tamen in loco calido aceſcunt, bile fervida atque corrupta, vel putrida aut rancida ſaburra præſente, meliora eſſe, alia ex adverſo, quæ facilius in corpore alcaleſcere poſſunt, peccante cauſtica materia acida, certius ac tutius præſtare auxilium. Haud diſſimilis cautela etiam circa *temperantia* et *invertentia ſpecifica*, terrea videlicet abſorbentia, nitrum et acidula, a multis ſcriptoribus pariter commendata, occurrit. Terrea enim ſolummodo locum inveniunt, quoties manifeſta materia acida in ventriculo hoſpitatur, nitrum vero depuratum et acidula mitiora, v. g. ſuccus citri, ſal acetoſellæ, ſyrupus acetoſitatis citri, ribium, ceraſorum acidorum, oxymeli ſimplex &c., interdum proficua reperiuntur, quando bilis corrupta aut ſaburra putrida convulſionis cauſſa exiſtit; nunquam tamen hæc ipſa ſola ſive per ſe in hac ægritudine exhibenda, ſed congruis ſaltim demulcentibus parva admodum quantitate miſcenda ſunt.

§. VII.

Præter recenſita demulcentia et obtundentia interna, eiusdem pariter naturæ

atque

atque virtutis *clyſmata* ex rad. althææ, fol. malvæ, flor. liliorum alb., ſem. lini, fœni Græci, avena excorticata, gummi tragacantha, gelatina crurum vitulinorum, oleo lini, olivarum, amygdalarum dulc., oleo infuſo chamomelino, lilior. alb. &c. commendari merentur. Nam licet hæc quidem nunquam ad inteſtina tenuia penetrent, colon tamen et rectum eluunt, excretionem torminoſam nonnihil mitigant, et ſuum quoque ſymbolum ad mitigandam convulſionis inſolentiam conſenſuali operatione conferunt. Valet hoc poſterius etiam de *fomentis*, *epithematibus*, *cataplasmatibus* et *unguentis emollientibus*, abdomini adplicandis, immo, *tepida balnea emollientia*, quæ *Celeb.* DN. D. BALTH. LVDOVICVS TRALLESIVS in doctiſſimo ſuo de *Cholera* tractatu *a*) *p.* 383. *ſeqv.* magnopere deprædicavit, eodem pariter modo, niſi unice, maximam tamen partem,

 ægris,

a) Tractatus hic, in quo Cholera quoad ſymptomata, cauſſas, curationem &c. ſolide atque uberrime explicata legitur, anno 1753. ſub Titulo: *Hiſtoria choleræ atrociſſimæ, quam ſuſtinuit ipſe, perſanavit ægerrime*, Wratislaviæ prodiit.

ægris, exitioſo hoc morbo laborantibus, opitulari, credendum eſt. Nonnulli relaxantibus hiſce, ad inflammationem maxime partium convulſarum avertendam, aut dudum exortam rurſus minuendam ac diſſolvendam, *venæſectionem* addunt, cuius adminiſtratio tamen promiſcua eſſe nequit, ſed pro ægri cholerici conditione nunc omittenda, nunc inſtituenda eſt. Locum videlicet habet, nec parum prodeſſe poteſt, quando nondum eminentior naturæ languor obſervatur, ſed pulſus adhuc magnus ac fortis eſt; nocet ex adverſo et imbecillitatem magis auget, mortemque accelerat, ſi vires valde dudum proſtratæ ſunt, et pulſus ſumme debilis atque intermittens exiſtit.

§. VIII.

Præmiſſis demulcentibus et virulenta igitur materia non tantum temperata, ſed crebriori etiam vomitu et deiectione alvina quoad potiſſimam partem excreta, vehementes motus convulſivi protinus compeſcendi, et in hunc finem *ſedativa opiata*, eaque ſincera, purum v. g. extractum opii aquoſum,

in

in aqua flor. acaciæ, aut tiliæ, aut paralyſeos diſſolutum, vel ſibi etiam relictum, doſi mediocri, quæ granum unum non facile excedere debet, exhibenda ſunt. SYDENHAMIUS correctionis periodum trium vel quatuor horarum ſpatio incluſit, at terminum hunc in genere nimis brevem eſſe, mihi quamplurimos facile conceſſuros credo. Pro mea enim ſententia rationalem medicum circa determinandam ſolius præparationis diuturnitatem ad convulſionis vehementiam et materiæ excluſæ copiam reſpicere oportet. Nam citius omnino ad opii uſum confugiendum erit, ſi motus ventriculi et inteſtinorum convulſivi vehementiſſimi ſunt, et materia cauſtica copioſa, propter vomitionem et deiectionem alvi creberrimam, intra breve tempus excreta fuit: Minus ex adverſo properandum et ſedativum hoc remedium poſt plures demum horas, poſt diem integrum, immo interdum adhuc ſerius in auxilium vocandum eſt, quando vomitus et diarrhoea remiſſiores ac minus frequentes ſunt, et, multum adhuc ſaburræ peccantis in prima culina latitare, excretiones commonſtrant. Siquidem quævis remedia narcotica, uti ipſe fatetur

SYDENHAMIVS a), in hoc morbo perniciosissima sunt, si praemature, h. e., nondum correcta nec quoad maximam prius partem eiecta materia virulenta, adsumantur.

§. IX.

Post plenariam vomitus, diarrhoeae, doloris ac febris cessationem opportunum est, *confortantia* quaedam *stomachalia* interna et externa in usum trahere, ut partes, vehementi convulsione mirifice debilitatae, robur pristinum recuperent: Ex internis tamen mitiora ac temperatiora, quae acredine et calida

a) „Sedula, *in Opusc. p. m. 153. inquit*, mentis „applicatione, et multiplici etiam experientia „edoctus, quod si hinc acres istos humores, fo„mitem morbi, Catharticis expellere conarer, „idem agerem, atque is, qui ignem oleo extin„guere satagit, cum Cathartici vel lenissimi „usus omnia magis perturbaret, et novos insu„per excitaret tumultus; Et si ex adverso me„dicamentis Narcoticis aliisque adstringenti„bus in ipso statim limine primum humoris „impetum compescerem, dum naturali evacua„tioni obsisterem, et invitum humorem detine„rem, aeger, inimico incluso, bello intestino „indubie conficeretur &c.

da indole aromatica carent, ſeligenda ſunt, nmo, adſumtioni eorum mucilagineorum ſum adhuc interponi, præſtat, quo mucus aturalis, qui ventriculi et inteſtinorum tuni-as obducere atque defendere debet, citius eſtituatur.



CAP. IX.

DE

LIENTERIA ET COELIACA.

§. I.

Circa LIENTERIAE et COELIACAE notionem apud pathologiæ ſcriptores liſſenſus quidam reperitur. Alii enim, et quidem plurimi, lienteriam et cœliacam unum eundemque morbum denotare, et bina hæc vocabula mera ideo ſynonyma eſſe, opinan-tur; alii ex adverſo inter adfectus hoſce dis-crimen faciunt, vel duas ad minimum ſpecies diſcrepantes conſtituendas eſſe, contendunt. Quod me attinet, aliquid omnino diſcriminis duos hoſce morbos ſymbolizantes intercede-re, eosdemque merito igitur in pathologia diſcer-

difcernendos effe, arbitror. Nam licet qui dem in utroque materiæ quædam laudabiles ad corpus nutriendum neceffariæ, per alvum excludantur, non fpernenda tamen differentia circa excretorum qualitatem occurrit. In Lienteria enim, a λεῖον, *læve*, et ἔντερον, *intestinum* ita dicta, adfumta efculenta, citius aut tardius poft paftum, vel nihil prorfus vel parum adhuc mutata, prævio utplurimum dolore ventriculi conftrictorio, celeriter et cum murmure aliquo per canalem inteftinorum devolvuntur et egeruntur; in Coeliaca autem liquida chylofa, absque ullo plerumque ventris cruciatu, cum fæcibus alvinis emittuntur. Silentio etiam minime hoc loco prætermittendum cenfeo, adfectus hofce fubinde iunctim fupervenire, et peculiarem rurfus fpeciem, FLVXVM nempe LIENTERICO-COELIACVM conftituere: Haud ignorari tamen oportet, lienteriam, cœliacæ complicatam, in tali cafu leviorem effe, et aliquam ingeftorum partem in ventriculo in chymum, et hunc poftea in duodeno, ficuti ex fimultanea fucci chylofi excretione patet, in chylum commutari.

§. II.

§. II.

Adulti ac vegetæ ætatis homines ra-
us paullo adfectibus hisce corripiuntur, sed
i frequentius solummodo apud infantes ac
nes occurrunt, quoniam priores ob teneri-
dinem et imbecillitatem partium solidarum
turalem, posteriores vero propter paulla-
iam ac magis in dies magisque increscen-
m roboris imminutionem maiori ad illos
spositione gaudent, quæ, accedente etiam
viori caussa procatarctica, in actum deduci-
r. Apud infantes præterea facilius hoc
ri ac fieri posse, certum est; quippe qui ob
ldephagiam, huic ætati admodum familia-
m, ventriculum nimium persæpe cibis one-
nt, adeoque corpori suo caussas adfectus
riusque proximas facile ingenerant.

§. III.

Lienteria sedem suam primariam in
ntriculo habet, ac proxime a *magna ven-
iculi imbecillitate* et *eminenti* inprimis *valvu-
pylori annularis relaxatione* oritur. Emi-
nti enim tunicarum ventriculi relaxationi,
demque necessario complicatæ imbecillitati
perfecta vel plane nonnunquam deficiens
cibo-

ciborum resolutio tribuenda est, ab insoli autem atque insigni valvulae pylori annular flacciditate praematurus ac praeceps eoru exitus e ventriculo in duodenum maxim dependet: Maxime, inquam, non unice dum valde, uti ego quidem credo, ex sens bili ac subito post pastum exoriente dolor ventriculi constrictorio probabile, immo ce tum clarumque evadit, *acrem quendam mat riam* simul in ventriculo adesse, quae illu ad intempestivam ac vehementem contr ctionem spasmodicam et praematuram ha ratione ac violentam ciborum nondum de bite resolutorum, vel plane adhuc rudiu expulsionem irritatione sua impellit. A vellicans autem haec materia iam ante lie teriae ortum paullatim collecta, et diuti pridem in ventriculo hospitata fuerit, an ve ro e corruptis ciborum reliquiis, vel sub in perfecta demum ac prava adsumtorum dig stione recentius generetur, in clara quide luce nondum positum est, si dicere tamen l cet, quod sentiam, verosimillimum mihi v deri haud diffiteor, acrem hanc materiam crudis ciborum partibus, post quamcunq ingestionem praecipitemque massae rudior

expu

expulſionem in ventriculo relictis, ſenſimque
pro diverſa natura ſua vel aceſcentibus, vel
ranceſcentibus, vel putreſcentibus aliamque
corruptionem ſubeuntibus, praecipue enaſci,
eidemque poſtmodum e cibis noviter inge-
ſtis, citamque pariter in debili ventriculo
corruptelam ſuperficiariam expertis, tantum
accedere, ut ventriculum ſtimulo ſuo ad
praematuram adſumtorum eiectionem ſollici-
tare valeat: Vt nihil de maſſa ciborum,
ventriculo debili moleſta, dicam, quaeque
plus quoque minusve ad praeternaturalem
ventriculi contractionem confert.

§. IV.

Quanquam potiores lienteriae cauſſae praecipue in ventriculo quaerendae ſint, vitii nihilominus quicquam in inteſtinis quoque ſubeſſe, eademque praeternaturali pariter laxitate et inde oriunda laevitate laborare, extra dubium poſitum eſſe reor, quoniam cibi rudes, e ventriculo praemature expulſi, non adeo diuturnas moras in iis nectunt, ſed intra breve tempus per longum et anfractuoſum hunc canalem, citra ſingularia ventris tormina et cum aliquo duntaxat murmure,

ad

ad anum devolvuntur, ibidemque etiam cito excluduntur; quod absque vehementiori ventris cruciatu vix aut ne vix fieri posset, si tunicae decenti robore gauderent, et numerosas illas rugas naturales, quae apud sanos transeuntibus fluidis non minus, quam solidioribus ac sicciorbus substantiis novum identidem obicem ponere, et praecipitem eorum descensum et exclusionem praecavere debent, sufficienti tensione ac contractione sua efformare valerent.

§. V.

Generandae praedictae ventriculi et intestinorum flacciditati et imbecillitati multa quidem ex rerum nonnaturalium ac praeternaturalium censu apta inveniuntur, prae reliquis tamen hoc loco ingluvies seu frequens ventriculi repletio nimia, esus ciborum pinguium, oleosorum, flatulentorum, fermentescibilium et dyspeptorum iusto largior, crebrior atque nimia potulentorum, praesertim tepidorum, ingurgitatio, moeror diuturnus et aliae animi sollicitudines graviores, vehemens ac frequens vomitus morbosus, abusus emeticorum atque purgantium et praegressi morbi

chro-

chronici allegari merentur, immo dolores
cardialgici ac colici atrociores, aut sæpius
revertentes et aliæ ventriculi diuturnæ ac
contumaces affectiones spasmodicæ e caussa-
rum procatarcticarum numero excludi ne-
queunt; dum noto notius est, quod fibræ
partium solidarum elasticæ non tantum emol-
litione excedente ac violenta distensione,
sed diuturna pariter aut sæpius redeunte con-
tractione vehementi laxæ, flaccidæ debiles-
que reddi, ac suo igitur tono magis minusve
rbari possint.

§. VI.

Curatio duabus indicationibus, acris ni-
irum materiæ irritantis destructione et ro-
oris amissi restitutione nititur. Obtinendæ
rimæ indicationi partim *temperantia* varia,
ro diversa, biliosa scilicet, aut acida, aut ran-
da, aut putrida humoris vellicantis indole
igenda, partim *lenissima evacuantia rhabar-
rina* inserviunt. De temperantibus, ceu
is notis et alibi sæpissime pridem recensi-
, specialia hoc loco adducere supersedeo;
od rhabarbarina autem attinet, inter illa
abarbarum orientale, in substantia, h. e., in

pulvere vel etiam sub forma morsulorum exhibitum, propter iunctam ac simultaneam roborandi virtutem eminet: Praestat tamen, hoc medicamentum initio curae una tantum vice ad scrupulum unum vel drachmam semissem, deinde vero semel vel bis, immo ter quaterve quavis hebdomade ad scrupulum duntaxat dimidium, ieiuno ventriculo, exhiberi.

§. VII.

Memorato rhabarbari usui deinde succedere et interponi debent *roborantia stomachalia, subadstringentibus* remixta; cuius census v. g. sunt electuaria ex syrupo de cinnamomo, cort. citri, aurantiorum, melissae, mastichino, myrtino composito, rob iuniperi, succo granorum chermes, extr. cardui bened., trifolii fibrini, cent. minoris, angelicae, pulvere corticis Peruviani aut eiusdem extracto, pulvere seminis santonici, foeniculi, anisi stellati, croci, cascarillae, oleo citri Italico &c., electuarium de baccis lauri Off., mixturae, ex vix memoratis extractis cum vino rubro aut albo paratae, et additis tincturis spirituosis gentianae, melissae, croci, cort. au-

ran-

rantiorum, et martis pomatæ potentiores redditæ, pilulæ itemque ex gummi galbano dep., myrrha genuina, extractis amaris, balsamo Tolutano, pulvere granorum chermes, cinnamomi &c., morsuli myrrhati et chinati, rob iuniperi, ad drachmas duas, ieiuno ventriculo, in vino malvatico adsumtum, vinum Gallicum rubrum, vulgo Pountac dictum, inter prandendum et cœnandum modica quantitate haustum et similia.

§. VIII.

Præter laudata aliaque huius commatis confortantia, sub forma magis consueta interne usurpata, magnopere etiam *masticatoria* ex rad. angelicæ, flavedine cort. citri recentiori, sem. fœniculi, cardamomo minori, mace, nuce myristica, cinnamomo et supra dudum laudato rhabarbaro commendari merentur, immo salutarem internorum actionem *roborantia externa*, emplastra scilicet, scrobiculo cordis ac toti regioni epigastricæ imposita, ex emplastro de crusta panis, de baccis lauri, pulvere castorei, croci, balsamo Peruviano, oleo nucis moschatæ expresso, oleo dest. maioranæ, menthæ, carvi, caryophyl-

lorum &c., nec non linimenta ex aqua cephalica imp., Anhaltina, virtutum, vitæ mulierum, ſpiritu vini crocato, balſamo vitæ &c. egregie adiuvant. Non omittenda quoque ſunt, quæ morbis aliis, lienteriæ nonnunquam complicatis, ſpecifice medentur, nec *congrua* denique *diæta*, quæ pinguia, oleoſa, eſumque iuſculorum emollientium frequentiorem, repletionem ventriculi ad ſatietatem usque, et potum aqueorum tepidorum largiorem, aliaque, §pho 4. recenſita, excludit, paſtum vero parcum quidem, aſt frequentiorem, cibos paullo ſicciores, facilioris tamen reſolutionis, potum modicum et per intervalla ſpirituoſum, animi tranquillitatem &c. imperat, negligenda erit.

§. XI.

Cum lienteria COELIACA quoad ſymptomata nonnulla convenit, quoad alia magis ab ea minusve differt. Vires enim in morbo utroque ſenſim deiiciuntur, et totum corpus, ob ſufficientis nutrimenti defectum, paullatim extenuatur; adpetitus vero ciborum in lienteria ſemper languet, et ægri inſuper poſt quamcunque eſculentorum adſum-

tionem

tionem ventriculi gravitatem aliquam, et, pro diverſa ingeſtorum quantitate ac qualitate, maiorem minoremque anxietatem praecordialem ſentiunt, cui, nunc citius, nunc tardius, ſicuti ſupra pridem retuli, exquiſitus ventriculi dolor conſtrictorius, et huic protinus rudium alimentorum expulſio in duodenum ſuccedit: In coeliaca ex adverſo, eaque perfecte ſolitaria, adpetitus ciborum plerumque naturali ſua integritate gaudet, quin valde nonnunquam vegetus ac ſolito auctior deprehenditur, et dicta ventriculi incommoda poſt paſtum raro vel nunquam notantur, ſed in ventre inferiori ſubinde ſolummodo murmura quaedam, et, excretione imminente, vel nulla omnino, vel leviora ſaltim tormina oriuntur.

§. X.

Circa aetiologiam diſcrimen adhuc maius occurrit, et plures coeliacae, quam lienteriae cauſſae proximiores ſunt. Naſci enim poteſt 1)., quando inteſtina, praeſertim ieiunum et ileum, nec non valvula BAVHINI, in ilei ac caeci confinio praeſens, ſub ingenti flatuum adcumulatione et diuturna incarceratione, poſt praegreſſam atrociorem aut fre-

 quen-

quentiorem passionem colicam aut iliacam, post insultus apoplecticos et propter plures alias caussas procatarcticas, tono suo magis minusve privantur, adeoque flaccida, quin plane nonnunquam paralytica fiunt, ac sese proinde in rugas amplius contrahere nequeunt, sed, laevia reddita, chylum absque solita in venas lacteas filtratione cito per totum canalem suum cum partibus excrementitiis descendere permittunt, 2) quando vasa lactea circa originem suam in intestinis, aut sub ulteriori suo per mesenterium eiusdemque glandulas progressu a coacervata saburra viscida aliove modo obstruuntur, vel multa eorundem ostiola post praegressam dysenteriam gravissimam plane concrescunt, ita ut chylus ista intrare amplius ac permeare nequeat, et 3) denique, quando ob bilis defectum aut inertiam chymus in chylum perfectum ac satis fluidum commutari nequit, et quoad partem ideo rudiorem, quae venas lacteas ob crassitiem subire nescit, cum excrementis ad anum progredi cogitur.

§. XI.

Pleraque remedia, quae contra lienteriam commendata fuerunt, etiam in coeliaca pro-

profunt, roborantibus tamen, præfente ductus choledochi aut venarum lactearum obstructione, *refolventia*, *abftergentia* et *aperitiva varia*, quæ fufius ac fpecialius in fequentibus, fub *Icteri* et *Atrophiæ meferaicæ* curatione, videnda funt, addi aut prætermitti debent, et circa illam quoque fpeciem, quæ interdum gravi dyfenteriæ et fuperficiariæ inteftinorum exulcerationi fuccedit, adhuc notandum venit, rariffime iftam, vel rectius nunquam, perfecte tolli poffe, quoniam remedia coalitis vaforum lacteorum oftiolis referandis fine exceptione imparia exiftunt.



CAP. X.

DE
DIARRHOEA.

§. I.

DIARRHOEAE VVLGARES, adeoque a dyfenteria aliisque cruentis fluoribus alvinis diftinctæ, vel *criticæ prorfus* ac *magis* proinde *minusve falutares*, vel *ftrictius morbofæ*, *nocivæ* et *plane* interdum *deleteriæ* funt.

In hisce enim, quibus diarrhoeae *colliquativae* hecticorum, *coeliaco-lientericae*, ac febrium exanthematicarum, praesertim malignarum, *symptomaticae* accenseri merentur, vel utiles saltim humores nutrientes, vel alimenta semicocta, aut faeces chylo remixtae, vel impuritates summe causticae, fervidae, cito inflammantes, a corporis peripheria ad interiora retroactae, in illis vero materia quaedam fluidior recrementitia, mole sua et acredine ventriculo et intestinis molesta, eaque modo pituitosa, modo acido-mucida, aut biliosa, aut valde putrida, aut ulcerosa, modo ex hisce mixta, per vices et cum maiori aut minori ventris dolore per alvum excernuntur.

§. II.

Memoratae impuritates discrepantes vel citius aut tardius sub iracundia, sub prava chymificatione ac chylificatione, et post varios errores diaeteticos circa alimentorum quantitatem, qualitatem ac modum ordinemque adsumendi a), in ventriculo et intestinis generantur, vel per glandulas aliaque emissa-

ria

a) Procatarcticae hae causae fusius dudum in Capite de *Digestione laesa* expositae leguntur.

ria in canalem inteſtinalem, ceu communem
viſcerum imi ventris ſentinam, ex ſanguine
et lympha paullatim, immo interdum, ſuffla-
minata imprimis exhalationis cutaneæ liber-
tate, aut expulſis ad cutem exanthematibus
ad interiora denuo retrocedentibus, præcipi-
ti actu et copia maiori deponuntur: Nec ſi-
lentio etiam prætermittendum erit, ſubinde
neglectæ pariter adſuetæ plethoræ ventila-
tioni per venæſectionem, univerſali item ſan-
guinis ac lymphæ muciditati, coryzæ cohi-
bitæ, morbis pectoris pituitoſis, nec minus
fluxus menſtrui, lochialis et hæmorrhoidalis
ſuppreſſioni mucidam diarrhoeam criticam
ſuccedere. De ſingulis cæteroquin idem
nequaquam iudicium valet; nam licet quam-
plurimæ quidem ſalutares aliarumque ægri-
tudinum remedia exiſtant, certo tamem cer-
tius et iterata obſervatione comprobatum eſt,
earum nonnullas, ſi iuſto diutius perdurent,
tandem, propter atoniam partibus ſolidis in-
ductam, et largam ſimul ſuccorum laudabi-
lium excretionem, ſimpliciter morboſas eva-
dere, vel plane, ſi in febribus malignis exan-
thematicis incongrua acerrimæ ac cito in-
flammatis materiæ metaſtaſis ad inteſtina et

 ven-

ventriculum contingat, mortem, ficuti initi dudum retuli, inferre, aut maximum tame periculum portendere.

§. III.

Quemadmodum diarrhoeae criticae, f rite nimirum fuccedant, nec iuftos quantita tis atque durationis limites transgrediantur multos morbos imminentes avertunt, mul tosque, dudum praefentes, feliciter tollunt fic mere feu ftricte morbofae vires valde de iiciunt, totumque corpus fuccis laudabilibu fpoliant. Nam quicquid in hifce excerni tur, fola nequaquam faburra recrementitia eft fed, ficuti pridem §pho primo retuli, na turalis potius et maximam partem finceru humor ferofo-lymphaticus aut liquidior maf fa chylofa, aut pars alimentorum nondun debite fubacta; hinc, propter ftimuli fortio ris defectum, remiffiora faltim, immo inter dum fere nulla, ventris tormina fub excer nendorum defcenfu per inteftina fentiuntur, e longe aliae pariter cauffae, *magna* videlice *ventriculi et inteftinorum atonia*, aut *totius ge neris nervofi imbecillitas*, moerore *a*), curis aliis

a) „Diarrhoeae, BAGLIVUS *in Oper. p. m.* 107 „*inquit*, frequenter oriuntur ex moerore e

liisque variis, in antecedentibus sæpe priem relatis, inducta, vel etiam, ficuti hoc in onsummata hectica obfervamus, *universas humorum dissolutio colliquativa* utplumum adcufandæ veniunt: Vtplurimum, iquam, non femper; quandoquidem fubine etiam fieri folet, ut recrementa quædam aufstica, non mole tamen, fed eminenti dunixat acredine fua peccantia, inteftinorum inicis tenaciffime adhæreant, et hoftili fuo imulo frequentem earum ac magis minusve orminofam contractionem fpasmodicam, ua utiles magis, quam heterogenei humoes expelluntur, fufcitent. Locum quidem oftrema hæc profluvia alvina inter diarhoeas mere morbofas obtinere videntur, ttamen, quum inimica materia ftimulans dfit, plura, intuitu curationis, cum primæ, uam fecundæ claffis diarrhoeis communia abent.

§. IV.

„animi pathematis, funtque fere incurabiles, „præfertim fi caufa mœroris perftiterit: his „fupervenire folet febris erratica, donec tan- „dem atrophia confumpti intereant ægroti &c.

§. IV.

Curatio in diarrhoeis criticis generatim ad tria momenta, ad *peccantis* videlicet *materiæ præparationem*, *materiæ præparatæ omnimodam atque maturam eductionem*, et *pristini roboris restitutionem* redit. Remedia *præparantia*, corrigendis diversis impuritatibus specifice dicata, sæpe dudum in antecedentibus et fusius inprimis in *Cap. de Digestione læsa et Cholera* recensita occurrunt, nec *laxantia* etiam ignota sunt, eminet tamen inter hæc posteriora rhabarbarum verum orientale, nunc solum in substantia ac dosi minori exhibitum, nunc ipsis statim præparantibus refracta quantitate additum. Prior ex hibendi modus melior reperitur, quando, viribus ægri nondum deiectis, diarrhoea adhuc recens est, et copiosa saburra heterogenea in intestinis latet, posterior vero tutius eligitur, si præternaturale hoc profluvium diu pridem duraverit, aut æger iam valde debilitatus sit, aut irritans materia acredine magis, quam mole, peccet. Exclusa penitus impuritate inimica, *roborantia stomachalia balsamica et amara*, *subadstringentibus* nonnunquam remixta, et pro lubitu ad formam variam re-

dacta,

ƈta, in uſum trahenda ſunt, immo interdum, ɔſtili videlicet materia quoad maximam du- ım partem eieƈta, confortantia præparanti- ıs parva ſtatim quantitate miſceri, præſtat.

§. V.

In diarrhoeis ſtriƈtius morboſis nec cor- gentibus nec evacuantibus opus eſt, ſed ſo- *nervina* ac *roborantia ſtomachalia interna* *externa*, in proxime præcedentibus capi- ɔus ad tollendam atoniam commendata, re- ıiruntur. Solummodo tamen hæc ipſa iis ſpeciebus intelligenda ſunt, in quibus ılla prorſus materia vellicans heterogenea inteſtinis hoſpitatur, ſed nervorum dunta- ıt imbecillitas, aut ingens tunicarum inteſti- ılium flacciditas præternaturalis fluoris cauſ- exiſtit. Nam, acerrimo quodam humore teſtinorum tunicis, exigua licet quantitate, nacius adhærente, nonnulla pariter *tempe- ntia*, præſertim *demulcentia*, et deinde etiam niſſima *evacuantia* rhabarbarina ante robo- ntium uſum neceſſaria inveniuntur.



CAP.



CAP. XI.

DE

DYSENTERIA ET HAEMORRHAGIA MESERAICA.

§. I.

DYSENTERIA (a δύς, *difficile*, ἔντερον, *inteſtinum* et ῥέω, *fluo*) in *cruentam* et *non cruentam* ſive *albam* dividitur. Illa creberrima, valde torminoſa ac mucido-ſanguinea, vel etiam mucido-ulceroſo-ſanguinea deiectio alvina eſt, nunc, quanquam paullo rarius, absque ulla propemodum febre accedens atque decurrens, nunc febre mitiori aut graviori, quin penitus nonnunquam maligna, ſtipata; hæc autem, quæ raro tamen ſolitaria reperitur, ſed cruentæ inſolentiori utplurimum ſuccedit, diarrhoeam plane ulceroſam, adeoque priori quoad excretionem non minus, quam ventris cruciatum febremque complicatam multo deteriorem, denotat.

§. II.

§. II.

Non confundi debet dysenteria alba ım singulari quadam *diarrhoeæ vulgaris pi- itosæ* specie: Nam licet in hac posteriori ateria, per vices crebriores excreta, itidem iidem albicans existat, et cum vehementi erumque dolore, eoque prunæ propemo- ım instar urente, per maiorem minoremve nalis intestinalis tractum devolvatur, non cerosa tamen ac fœtidissima est, sed densa, lendens ac gelatinæ ossium recenti quoad olorem, consistentiam, totumque habitum xternum haud dissimilis deprehenditur. on adest præterea febris continua, nec per- etuus quoque ac molestissimus ani tenesmus rget, multo minus indesinentes ventris cru- atus sentiuntur, sed instante tantum nova ectione dolor constringens atque urens in testinis resurgit, eadem vero peracta, vel enitus rursum, vel maximam tamen par- m remittit.

§. III.

Apud subiecta nonnulla crebrior deie- io alvi torminosa ac mucido-cruenta subito sine prodromis singularibus supervenit, apud

apud alia, et quidem quamplurima, anxietates praecordiales, dolores cardialgici, ructus frequentes, inflationes abdominis, tormina inteſtinorum leviora, conatus vomendi, quin ipſi aliquando vomitus actuales adventum eius praeſagiunt. Materia excreta initio, propter largam muci inteſtinorum naturalis abſterſionem atque miſcelam, copioſior, albicans aut flaveſcens, et ſtriis duntaxat atque punctis ſanguineis paſſim notata cernitur, deinde autem magis paullatim magisque cruenta evadit, et cum ignei prorſus ardoris ſenſu per anum excluditur. Dolores inteſtinorum, qui, nova inſtante deiectione, vehementiſſimi torquentes, lacerantes, ſcindentes ſunt, nonnihil quidem poſt excretionem quamcunque miteſcunt, nunquam tamen durante morbo penitus remittunt, ſed ſaltim mitiores atque obtuſiores redduntur. Torquent praeterea patientem conſtantes anxietates praecordiorum et teneſmus ani perpetuus ſeu continua deſidendi cupiditas, quam ſub morbi progreſſu et declinatione nonnunquam procidentia inteſtini recti ſequitur. Adſunt etiam ſitis magna, imminutio aut plenaria deiectio adpetitus eſculentorum, languor atque debi-

lebilitas corporis, magis ſucceſſive magis-
que, quin ſubito aliquando increſcens, fluxus
:emque urinæ parcior aut omnimoda inter-
um eiusdem per intervalla ſuppreſſio, nec
ninus febris, nunc gravior et ſubinde pror-
us maligna, nunc remiſſior, nunc adeo mitis
tque benigna, ut vix ſentiatur, ac plane ea
ropter, ſicuti antea dudum retuli, abeſſe
:edatur.

§. IV.

Ex memoratorum aliorumque ſympto-
atum et iunctæ inprimis continuæ febris
rocia diiudicandum erit, an dyſenteria be-
gnam, an vero maligniorem indolem ha-
eat. In benigna quippe febris duntaxat
itior, immo interdum mitiſſima et vix ideo
rceptibilis adeſt, et cuncta pathemata reli-
a remiſſiora inveniuntur; in maligniori ex
verſo febris gravior, ac valde nonnunquam
ninoſis ſymptomatibus, plenaria videlicet
petitus deiectione, ſumma atque præcipiti
ium proſtratione, pulſu frequenti et ingen-
præcordiorum anxietate, ſtipata, tormino-
n diarrhoeam mucido-cruentam præcedit,
l protinus tamen eidem iungitur, et quæ-

vis pariter ſymptomata reliqua, quibus ſubinde petechiæ, exanthemata purpurata, aphthæ, inflammatio faucium anginodes, ſingultus, ardor et morſicatio ventriculi maxima, vomitus purulentus aut ulceroſus *a*) &c., accedunt, atrociora exiſtunt. Occurrit quoque notabilis differentia circa excretæ materiæ qualitatem; quippe quæ in malignioribus ſpeciebus minus cruenta, ſed magis ſanioſa, cineritii, aut nigricantis, aut ferruginei coloris eſt, et fœtorem plane cadaveroſum ſpargit.

§. V.

In Africa, India orientali pluribusque terræ tractibus valde æſtuoſis atque æquinoctialibus

a) „Præter hæc incommoda, RICHARDVS MEAD *ſcribit*, „vomica etiam interdum, ſive „ſuppuratio interna, in ventriculo naſcitur. „Hoc quidem raro fit, non ſemel tamen acciſſe vidi; cum magnam profecto ſanguinis „ſimul et purulentæ materiæ copiam evomebat æger. Terret ſane iſte caſus, at plerumque tamen non magnum periculum adfert; „iisque adſumtis, quæ membranas exulceratas „conglutinent, inprimis *balſamo Locatelli*, redit „ſanitas. Vid. *Monita eius et Præcepta medica* „*p.* 63.

tialibus dysenteria, utplurimum tamen mi-
us contagiosa, quocunque propemodum an-
i tempore passim nasci consuevit, in nostris
ero cæterisque regionibus temperatioribus
itio plerumque aut medio mensis Augusti,
el subinde etiam, licet rarius, initio dudum
ut sub finem Iulii *a*) primum exoritur, et
er totam deinde æstatem exeuntem, ad
quinoctium autumnale usque, quin serius
liquando *a*) vel unum hinc inde alterumve
untaxat hominem corripit, vel, quod fieri
olet frequentius, populariter et cum magna
nterdum ægrotantium strage grassatur. Val-
e enim intuitu originis ac caussæ materialis
iscrepat, et necessario in *stomachalem* et *san-
uineam* distinguenda est. In priori nimi-
um, ceu minus frequenti minusve contagio-
, materia heterogenea ac caustica, quæ in
otum acta mucum intestinorum naturalem
stergit, et tunicas denudatas deinde erodit,
ellicat, quin sæpius plane inflammat, lace-
t atque exulcerat in prima culina ex meris
imentis corruptis, aut immaturis aliove mo-

 do

a. b) Vid. *Acta Medicor. Berolinens. Tom. I. Vol.* 4. *p.* 25. *Vol.* 6. *p.* 32. *Tom. II. Vol.* 9. *p.* 70.

de vitiosis fructibus horaeis, vel ex hisce etiam et fervida simul bile, largius in intestina sub iracundia vehementiori effusa, generatur, adeoque pro diverso cruditatum praeexistentium genio, nunc *mucido-acida*, nunc *acido-biliosa*, nunc *mucido-urinoso-putridula* reperitur; in posteriori autem, quae ordinario epidemica ac multo magis contagiosa est, ex massa sanguinis ad vascula intestinorum confluit, ac sensim per ductus glandularum et reliqua emissaria in cavitatem eorum excernitur; hinc stomachali etiam dysenteriae vel nulla omnino febris perfecta, vel saltim levior et post diarrhoeae demum initia superveniens, complicata reperitur, sanguineam contra ordinario febris, eaque haud raro gravior et magis aliquando minusve maligna, quae fluorem cruentum subinde aliquantulum praecurrit, subinde cum isto coniunctim et eodem prorsus tempore accedit, comitatur.

§. VI.

Materia virulenta, quae ex sanguine ad intestina defertur, quoad specificum suum genium exacte quidem determinari nequit, alteram tamen, in prima culina genitam, subtilitate

litate et utplurimum quoque acredine cauſtica
uperat, ac modo ſeſe per contagium in cor-
pora ſana inſinuat, modo in ipſis humoribus
circulantibus ſub diuturniori tempeſtate aeris
calida et ſicca, creberrimaque tunc temporis
ac forti ſudatione ex partibus cruoris ſalino-
oleoſo - inflammabilibus naſcitur: Vnde ratio
etiam manifeſta evadit, cur dyſenteria ordi-
nario exeunte demum æſtate oriatur, cur
plerumque epidemice graſſetur, et illa inpri-
mis ſubiecta corripiat, quæ corpus æſtuans
ut ſudore madidum, præſertim tempore
nocturno, refrigerant, et neceſſariam itaque
exhalationem cutaneam, qua acres fervidæ-
que impuritates e corpore paullatim elimi-
nantur, magis minusve ſufflaminant.

§. VII.

Dyſenteria periculo nunquam penitus
vacat, alia tamen ſpecies præ alia periculo-
ſior deprehenditur, nec parum quoque circa
prognoſin formandam refert, an patiens ad-
huc iunior, an provectiori dudum atque ſe-
nili ætate ſit. Nam pueri, iuvenes ac reli-
qui vegetæ ætatis adulti, ſi eadem ſcilicet
dyſenteriæ ſpecie decumbant, facilius, quam

 ſenes,

ſenes, evadunt, et alia omnino prognoſis ir dyſenteria benigna, quam maligniori, alia pa riter in ſtomachali, quam ſanguinea locum invenit. Mitior nempe atque benigna, præ ſertim ſtomachalis, feliciter utplurimum et in terdum ſatis cito tollitur; ſanguinea ex ad verſo plus negotii medentibus faceſſit, ac ſæ pe ſæpius, ſi malignior inſimul et epidemic ſit, funeſtum eventum ſortitur, magnamqu ſubinde hominum ſtragem, præſertim in mi litum caſtris, edit; nec prætermittendum quoque, veram dyſenteriam albam ſeu muci do-ulceroſam periculi magnitudine ſempe cruentam ſuperare, et plerumque, ſi ægri fe liciter interdum hoc morbo eluctentur, cœ liacam poſt ſe relinquere.

§. VIII.

Tempus durationis exacte quidem de terminari nequit, id tamen certum eſt, dy ſenteriam malignam diu absque vitæ diſcr mine vix aut ne vix tolerari poſſe, ſed intr brevius utplurimum tempus miteſcere ru ſum, aut, quod fieri ſolet frequentius, a mortem terminari, benignam vero pro diffe renti materiæ peccantis copia atque origin

nu

nunc citius ceſſare iterum, nunc longius et ad aliquot ſubinde hebdomades, citra vehementia ſymptomata, protrahi. Salutis cæteroquin rediturae et periculi pariter mortisque imminentis praeſagia a viribus ægri, adpetitu, materiæ excretæ qualitate, febre, cæterisque ſymptomatibus deſumenda ſunt. Siquidem fauſtum prædicere poſſumus eventum, quando vires corporis et ciborum appetentia nec ſubito nec penitus deiiciuntur, ſed, morbo etiam protracto, nonnihil tantum atque paullatim imminuuntur, quando, febre vel nulla omnino vel ſaltim mitiori præſente, materia albida aut flaveſcens mucoſa, pauco ſanguine remixta, aut ſtriis duntaxat punctisque cruentis notata, cum remiſſioribus ventris torminibus et citra vehementem teneſmum atque ardorem excernitur, immo, iam iam approximantis convaleſcentiæ ſpem concipere licet, quando tormina remittunt, adpetitus paullatim redit, et ructus atque flatus identidem erumpere incipiunt. Secus iudicandum, morbumque facillime funeſtum fore pronunciandum erit, ſi diarrhoeæ admodum cruentæ febris vehemens ac valde inflammatoria, cum ingenti præcordiorum anxietate,

et magna ac ſubitanea virium atque appetentiæ proſtratione, complicata reperitur, ſi exanthemata quædam purpurata aut maculæ petechiales in cute adparent, vel aphthodes faucium inflammatio cum ſpirandi ac deglutiendi difficultate, aut continua gulæ atque ventriculi morſicatione, ſupervenit, et denique, ſi materia fœtida ulceroſa, ſaturate croceo aut ferrugineo, quin nigricante colore tincta, cum maximo ac magis in dies magisque invaleſcente ventris cruciatu, aſſiduo teneſmo, et igneo quaſi, dum exit, ardore excluditur. Vt nihil de ſingultu, frigore extremorum, potulentorum cum ſonitu ad ventriculum deſcenſu, et plenaria ac ſubitanea doloris, absque febris cæterorumquæ ſymptomatum decremento et citra ullam euphoriam, remiſſione dicam; quippe quæ, mortem poſt breve tempus inſecuturam eſſe, teſtantur.

§. IX.

Curatio huius morbi partim *venæſectione* et *evacuantium pharmaceuticorum*, partim *demulcentium*, *temperantium* ac *roborantium* uſu abſolvitur. Circa venæſectionem ſcriptores

ptores magnopere diſſentiunt, eamque alii, quibus RICHARDVS MEAD, expertiſſimus quondam ac ſolertiſſimus Medicinæ practicus ſeſe pariter adiunxit *a*), in quacunque propemodum dyſenteriæ ſpecie ſuadent, alii illam ſimpliciter reprobant, noxiamque declarant. Pro meo iudicio, via media incedere, tutiſſimum erit: In dyſenteria enim graviori, præſertim ſanguinea, perfecta protinus ac paullo vehementiori febre ſtipata, apud adultos, eosque valde plethoricos, phlebotomia initio ſtatim in brachio inſtituta, ad inflammationem inteſtinorum inſolentiorem avertendam, aut dudum exortam denuo minuendam multum omnino confert, nec quicquam detrimenti, quantum ego quidem perſpicio, procreare valet, in benigniori autem, tam ſtomachali, quam ſanguinea, absque

a) „Difficilior res eſt, *inquit l. c.*, ubi dyſenteria, aut torminibus, inteſtina excruciantur. „ - - - - Semper igitur, ut ad curationem veniam, primum ſanguinem mittere expedit. Deinde vomitus utiliſſimus eſt; quem „*vino ipecacoanhæ* non ſemel, ſed ter quaterve, „interpoſito biduo vel triduo, elicere optimum „erit &c. &c.

febre manifesta, aut cum mitiori saltim febricula accedente, haudquaquam, nisi maxima forsan sanguinis abundantia tempestivam administrationem eius aliquando imperet, prodest, sed leniorem actum excretorium nonnihil turbat, vel penitus ad minimum superflua existit, nec unquam pariter in ea dysenteria, in qua sub prima statim accessione ingens virium prostratio et plura veræ malignitatis signa adsunt, institui debet: Quod *laxantia* autem et *leniora emetica* attinet, illa sub mali primordiis usum magis communem habent, et maxime inter ea, præter pilulas STAHLII, radix ipecacoanhæ et rhabarbarum orientale eminent, posterius tamen, propter indolem mitissimam tutissimamque operationem, priori, licet vulgo singulare prorsus in dysenteria remedium specificum prædicetur, iure præferendum est, præsertim, si habita speciei, durationis, excretionis ac febris ratione, decenti dosi iustoque tempore et ordine in usum trahatur. Quæ postrema igitur ut recte intelligantur, sequentes regulæ generales circa usum memoratorum evacuantium tenendæ erunt:

I. In

I. In dyſenteria ſtomachali, praegreſſo inprimis manifeſto errore diaetetico circa alimenta, evacuantia laudata non proficua ſolum, ſed valde etiam neceſſaria ſunt, et radix ipecacoanhae, ſi morbus nempe adhuc recens et excreta materia magis mucida adhuc, quam cruenta eſt, ſub forma infuſi vinoſi ad ſcrupulum unum aut grana viginti quatuor, in pulvere autem ad decem vel quindecim grana, rhabarbarum vero contuſum ad grana ſedecim, aut ſcrupulum unum, nunc per ſe, nunc additis aliquot lapidum cancrorum et nitri depurati granis, adultis exhiberi poteſt; in dyſenteria ſanguinea ex adverſo pilularum STAHLII et ipecacoanhae uſus plane exulare debet, praeſertim, ſi cum diarrhoea cruenta ac valde torminoſa confeſtim febris continua gravior acceſſerit.

II. In dyſenteria ſanguinea nec ipſum quoque rhabarbarum, niſi ſimul forſan fundata ſaburrae, in prima culina praeexiſtentis et diutius pridem ac copioſius collectae ſuſpicio adſit, maiori quantitate

titate propinari oportet, ſed iſtud refracta ſaltim doſi, ad pauca nimirum grana, demulcentibus ac blandis abſtergentibus addendum eſt. Idem monitum in quacunque pariter dyſenteriæ ſpecie valet, quando, morbo per aliquot pridem dies protracto, aut vehementiori febre complicata, mera dudum materia cruenta deiectione crebriori et cum inſolentioribus ventris torminibus excernitur. Nam probe conſiderandum erit, in dyſenteria ſanguinea, præprimis maligniori, ſaburram virulentam, ad inteſtina depoſitam, magis acredine eminenti, quam mole, peccare, et parietes inteſtinorum in allegato caſu poſteriori, propter muci naturalis abſterſionem, iam maximam partem denudatos ac magis dudum minusve inflammatos atque eroſos eſſe, nec irritantia itaque, per ſe ac doſi maiori oblata, commode amplius et citra noxam perferre poſſe.

§. X.

Præmiſſo tempeſtivo ac rationali evacuantium uſu, *demulcentia* protinus, *temperantia*,

antia, blanda abſtergentia et *leniora diapho*
etica requiruntur: Non opus tamen eſt, ut
orum ſingula ſeorſim adhibeantur, ſed utili-
er illa in formulis quibusdam miſceri pot-
runt, et quum maximus quoque horum re-
nediorum numerus ſit, præſtantiora tantum
ligenda, iisdemque pro mea ſententia, itera-
æ experientiæ teſtimoniis ſuffulta, mucila-
inea et gelatinoſa, tum ſibi relicta, tum ab-
tergentibus lenioribus, balſamicis, aliisque
dpropriatis remixta, iuſcula v. g. pullorum
t avenæ excorticatæ, albumen ovorum re-
ens, cum ſacharo conquaſſatum et aqua hor-
leacea aut ſimplici dilutum, ſolutio aquoſa
enuior gummi Arabici, gelatinæ eboris, cor-
u cervi aut crurum vitulinorum, ſerum la-
tis dulce, decocta ex hordeo, avena, milio,
adice ſcorzoneræ recentiori, althææ, tuſſi-
aginis, herbæ meliſſæ, betonicæ, flavedine
orticis citri, ſem. fœniculi, raſura cornu cer-
i aut eboris, nitro depurato parciſſime im-
prægnata, nec minus electuaria ex ſyrupo
lialthææ et de ſymphyto FERNELII, ex-
racto angelicæ, chamomillæ vulgaris, pul-
vere rhabarbari et caſcarillæ accenſenda ſunt,
mmo emulſiones dilutiores ac tepide hau-
ſtæ

ſtæ ex amygdalis dulcibus, ſem. quatuor frigidis maioribus aut minoribus, ſem. milii ſolis, cardui Mariæ, conchis præp. et pauxillo nitri in dyſenteria ſanguinea non contemnendum auxilium præſtant.

§. XI.

Internis hiſce identidem quoque *clyſmamata* ex tepido ſero lactis dulci, vel ipſo lacte et iuſculo avenaceo, vel ex radice althææ, herba ac floribus malvæ. flor. chamomillæ vulgaris, liliorum alb., ſemine lini, fœni Græci, nigellæ Rom., carvi et oleo infuſo chamomelino, aut melle aut pauxillo terebinthinæ, vitello ovi ſubactæ, iungi debent; quippe quæ, initio morbi iniecta, materiæ hoſtilis partem educunt, in progreſſu autem cauſticas particulas obtundunt, eroſionem inteſtinorum inflammatoriam, præſertim coli et recti, minuunt, et hac ratione ventris cruciatus atque teneſmum valde utplurimum mitigant. Egregie etiam ad teneſmum ſopiendum *fotus* ex ſpeciebus mucilagineis et oleoſis, floribus ſambuci v. g., chamomillæ vulgaris, ſemine lini, fœn. Græci &c. cum lacte coctis, vel tepidus ſolummodo eiusdem decocti

oѢi aut aquæ ſimplicis *vapor*, ex ſella per-
orata deſidendi tempore ad anum admiſſus,
nmo, niſi præſens dudum aut imminens ani
rocidentia horum et fotuum quoque atque
lyſterum emollientium adplicationi obſtet,
ippoſitoria etiam ex ſevo cervino aut bovi-
o, nec minus, ad doloroſam ani eroſionem
eniendam, *unguenta* ex oleo infuſo liliorum
b., chamomelino, verbaſci et mucilagine ſe-
inis lini aut fœni Græci, aqua fervida ex-
acta, et ſimilibus parata, ac linteis raris mol-
ousque adplicata, conducunt. Exulent ve-
o tam interne, quam externe quævis alexi-
harmaca calidiora, et adſtringentia, quoniam
riora febrem et inflammationem valde ex-
perant, poſteriora autem, ulteriorem mate-
æ virulentæ excluſionem prohibendo, gan-
ænam, ſphacelum mortemque facillime in-
runt.

§. XII.

Diarrhoea cruenta non minus, quam
bre ceſſante, aut valde tamen imminuta, et
enitus quoque remittente aut notabiliter ad
inimum mitigato ventris cruciatu, de reſti-
tione integritatis ac roboris inteſtinorum
co-

cogitandum, et in hunc finem *roborantia* nonnulla, quae aliqua simul virtute *travmatica* pollent, praescribenda sunt. Nolo singula, quae in hoc casu proficua iudicantur, specialius exponere, sed paucis tantummodo dixisse sufficiat, pilulas ex gummi galbano, extracto aquoso myrrhae genuinae, cardui benedicti, scordii, balsamo Peruviano ac Tolutano, pulvere cinnamomi, nucis moschatae, cascarillae &c., nec minus electuaria ex syrupo mastichino, melissae, cort. citri, aurantiorum, rob iuniperi, succo granorum chermes, et vix memoratis extractis atque pulveribus, quin solum rob iuniperi in vino malvatico, aut balsamum Peruvianum ad guttas 10. vel 12. cum vitello ovi, ad semifluidam consistentiam cocto, adsumtum, sua sese utilitate, prae multis aliis commendare, nec sua pariter laude *confortantia externa*, vaporem videlicet terebinthinae, prunis iniectae, per inferiora exceptum, linimenta abdominis, ex aqua embryonum, cephalica imp., mastichina, vitae mulierum, spiritu matricali &c., unguenta ex ungu. nervino aut stomachali Off., oleo nucis moschatae expresso, balsamo Peruviano, pulvere castorei, croci, oleo dest.

, suc-

uccini, menthæ, carvi, maioranæ, rosmarini &c., emplastrum de crusta panis, de baccis auri, santalinum, stomachale Off. &c., sac-ulos ex rad. imperatoriæ, herba menthæ rispæ, maioranæ, flor. chamomillæ Rom., emine carvi et nigellæ Rom., baccis lauri &c., cum vino coctis, et huius commatis alia efraudanda esse.

§. XIII.

Breviter denique hoc loco commemo-are haud alienum est, præter remedia hacte-us exposita, morboque tollendo iuxta me-hodi rationalis normam non congrua solum, ed sæpissime etiam adæquata, nostro ævo multis *corticem Simaroubam a)* summis in dysen-

a) Cortex hic, qui anno huius seculi decimo ter-tio primum in Gallia innotuit, ex regione qua-dam Americæ æquinoctiali, *Guiana* dicta, et co-piose inprimis ex insula *Cayenne*, adfertur, non-dum satis descriptus est. Colorem gryseo-fla-vescentem, et amaricantem-saporem obtinet, odore autem destituitur. Fluxum cruentum, præmissis tamen consuetis evacuantibus et non-nullis pariter demulcentibus, tuto compescere

dyſenteria laudibus ornari, immo nonnullos
ſi ferocia ſcilicet dolorum vix amplius tole
rabilis et fluxus cruentus admodum rebell
exiſtant, ad uſum *opiatorum* confugere. S
maroubam, cuius ſingularem in dyſenteria e
ficaciam frequens dudum experientia com
probavit, absque ulla hæſitantia admitt
eun

dicitur, ac vulgo in pulvere, aut, quod præſta
in decocto ſaturatiori exhibetur. Decoctu
hoc ſemel iterumque, ſi neceſſe fuerit, ex du
bus utplurimum corticis drachmis et ſufficien
aquæ ſimplicis quantitate, ad octo circiter u
ciarum pondus ebulliendo redacta, paratur,
deinde vel ſibi relictum, vel tinctura rhabarba
aut eſſentia caſcarillæ, aut ſyrupo papaver
rhoeados remixtum, elapſo quovis trihorio, a
quadrihorio, ad unum aut duas uncias haurit
donec diarrhoea cruenta ceſſet; quemadm
dum plura de hiſce ac præcedentibus in *Hiſtor*
et *Commentariis Academiæ Regiæ Pariſinæ an*
1729, nec minus in *Commercio litt. Norimb. an*
1732 p. 337. DEGNERI *Hiſtoria medica de D*
ſenteria bilioſo-contagioſa, quæ 1736. Neom
epidemice graſſata fuit, IOH. FRID. CRELL
Diſſ. de Cortice Simarouba Helmſtadii 1736. habi
et ANDR. ELIAE BVCHNERI *Fund. M*
med. p. 548. ſequ. &c. videri poſſunt.

eumque, dummodo in Officinis pharmacevticis ubique venalis prostaret, crebrius usurpandum esse, censeo, circa opiatorum vero usum, qui initio morbi et maxima nondum materiæ virulentæ parte per alvum exclusa, nunquam securus est, summa cautione opus esse, omnes practici circumspecti mecum confitentur.

§. XIV.

A dysenteria HAEMORRHAGIA MESERAICA, quæ non adeo inepte etiam *Cœliaca cruenta* vocari posset, magnopere differt. Repetitam enim, immo interdum saltim unicam, nunc parciorem, nunc largiorem, solitarii cruoris fluidi, vel subinde etiam crassi, coagulati ac paullulum nigricantis excretionem per alvum designat, et apud subjecta inprimis plethorica, si diætæ vinosæ indulgeant, nec minus hypochondriaca atque hysterica, quæ magno vasorum mesenterii, hepatis, lienis &c. infarctu, quin vera hinc inde venarum reducentium obstructione laborant, subinde, quanquam paullo rarius in nostris regionibus *a*), supervenire consuevit.

 §. XV.

a) Singularis ille *Fluxus alvi cruentus*, qui Luteliæ Parisiorum homines multos et advenarum

§. XV.

Prodit hic ſanguis vel ex ruptis quibusdam vaſorum meſeraicorum ramulis, internam inteſtinorum tenuium ſuperficiem perreptantibus, vel ibidem per nimiam duntaxat dilatatas arteriolas ſeroſas ſenſim in canalem inteſtinalem emittitur; unde ratio etiam facillime pateſcit, cur quantitas cruoris, per alvum excreti, nunc magna, nunc vero parcior ſit. Primam ſanguinis effuſionem in inteſtina vehementes plerumque dolores tenſivi, conſtringentes, quin atrociores quandoque lancinantes circa ventriculum et in tota

ſuprema

inprimis quamplurimos corripere ſolet, ac vulgo proinde *le Mal de Paris* appellatur, mihi nullus quoque morbus alius, niſi hæmorrhagiæ meſeraicæ ſpecies, eſſe videtur. Quocunque enim anni tempore, citra febrilia plerumque ſymptomata, citra gravia dyſenteriæ pathemata ac citra ullum pariter contagium ſanis ſupervenit, et ordinario cum diarrhoea vulgari incipit, quæ poſtea in mere cruentam degenerat. Incolæ ſanguinei huius profluvii ortum aquæ fluvii *Sequanæ,* cuius potus et reliquus uſus oeconomicus in dicta urbe communis eſt, tribuunt: An cauſſa autem hæc vera ſit, nec ne, experientia ſufficienti deſtitutus, determinare nequeo.

ſuprema ac media imi ventris regione præcedunt, qui deinde tamen, facta videlicet ſufficienti cruoris abundantis et ſtagnantis eruptione, ita ſenſim miteſcunt atque remittunt, ut interdum ſub deſcenſu ſanguinis per inteſtina et ſub ipſa poſtmodum excretione per alvum, vel nulla omnino, vel leniſſima tantum ventris tormina ſentiantur. Prognoſis cæteroquin pro cauſſarum diverſitate admodum diſcrepat. Nam, ſi ſola plethora commota et leviores tantum vaſorum meſenterii aliarumque partium ac viſcerum infarctus in culpa ſunt, hæmorrhagia hæc citius atque facilius tollitur: Sin perfectæ autem ac refractariæ partium dictarum obſtructiones aut graviores ac contumaciores infarctus cruentæ huius exundationis cauſæ exiſtant, malum curatu difficilius ac ſatis ſubinde diuturnum eſt, et corpus nonſolum viribus valde ſpoliat, ſed febrem etiam lentam aliaque pathemata ominoſa adducit, immo interdum plane lethiferum evadit.

§. XVI.

Nulla plane remedia ſpirituoſa aliaque calidiora commoventia, nec ulla pariter cathartica et laxantia hic morbus patitur, ſed,

præmiſſa *venæſectione revulſoria*, adeoque frequentius in brachio, quam pede adminiſtranda, *diæta temperata ac modice refrigerante*, nec non remediis *diluentibus gelatinoſo-mucilagineis*, *temperantibus nitroſis* et *lenioribus aperitivis*, quæ blande tantum incidendo, ut ſalia neutra, vel leniter abſtergendo et attenuando, ut extractum chamomillæ vulgaris, angelicæ &c., cum liquore terræ foliatæ tartari aquoſo aut vinoſo ad tincturæ formam redacta, operantur, præcipue tollendus eſt: Hiſce tamen poſt uſum temporarium *mitiora* quædam *confortantia*, et, paſſione hypochondriaca aut hyſterica complicata, nonnulla etiam antiſpasmodica aliaque in affectibus hiſce ſpecifica addi, aut uſui eorum interponi debent.



CAP. XII.
DE VERMIBVS INTESTINORVM.

§. I.

HELMINTHES ſive *Vermes*, in hominum vivorum inteſtinis perſæpe hoſpi-

pitantes, magnitudine non minus, quam forna difcrepant, ac generatim (loquor tantum le vulgaribus atque frequentioribus) vel *tæiæ* funt, vel *lumbrici*, vel *cucurbitini*, vel *fcarides*. Nonnulli quidem, tænias cucuritinos, numerofe cohærentes et communi inrolucro inclufos, effe ftatuunt; at, multùm mnino difcriminis hos et illas intercedere, x ftatim fubfequente defcriptione luculeniffime patebit.

§. II.

Tæniæ five *Lumbrici lati* funt vermes lbicantes, longi, nonnihil lati, compreffi et ransverfis per totum geniculis divifi: Vidi amen aliquoties tænias, ex gobiorum fluviailium aliorumque animantium ventriculo et nteftinis exemtas, quæ fafciæ quidem inftar lanæ ac longæ erant, confpicuis tamen geiculis penitus carebant *a*). Longitudinem houm vermium fæpius ad unam, duas, tres, uatuor, quinque, ulnas, quin ultra, adfcenlere, certum eft; quod femper vero unica

N 4 tantum

a) Conf. *Mifcellanea Soc. Reg. Berolinenfis Cont. II. p. 42. et 43.*

tantum tænia, nunquam plures, uti nonnulli ſtatuunt, in inteſtinis reperiantur, obſervationi refragatur, nec mihi ſatis quoque probatum videtur, faſciatos hoſce lumbricos, niſi citius forſan extinguantur, maiora in dies, ad hominis mortem usque, incrementa capere *a*). Hoſpitium ſuum ordinario in inteſtinis tenuibus aut in ventriculo habent, et vivi atque integri rariſſime vel nunquam corpore egrediuntur, ſed interemti in corruptum liquamen fatiſcunt, aut, paſſim duntaxat putredine diſſoluti, fruſtulatim cum ſcybalis alvinis eiiciuntur.

§. III.

Lumbrici rotundi ſeu ſtrictius ita nuncupati forma corporis lumbricos terreſtres referunt, albi tamen ſunt, aut pallide tantum rubeſcentes, nec facile quoque pedem longitudine excedunt. Dominus I. L. FRISCH, Rector olim ſcholæ Berolinenſis curioſiſſimus, lumbricos inteſtinorum rotundos larvas ſeu nymphas tæniarum eſſe, credidit: „Totum, *inquit*,

a) Plura de hac vermium ſpecie in Celeb. LINNAEI *Diſſ. de Tænia* videri poſſunt.

,*quit a*), corpus lumbrici consistit e tribus ,partibus. Quarum exterior est cutis; in- ,teriores, duo intestina, brevius unum, alte- ,rum longius - - - - - - . Intestinum lon- ,gius vero inprimis notandum est. Nam ,1) Succum album et crassiorem continet. ,2) Vmbilico in media sui parte, ubi magis ,impletum est, adhæret. 3) Vtraque pars ,ab umbilico dependens multo longior est, ,quam alvi spatium et totus vermis, hinc et- ,iam instar intestinorum in corpore anima- ,lium complicata et curvata iacet et pro ,quantitate succi versus extremitates subinde ,subtilior fit, sine vestigio tamen ullius aper- ,turæ. Hinc lumbrici ad metamorphosin ,maturiores etiam hoc albo succo repletio- ,res sunt, et exterius plus alboris habent tra- ,lucente hoc succo. Minores vero rubi- ,cundiores sunt, prævalente cutis colore. ,Hoc album intestinum sive hæc principalior ,vermis pars interior mihi videtur esse tæ- ,nia, quæ sub larva et in cute lumbrici nutri- ,mentum suum in corpore animalis quærit,

 donec

a) In vix allegatis *Miscell. Soc. Reg. Berol. l. c. p. 47. sequ.*

„donec ad iuſtam corporis molem pervene-„rit et exuviis abiectis ſua vera forma appa-„reat, ut papilio relictis erucæ et aureliæ „ſive chryſalidos exuviis &c.„ Suo loco hanc ſententiam relinquo, et præcedentibus tantum addo, lumbricos rotundos, docente obſervatione, ſubinde quidem inteſtinorum tenuium ac pylori tunicis, hirudinum fere inſtar, labiis oris ſui et ſingulari quodam unciculo mordicitus adhæreſcere, ut tuberculum inde ſeu callus exoriatur *a*), plerumque tamen vitam mobilem agere, et interdum ideo ad inteſtina craſſa detruſos aut ſponte deſcendentes per anum exire, vel longe ſæpius ieiuno inprimis ventriculo alimentum quæſituros, ad ventriculum prorepere, nauſeamque ac largum ſalivæ confluxum morſicatione ſua concitare, quin vomitu aliquando eiici, aut ſpontanea per œſophagum reptatione in cavitatem oris erumpere.

§. IV.

Cucurbitini, qui itidem inteſtinorum tenuium incolæ ſunt, albi, lati, compreſſi, et magni

a) Conf. FRISCH *l. c. p.* 47.

agnitudine ac forma cucurbitæ ſeminibus
nillimi exiſtunt, nec raro tam arcte tantoque
mero cohærent, ut quaſi catenam forment,
rmemque longum et plane ſingularem tæ-
arum ſpeciem mentiantur. Aſcarides de-
que, valde inprimis infantibus ac pueris fa-
liares, vermes parvi ſunt, tenues, teretes et
iles, ad formam et magnitudinem vermicu-
rum in caſeo accedentes. Nidulantur hi ver-
culi unice in inteſtinis craſſis, ibidemque, et
axime circa anum, continua reptatione ſua
oleſtiſſimum pruritum excitant, et licet nu-
erofiſſimi quidem identidem cum excremen-
eiiciantur, copioſa tamen eorum progenies
ſt breve tempus denuo ſuccreſcit, ita ut
nitus extingui nequeant, niſi una cum ver-
bus ipſa pariter ſeminia expellantur.

§. V.

Teſtante experientia quotidiana, ver-
es crebrius quidem apud infantes ac pue-
s, quam adultos, et crebrius pariter apud
minini, quam virilis, ſexus homines in in-
tinis hoſpitantur, in clara tamen luce non-
m poſitum eſt, an lumbrici, præſertim la-
ſive tæniæ, cum homine, ſecundum quo-
rundam

rundam ſententiam, ſimul naſcantur, an ver uti alii rurſus exiſtimant, ſeminia eorum, a vivi protinus vermiculi cum eſculentis d mum ac potulentis in ventriculum defera tur. Id ſaltim notum plane atque certiſſ mum eſt, addephagiam, largiorem dulciu adſumtionem, inertiam bilis, ventriculi imb cillitatem et cruditatum mucido - putridaru in prima culina collectionem uberiorem g neſi eorum atque incremento admodu favere.

§. VI.

Aſcarides hoſpitium ſuum in inteſtin craſſis non continuo tantum ac moleſtiſſim circa anum pruritu produnt, ſed frequer etiam exitu cum excrementis alvinis certu prorſus ac manifeſtum reddunt; ad lumbr corum vero ac tæniarum ſigna dolores ve tris matutini, nauſea atque creberrima ieiun ventriculo ſputatio, aut largior tamen ſaliv in ore confluxus, fœtor oris, pallor facie oculi concavi et color tunicæ albugineæ l veſcens, pruritus ac mador narium, falla per intervalla genarum rubor, ſtridor de tium atque pavores inter dormiendum, ſiti

pra

ſertim matutina et nocturna, adpetitus
ıs, nunc ſcilicet iuſto auctior, nunc immi-
ıs, alvus modo adſtricta, modo nimis la-
intumeſcentia atque durities abdominis
macie corporis reliqui et leni nonnun-
n febricula lenteſcente, immo temulenta
dam capitis adfectio referuntur: Taci-
cæteroquin præterire nequeo, ſympto-
memorata, niſi eorum ſingula aut tamen
nplurima in eodem ſubiecto coniunctim
rventur, ſed unum ſaltim alterumve ad-
icile medentes fallere, quoniam hoc at-
llud, ſeparatim conſideratum, a pluribus
ue cauſſis aliis produci poteſt.

§. VII.

Præter continuum ani pruritum aſcari-
ıulla alia incommoda pariunt, cucurbi-
ero et lumbrici, tam lati, quam rotun-
imam culinam totumque corpus, præ-
ı ſi maior eorum colluvies adſit, vario
, optimam ſcilicet ſucci nutritii partem
ando, nec minus vellicando, erodendo,
ıendo, putreſcendo &c., magnopere
ıt, ac nonſolum prædicta pathemata
tiora ſuſcitant, ſed frequentes pariter,

quan-

quanquam sæpe clandestini, epilepsiæ, ch[o]reæ S. Viti, cardialgiæ, singultus, colic[æ] passionis iliacæ, febrium, tum putrido-ac[u]tarum, tum lentescentium, aliarumque gr[a]vium et interdum plane mirabilium ægrit[u]dinum genitores evadunt. Notatu quoq[ue] dignum est, vermes nonnunquam intesti[na] aliquo in loco plane perforare et in ventr[is] cavitatem delabi *a*), ibidemque vel mori ta[n]dem atque putrescere, vel exitum aliquand[o] uti plus vice simplici factum fuisse, nonnu[lli] pariter scriptores referunt *b*), per ventr[is] infimi septa quærere.

§. VIII.

Inter remedia anthelmintica, ad ve[r]mes tum enecandos, tum expellendos id[o]nea, plurima *balsamica*, *amara*, *mercurial[ia]* et *cathartica* militant, quæ ita tamen misce[n]da sunt, ut binis, quæ formari debent, indic[a]tionibus uno actu satisfiat. Prætermitta[...]

mini[...]

a) Conf. IO. HENR. SCHVLTZII *Diss. de Lum[bricis] bricis effractoribus.*

b) Conf. I. ALLEN *Synops. Med. Pract. p.* [...] 249. *sequ.*

ninus in hoc paſſu activa, et nonnulla tanım ſelectiora, quorum virtutem ſæpius priem expertus ſum, recenſebo. Sunt autem ecoctum ſeminis ſantonici cum lacte recenti, ıt infuſum eius cum vino dulci, morſuli ex ıcharo, ſemine ſantonico, rhabarbaro et merırio dulci, electuaria ex ſyrupo cort. citri, ırantiorum, cardui benedicti, cinnamomi, lectuario de baccis lauri Off., extracto trifoi fibrini, ſcordii et vix memoratis pulveruntis morſulorum ingredientibus, pilulæ ex ımmi ammoniaco dep., aſa fœtida, myrrha enuina, aloe violata, extracto fumariæ, carıi benedicti, cent. minor., tanaceti, pulvere echoacannæ albæ, mercurio dulci &c. ſotio extracti fol. ac florum tanaceti, cum liıore terræ foliatæ tartari facta, et poſtea ım tinctura rhabarbari mixta, tinctura ſemis ſantonici aut abſinthii compoſita &c., in ecocto rad. glycyrrhizæ propinata. Mecorum multi valde etiam oleum animale IPPELII, cornu cervi uſtum nigrum, muım corallinum, ens veneris, et æthiopem ineralem laudant: Duo priora, propter vem energiam ſuam, admitto, muſco coralli- autem et enti veneris parum et æthiopi

mine-

minerali nihil plane virtutis tribuo. Prædictis remediis internis, præsente ascaridum caterva, *enemata amara*, iterato iniecta, necessario iungi debent. Interna enim nunquam ad intestina crassa, in quibus hoc vermium genus unice vivere amat, penetrant, nec quicquam igitur auxilii sperandum foret, nisi repetitus clysmatum memoratorum usus accederet. De emplastris et cataplasmatibus amaris, regioni umbilici adplicandis, ac generatim a quibusdam contra vermes intestinorum commendatis, nihil addo, quoniam pro meo iudicio effectum desideratum edere nequeunt.



CAP. XIII.

DE FLATIBVS VENTRICVLI ET INTESTINORVM.

§. I.

FLATVS hoc loco nihil aliud est, nisi aer, ventriculi et intestinorum cavo inclusus, com-

commotus tamen, rarefactus, ac rudi materia perſpirabili largiſſime refertus.

§. II.

Vaporoſa hæc materia, quæ aeri miſcela ſua veri demum flatus characterem conciliat, vel ex viſcidis adſumtorum quorundam reliquiis, vel ex cruditatibus diutius pridem in prima culina hoſpitantibus ſenſimque collectis naſcitur, immo interdum minera flatulenta e ſanguine et lympha, quod diætæ conditio et morbi prægreſſi aut complicati patefaciunt, identidem ſalutariter ac critico prorſus modo per glandulas ventriculi et inteſtinorum excernitur. Inter alimenta, quæ ...atibus flatuoſisque cruditatibus copioſius procreandis apta reperiuntur, concoctu difficilia, craſſa mucilagineo-glutinoſa, putrida et fermenteſcibilia, v. g. carnes, tum quadrupedum, tum avium ac piſcium rancidæ ac ſemiputridæ, piſces glutinoſi, ova vetuſta, butyro frixa et ad duritiem usque cocta, lactinia, placentæ fæcibus remixtæ, panis recens nec debite excoctus, oleracea, radices dulces et ſubdulces, fructus horæi, muſtum, cerevīſia, præſertim triticea, admodum fæcu-

lenta &c., præ reliquis quidem referri merentur, creberrima nihilominus experientia comprobat, quod apud ſubiecta hypochondriaca, hyſterica, aliaque, quæ ventriculi imbecillitate ac prava digeſtione laborant, optimi etiam ſucci et facillimæ reſolutionis alimenta flatus generent.

§. III.

Propter diſcrepantem ſaburræ flatulentæ qualitatem multum pariter diſcriminis ipſos flatus intercedit, iidemque nunc magis *morſicantes oleoſo-urinoſi*, nunc magis *rodentes* ac *pungentes ſalino-acidi*, nunc magis *fervidi* ſeu *urentes ſalino-inflammabiles bilioſi*, nunc *mitiores* denique ac *parum irritantes aquoſi* deprehenduntur: Hinc facillime etiam ratio conſtat, cur pathemata, quæ flatus ſub adcumulatione ſua ac retentione provocant, tantopere, genii non minus quam vehementiæ intuitu, differant.

§. IV.

Quamdiu flatus, cuiuscunque etiam indolis ſint atque proſapiæ, liberum per loca conſueta exitum inveniunt, nulla ſingularia pro-

procreare ſolent incommoda, quamprimum vero incarcerantur, et ſub mora diuturniori in corpore nonſolum acriores evadunt, ſed quoad partem quoque ſubtiliorem vel per ſe, vel cum ſuccis nutritiis ad ſanguinem penetrant, multiplici cruciatu patientes adficiunt, et diverſiſſimarum omnino ægritudinum geneſi aut incremento famulantur. Diſtendunt videlicet ventriculum, totumque inteſtinorum volumen, turbant chymi- et chylificationis negotium, provocant anxietates præcordiales, itemque tormina ventris, quin ipſos haud raro dolores colicos, cardialgicos, atque hyſtericos, impediunt liberum ac regularem ſanguinis per viſcera abdominis progreſſum, adeoque frequentibus ac violentis eiusdem congeſtionibus verſus partes ſuperiores occaſionem præbent, obſtacula præterea ponunt deſcenſuro diaphragmati, ac vario igitur modo, diſtendendo ſcilicet, premendo, reſiſtendo, irritando &c., non infimi tantum ventris partes torquent, ſed multos etiam capitis ac pectoris morbos, cephalalgiam nempe, ſtupiditatem, vertiginem, tinnitum aurium, hebetudinem viſus, melancholiam, leviores inſultus apoplecticos, conſtri-

ctionem thoracis, respirationem difficilem, sputum cruentum, palpitationem cordis &c., producunt, vel symbolum tamen suum ad ortum eorum aut augmentum conferunt.

§. V.

Caussae incarcerationis flatuum solenniores vel ad *spasmum*, vel *atoniam* redeunt. Spasmus scenam suam diversimode ludit, ac modo totum ventriculum, totumque intestinorum tractum, immo connexum haud raro mesenterium, occupat, modo circa orificia duntaxat, circa cardiam nempe, pylorum, valvulam BAVHINI et anum viget, ibidemque sphincteres inprimis corripit; hinc in casu priori flatus incarcerati nunc sursum, nunc deorsum premuntur, multosque sub turbulento hoc motu borborygmos suscitant, in casu posteriori autem non tantum flatulentae materiae, propter nimiam sphincterum resistentiam et refractariam subinde clausuram, exitus per superiora et inferiora denegatur, sed liberior quoque eius transitus e ventriculo in intestina tenuia, vel ex hisce in crassa impeditur: unde fit, ut pro loci conditione de-

descendere rursus aut adscendere, novasque semper molestias creare cogantur.

§. VI.

Memorata violenta fibrarum ac tunicarum contractio spasmodica *irritationem*, quam *adsumta flatulenta*, aut *collectæ cruditates mucido-acidæ, austeræ, biliosæ, rancidæ*, ac *putridæ, flatusque inde geniti*, pungendo, constringendo, urendo, morsicando &c. excitant, plerumque quidem sequitur, experientia nihilominus abunde pariter docet, persæpe etiam, nulla prorsus saburra inimica in ventriculo et intestinis latitante, *congestiones* saltim *hæmorrhoidales* versus intestinum colon et ultra, itemque *spasmos hypochondriacos* et *hystericos* eiusdem genitores existere; Vt nihil de *ingestis potulentis gelidis*, de *pedum et abdominis refrigeratione* similibusque caussis dicam, quae citra vulgaris materiæ irritantis præsentiam, creberrime subitaneas ac vehementes ventriculi et intestinorum constrictiones mediata aut immediata actione producunt, et hac igitur ratione apud sanissimos quandoque atque robustos homines liberum rudis materiæ perspirabilis progressum et expulsionem cohibent.

§. VII.

Apud ſubiecta hypochondriaca aliaque imbecillia, quae moleſtias flatuoſas quotidie aut tamen frequentiſſime experiuntur, ſpasmus rariſſime vel nunquam ſolitarius eſt, ſed atoniam comitem habet, immo ſaepe ſaepius eiusdem conſectarium eſt. Nam medica obſervatione dudum confirmatum eſt, ſpasmos crebro ſupervenientes partibus, quas corripiunt, flacciditatem inducere, et hanc rurſus frequenti ſpasmorum recurſui occaſionem largiri. Quare haec etiam cauſſa, atonia videlicet, longe maiorem, quam prior, conſiderationem meretur, et in habituatis adfectibus flatulentis, licet ſubinde etiam aliquid ſpasmodici intercurrat, curationis tempore praecipue reſpicienda erit. Multas haec atonia ac ſatis diſtinctas cauſſas procatarcticas agnoſcit: Nunc enim univerſi generis nervoſi imbecillitas adcuſanda venit, nunc vero potulenta aquea tepida, eſculenta pinguia et oleoſa, iuſto frequentius iuſtoque largius adſumta, medicamenta emollientia, tam interna, quam externa, itemque vomitoria et cathartica nimium uſurpata, nec minus ſpasmi, uti antea pridem dictum, hypochondriaci, hyſterici,

car-

cardialgici, colici, hæmorrhoidales, atque nephritici, crebro ſupervenientes, tunicis laxitatem inferunt, fibrasque elatere ſuo privant; immo, negari nequit, ſpontaneam ructuum ac flatuum, exitum molientium, repreſſionem ac retentionem multum ad præternaturalis flacciditatis ortum et incrementum conferre.

§. VIII.

Præter ſpasmum et atoniam, quod hic pariter paucis commemorare non abs re erit, interdum *abdominis* quoque *conſtrictio per thoraces arctiores*, *compreſſio inteſtini recti apud gravidas*, *herniæ incarceratæ*, *grandiora vermium glomeramina*, nec minus *excrementa craſſiora et ſicciora*, *in inteſtino ileo circa valvulam* BAVHINI, vel etiam *in flexura coli*, aut *circa anum concervata*, ad cenſum cauſſarum referri quidem merentur: Attamen, quum horum obſtaculorum nonnulla rarius occurrant, et ſingula præterea, nocumenti intuitu, adeo clara ſint, ut uberiori explanatione minime indigeant, plura de illis hoc loco afferre ſuperſedeo.

§. IX.

Remedia, quae curandis adfectibus primae culinae flatulentis inserviunt, ad tres classes genericas redigi possunt. Alia nimirum *rudem materiam perspirabilem, aeri rarefacto mixtum*, seu uno verbo *flatus dissipant et expellunt*, alia *cruditates ventriculi et intestinorum flatulentas eliminant*, et alia denique *retentionis flatuum et incarcerationis caussas tollunt*. Pharmacis primae classis, quae *carminativa proprie talia* adpellantur, suamque operationem valida inprimis discussione absolvunt, *balsamica, aromatica, oleosa aetherea*, et *spirituosa inflammabilia*, nec minus *urinoso-* aut *acido-inflammabilia* adnumerantur; cuius census v. g. sunt mixturae spirituosae concentratae ex essentia rad. zedoariae, galangae, angelicae, hbae melissae, menthae, flor. chamomillae Rom., croci, cort. citri, aurantiorum, asae foetidae, castorei, sem. santonici comp., carminativa WEDELII, et spiritu nitri dulci, aut liquore anodyno, aut spiritu salis ammoniaci anisato, pulveres ex radice irid. Florent., curcumae, zedoariae, galangae, aniso stellato, semine ammeos, santonico, cardamomo minori, canella alba, pulv. contra coli-

colicam et carminat. Off. &c., additis pro re nata guttulis aliquot olei deſt. meliſſæ, aniſi, fœniculi, cinnamomi, citri Italici &c., morſuli ex myrrha genuina, ſem. ſantonico, fœniculi, croco orientali, cinnamomo &c., electuaria ex ſyrupo cort. aurantiorum, citri, meliſſæ, rob iuniperi, electuario de baccis lauri Off., extracto angelicæ, ſcordii, chamomillæ vulg., pulvere aniſi ſtell., ſem. cinæ, fœniculi, cardamomi minoris, macis, croci, canellæ albæ, rad. galangæ, zedoariæ, ſpeciebus aromat. roſatis, diacinnamomi, et antea recenſitis oleis, refracta doſi mixtis, pilulæ ex gummi galbano depurato, ſagapeno, aſa fœtida, extracto meliſſæ, angelicæ, cent. minor., pulvere croci, aniſi ſtellati, olei citri Ital., menthæ, maioranæ, cinnamomi, caieput &c., et infuſa denique vinoſa ex rad. imperatoriæ, leviſtici, angelicæ, galangæ, hba meliſſæ citr., flor. chamomillæ Rom., flaved. cort. citri, aurantiorum, canella alba, cinnamomo, baccis lauri et iuniperi, cardamomo, ſem. aniſi, fœniculi &c.

§. X.

De remediis ſecundæ et tertiæ claſſis, quarum prior ſola *laxantia*, *cathartica* et *eme-*

tica leniora, posterior autem varia admodum, pro caussae discrepantia caute seligenda, *emollientia* videlicet, *temperantia*, *resolventia*, *subadstringentia*, ac *roborantia* aliaque sub se comprehendit, specialia afferre nolo, quoniam uberior eorum mentio pluribus in locis et fiet, et pridem facta fuit. Circa usum roborantium tamen, quibus, praeter multa alia, praedicta pariter *carminantia* nec non balsamica atque amara *masticatoria* accenseri possunt, breviter adhuc monendum venit, plus semper auxilii ab eodem exspectandum esse, si, magna atonia praesente, externa etiam confortantia simul cum internis adhibeantur. Intelligo hic *linimenta* ex spiritu matricali, aqua vitae mulierum externa, mastichina, cephalica Imp., balsamo vitae &c., itemque *emplastra nervina*, v. g. emplastrum de crusta panis, de baccis lauri, stomachale, santalinum &c., quibus exaltandae virtutis gratia oleum nucis moschatae expressum, olea destillata menthae, maioranae, thymi, rorismarini, carvi, caryophyllorum, balsamus Peruvianus &c. minori quantitate misceri possunt. Vtilitate etiam nequaquam *sacculi balsamici*, toti abdomini impositi, ut et *clysteres* ex rad. angelicae,

cæ, leviſtici, herba menthæ criſpæ, meliſſæ, aioranæ, flor. chamomillæ Rom., tanaceti, atricariæ, ſem. carvi, fœniculi, baccis iuni- eri, lauri, electuario hieræ picræ, ſale gem- æ, Sedlizenſi, nitro, floribus ſalis ammo- aci, oleo infuſo caſtorino &c. carent, im- o *cingula coriacea* et aliæ *faſciæ latiores* gregiam haud raro opem ferunt, quoniam ſiſtentia ſua ulteriorem inteſtinorum diſten- onem præternaturalem impediunt, et, paul- arctius per intervalla contracta, flatuum ogreſſum expulſionemque moderata com- eſſione adiuvant.



CAP. XIV.

DE

COLICA.

§. I.

COLICA eſt vehemens adfectio inteſtini coli ſpasmodico-dolorifica, refractaria plurimum alvi adſtrictione ſtipata.

§. II.

Dolor in hoc morbo atrociſſimus con- rquens, lacerans ac vage lancinans eſt, et totum

totum quandoque abdomen occupat, interdum vero arctioribus limitibus circumscriptus reperitur, suamque sedem praecipue sub umbilico et circa illum figit, aut inde simul ad latera excurrens, totum ventrem medium cinguli quasi aut iniectae ac fortiter constrictae fasciae instar, adfligit; acerbitas tamen eius per intervalla remittit paullulum et magis rursum intenditur. Alvus ordinario, praesertim sub morbi progressu, valde obstipata est, urina parcissime fluit, et venter adeo persaepe intumescit, ut patienti interdum fere rupturae metum incutiat. Solennioribus hisce et maximam partem essentialibus colicae symptomatibus creberrime etiam vomituritio frequens, vomitus actualis, ructus, respiratio difficilis et ardor aut suppressio urinae iunguntur, immo subinde febris, aut icterus, aut diarrhoea, qua viridis, vel croceo-nigricans et admodum fervida materia, cum magno ani ardore, eiicitur, supervenit.

§. III.

Multas haec affectio species, quoad caussas non minus, quam genium distinctas coli

licam nempe *flatulentam*, *biliofam*, *wulfivam*, *faturninam*, *arthriticam*, *fcor-icam*, *nephriticam*, *hæmorrhoidalem* at-e *hyftericam*, quarum aliæ idiopathicæ, æ fympathicæ ac fymptomaticæ funt, fub compleđitur. *Colica flatulenta*, quæ re-jarum plerisque vulgatior et utplurimum oque mitior exiftit, originem fuam *acriori urræ mucido-acidæ fimilisque naturæ flati-*, poft cerevifiæ fæculentæ, præfertim ve-tioris, poft fructuum horæorum, legumi-m, olerum quorundam, aliorumque flatu-torum, fermentefcibilium ac facile acefcen-m adfumtionem genitis, unice debet; hinc lomen etiam cum multis borborygmis ma-intumefcit, et flatus copiofi, fpasmo re-tente, per inferiora erumpunt, aut critica rrhoea, qua plerumque fpumida materia, e largius referta, excluditur, morbum fol-. In colica biliofa *fola bilis fervida*, fub viori animi ecandefcentia in canalem in-tinalem effufa, cauffam materialem irritan-n conftituit, et inde etiam ratio patet, cur em non tantum maior fanguinis ebullitio, fæpiffime pariter frequens ac valde tor-iofa excretio alvina, quæ itidem critica

eft,

est, iuncta reperiatur. Praecedente caetero quin periculosior est, et, rebelli inprimis al obstructione complicata, funestam subind aut valde tamen periculosam intestinorum in flammationem provocat.

§. IV.

Colica convulsiva, quae etiam *Colica nervo* itemque *Colica Pictaviensis* aut *Pictonum* dicitur, attinet, illa paullo uberiorem consi derationem meretur, quoniam atrocitate a que periculo cunctas species alias superat, genium plane singularem obtinet. Na aegri, truculento hoc morbo correpti, dolo res omnis generis acerbissimos, pungente nempe, urentes, morsicantes, lancinantes, te rebrantes &c., patiuntur, et quaevis intestin ac viscera imi ventris ad centrum quodda commune seu unicum punctum, in quo dolo suum plerumque initium habet, contrahuntu

* V

a) Pictavii in Gallia haec colica frequens est et inde etiam hanc denominationem accepis dicitur. Secundum quorundam testimonia sa pissime quoque insularum Caribiensium incol infestat, ibidemque ideo inter praecipuos mo bos inquilinos refertur.

el umbilicus adeo introrſum trahitur, ut fo-
ea ibidem, pugni interdum magnitudine,
aſcatur, immo totus venter ſubinde circum
irca verſus ſpinam dorſalem tantopere con-
ringitur, ut patiens vix amplius ſpiritum
ahere valeat. Adeſt præterea pertinaciſſi-
na alvi obſtipatio, adſunt anxietates præcor-
iorum maximæ, ſudores gelidi, frigus ex-
emorum et diureſis valde imminuta, nec
ro etiam animi deliquia, eaque ſæpius non-
unquam recurrentia, ſuperveniunt. Vt ni-
il de inteſtinorum et artuum paralyſi dicam,
uæ creberrime accedit, et finem huic morbo
xitialem, nunc citius, nunc tardius, imponit.

§. V.

Cauſſa materialis in atrociſſima hac co-
cæ ſpecie, quoad qualitatem quidem atque
ıalignitatem, differt, et quamplurimæ omni-
o ſpecies reliquæ, ſi propter peſſimam re-
ementi irritantis indolem graviores eva-
ant, in convulſivam degenerare poſſunt, fre-
uentius tamen a *materia acida valde exal-
ta* ac *ſumme cauſtica*, vel *admodum conſtri-
oria*, ab acidis nempe atque immaturis fru-
ibus horæis largius commeſtis, a potu vini
auſteri

austeri aut lithargyrii solutione nequissime adulterati, aliisque ingestis saturninis oritur. Verosimillimum praeterea videtur, aliquam succi hostilis partem altius in abdominis recessus penetrare, et, passim in vasculis, praesertim circa plexus nervorum meseraicos, subsistentem, spasmodicae contractionis vehementiam irritatione sua intendere. Opinioni huic *colica arthritica* et *scorbutica*, quae saepe convulsivae redduntur, lucem maiorem accendunt. In utraque enim parum vel nihil materiae irritantis in ampliorem intestini coli canalem deponitur, sed *retroacta impuritas arthritica*, et *circumfluens* et *per totam humorem massam disseminata saburra scorbutica* in vasculis duntaxat sanguiferis atque lymphaticis, quae tunicas intestini coli ac mesenterium perreptant, quiescit, et distincto prorsus stimulo intrinseco violentas ac valde dolorosas contractiones suscitat. Circa colicam arthriticam caeteroquin adhuc notandum venit, illam longe frequentius, quam scorbuticam, evadere convulsivam, et patienti, ob refractariam materiae crassioris inhaesionem, saepe saepius necem afferre.

§. VI.

§. VI.

Cum colica convulſiva nonnulla etiam colica *metallicolarum* ſive *ſaturnina ſtrictius ſic dicta (die Hüttenkatze)*, quoad cauſſam materialem non minus, quam genium ac vehementiam, communia habet. Vnice enim a *ſubtili ſacharo ſaturni* excitatur, quod ſenſim ſenſimque in ventriculo et inteſtinis generatur, quando tenerrimae moleculae plumbi, igne in fumos reſoluti, cum ſaliva in dictas cavitates deſcendunt, ibidemque cum acido in valde ſtyptica et tenaciter adhaerentia corpuſcula coaleſcunt. Non ſolis proinde metallicolis, qui in magnis caſis fuſoriis operam ſuam mineris eliquandis impendunt, propria eſt, ſed ſaepe etiam apud docimaſtas ac figulos aliosque, qui plumbum in igne frequentius tractant, naſcitur. Dolores in ea plerumque immanes ac fere interdum intolerabiles ſunt, ita ut patientes prae ſummo ventris cruciatu nec ſtare, nec ſedere, nec decumbere valeant, ſed anxie ſeſe hinc inde moveant, aut proſtrati terram unguibus rodant. Erumpit ſub tormentis hiſce ſudor frigidus, accedit ſubinde animi deliquium et alvus adeo ſemper adſtringitur, ut clyſteres

 emol-

emollientes, iterato iniecti, penitus nonnunquam desiderato effectu careant. Pravis hisce pathematibus, si malum diutius perduret, nec tempestivum ægro auxilium feratur, artuum convulsiones, contracturæ atque paralyses iunguntur, vultus totumque corpus cum tristi livore et cadaveroso pallore contabescunt, increscit in dies spirandi difficultas, et tandem hectica incurabilis, post longius aut brevius tempus funesta, scenam claudit *a*).

§. VII.

De *colica nephritica*, *hysterica* et *hæmorrhoidali*, quæ ad morbos mere sympathicos pertinent, et *sola nervorum affectione consensuali*, ut nephritica, vel *hac et impetuosa simul sanguinis ad colon congestione*, ut hysterica et adhuc magis hæmorrhoidalis, producuntur, plenior quidem notitia ex cap. de *nephralgia*, *passione hysterica* et *hæmorrhoidibus* hau-

a) Plura de hoc affectu cæterisque morbis saturninis in HENCKELII *Tract. von der Bergsucht und Hüttenkatze*, nec minus in FRID. HOFFMANNI *Diss. de Metallurgia morbifica* et Illustr. BÜCHNERI *Diss. de Morbo saturnino* vulgo *die Hüttenkatze* videri possunt.

iaurienda eſt, tacitus tamen hoc loco præ-
erire nequeo, ſpecies haſce admodum fre-
quentes eſſe, ac ſæpe medentibus imponere,
ta ut eas pro idiopathicis habeant. Qua-
e valde etiam neceſſe eſt, ut practicus
ub colicæ ortu ſedulo ſemper inveſtiget,
n materia irritans in ipſis inteſtinis deli-
eſcat, an commotus ſaltim calculus renalis
ut ureteri impactus, vel ſpasmus uteri inſo-
entior, vel defectus aut ſuppreſſio hæmor-
hoidum doloris cauſæ exiſtant.

§. VIII.

Quemadmodum haud leve circa geni-
ım colicæ, originem et cauſſam materialem
iſcrimen occurrit, ſic magna etiam methodi
nedendi atque remediorum varietas eſt. In
olica nimirum flatulenta partim *emollientia*
iterna et *externa*, quæ fibras inteſtinorum
imium conſtrictas relaxant, partim *diſcutien-*
a carminativa, et ſubinde quoque, ſpasmi
ımen inſolentia prius mitigata et alvi liber-
ite nonnihil reſtituta, *abſtergentia* quædam
: *leniora laxantia*, quæ ſaburram flatulen-
ım educunt, neceſſaria reperiuntur. Ad
mollientia, præter iuſcula avenacea tenuio-

 ra,

ra, cum radice althææ aut floribus chamomillæ vulgaris cocta et oleo amygdalarum dulcium recentissimo aut spermate ceti modice imprægnata, clysteres, fomenta, cataplasmata, epithemata ac balnea, ex notissimis emollientibus parata, immo eiusdem quandoque virtutis unguenta, anodynum v. g., clysmaticum et dialthææ præcipue spectant; inter discutientia carminativa autem spiritus nitri dulcis, rite paratus, et essentia cort. citri, aurantiorum, flor. chamomillæ Rom., melissæ, menthæ, ac seminis santonici, vel paucis duntaxat guttulis olei dest. menthæ, maioranæ, carvi, et citri Italici remixtus, et inter abstergentia denique et laxantia infusa aquosa ex manna, rhabarbaro et sale de SEIGNETTE, ut et electuaria ex syrupo cort. aurantiorum, de erysimo LOBELII, melissæ, rob iuniperi, extracto angelicæ, chamomillæ, cardui bened., pulvere rhabarbari, rad. iridis Florent., sem. santonici, fœniculi, anisi stellati et croci orientalis eminent: Nec reticendum, subinde, copioso videlicet acido præsente, pulveres, ex terreis absorbentibus, magnesia alba et carminativis compositos, utiles non minus, quam necessarios deprehendi.

§. IX.

§. IX.

Remedia *emollientia* et *antiſpasmodica* ocum quoque in colica biliosa inveniunt, cadiora carminativa interna autem, propter ervidam materiæ irritantis indolem, penitus xulare debent, ac ſola potius *temperantia* et *emulcentia*, v. g. ſolus ſpiritus nitri dulcis te paratus, potiunculæ ex aquis refrigeranbus, tartaro ſolubili, nitro depurato et paullo nonnunquam cremoris tartari aut ſalis etoſellæ, nec minus decocta hordeacea et enacea cum rad. althææ, ſcorzoneræ, tuſaginis, raſura cornu cervi, aliaque huius mmatis, in antecedentibus, Cap. de *Cholera*, alibi ſæpius pridem recenſita, in uſum tranda ſunt. Circa laxantia etiam, poſt ſoluonem ſpasmi demum exhibenda, notandum nit, illa nunquam in hac ſpecie, niſi fervida ius ſaburra debite contemperata, propinan eſſe, immo exhibitionem eorum interdum, colica ſcilicet frequentem ac copioſam detionem alvi bilioſam pediſſequam habue, plane omitti poſſe.

§. X.

Curatio colicæ convulſivæ apud indilua differt. Nam, licet antea laudata *an-*

 tiſpas-

tiſpasmodica et *emollientia interna* et *externa* generatim pariter neceſſaria reperiantur, medicamenta tamen reliqua, ſecundæ ſcilicet indicationi dicata, propter cauſſæ materialis diſcrepantiam, admodum variant. Siquidem, præter *demulcentia mucilaginea* et *gelatinoſa*, quae communia ſunt, alia, v. g. terrea alcalina, et ipſa ſalia alcalia, caute a parva doſi oblata, nec minus pinguia et unguinoſo-oleoſa recentiſſima, ut et mixtura ex tinctura rhabarbari, tartari, antimonii acri et tartariſata, metallorum et ſuccini proſunt, quando valde ſtyptica materia ſaturnina aut acido-cauſtica mineralis, vel potens ſaltim humor auſterus, aut valde exaltatus acidus vegetabilis proſapiæ, violentiſſimæ conſtrictionis cauſſa exiſtit, et alia rurſus, v. g. liquor anodynus mineralis aut ſpiritus nitri dulcis, cum eſſ. flor. chamomillæ, meliſſæ, ſuccini, theriacali aut vulgari anodyna, et ſpiritu bezoardico BVSSII, aut liquore cornu cervi ſuccinato mixtus, nec non, pulveres ex lap. cancrorum, nitro et camphora, vel ex nitro, ſuccino, ſpermate ceti, ſulphure antimonii aurato et extracto opii aut theriaca, electuaria ex ſyrupo de eryſimo LOBELII

ro

ob iuniperi, extracto angelicæ, chamomillæ vulg., fcordii et laudano liquido SYDENHAMII, infufa theiformia diuretica et diaphoretica &c. proficua iudicantur, quoties impuritas arthritica retroacta, vel fcorbutica, largius ad inteftina decumbens, ingentem ftricturam fpasmodicam concitat.

§. XI.

Prædictis remediis antifpasmodicis apud fubiecta plethorica in colica convulfiva et reliquis fpeciebus gravioribus *phlebotomia in pede* aut *brachio* iungi debet; quippe quæ ingentes ac pertinaciffimas fibrarum conftrictiones citius fæpe ac certius, quam pharmaca emollientia, folvit, et imminentem præterea, nec raro mortiferam, inteftinorum inflammationem avertit. Præftantiam huius remedii BAGLIVVS non tantum fuffragio fuo *a*), fed notabili etiam obfervatione, quam integram hoc loco fubnectere haud inutile iudico, confirmat: „Hifce diebus, *Lib. cit.* „*p. m.* 589. *fcribit*, virginem pulcherrimam,

a) *In Diff. varii argumenti.*

„23 annorum ætatis, celeberrimi pictoris
„octuagenarii nostri amicissimi faustam feli-
„cemque filiam, cuius nomen reticeo, crude-
„li hoc malo (colica nempe convulsiva) re-
„petente affectam atque correptam, eadem
„methodo sanavi, sive, quod est incredibile,
„sola sanguinis missione ex pede: nam quo
„tempore exibat sanguis ex aperta vena,
„eodem prorsus tempore flatus infiniti emit-
„tebantur per alvum pedendo. Vomebat
„quoque et diarrhoea eo actu correpta fuit,
„vixque finito sanguinis exitu, flatu, vomitu,
„propter apertam venam supervenientibus,
„statim liberata est a doloribus, et non mul-
„to post ab aliis accidentibus, corruptis hu-
„moribus atque fœtentibus copiose expur-
„gatis &c.

§. XII.

In colica metallicolarum, ob caussæ materialis identitatem cuncta quidem remedia, quæ contra vulgarem saturninam commendata fuerunt, *obtundentia* nimirum pinguia, oleoso-unguinosa, mucilaginea et gelatinosa, ex officina æque atque culina petenda, ut et terrea et salina alcalia conducunt, singularis ni-

ihilominus ac plane ſpecifica virtus a practi-
s quibusdam mercurio vivo, floribus ſul-
huris, antimonio crudo et morſulis reſtau-
ntibus KVNCKELII adſcribitur; circa
ec poſteriora tamen adhuc monendum oc-
urrit, illa nequaquam ſola, ſed ſimul quoque
emulcentia præfata uſurpanda eſſe. De
olicæ ſymptomaticæ nephriticæ, hyſtericæ
hæmorrhoidalis medela nihil addo, ſed
itu in hac parte neceſſaria, æque ac tota
rum origo, ex ſpeciali principalium mor-
orum, nephralgiæ videlicet, hyſteralgiæ
hæmorrhoidum, tractatione diſci debent.



CAP. XV.

DE ILEO.

§. I.

LEVS, *Eileos*, *Paſſio iliaca*, *Volvulus*, *Chordapſus* (a χορδὴ, *chorda*, *inteſtinum* ἅπτω, *accendo, nodum facio, necto*), *Tormentum* (CAEL. AVRELIANI), *Miſerere i*, eſt dolor inteſtini ilei acerbiſſimus, cum

 per-

pertinacissima alvi constipatione, vomitu creberrimo, tumore ventris valde tensivo aliisque gravibus symptomatibus coniunctus.

§. II.

Dolor sese per totum quidem ventrem infimum extendit, maximam nihilominus saevitiem supra umbilicum, aut sub umbilico aut in dextra regione hypochondriaco-iliaca exercet, et atrocissimus ardens, pungens lacerans, scindens atque constringens est, summamque anxietatem praecordiorum comitem adducit. Obstructio alvi tanta est, u nullus flatus, nec stercoris quicquam per inferiora excludi possit, immo ad eum persaepe gradum adscendit, ut iniecta enemata pe nitus retineantur, nec raro, magis tandem magisque inverso motu intestinorum peristaltico *a*), aeque ac pleraque ingesta esculenta po

a) Motum peristalticum in ileo penitus nonnun quam inverti, indeque vomitum stercoraceum praecipue oriri, *Dominus* HAGVENOT, *Gallu* negavit, et intestinorum contenta violenta tan tum diaphragmatis et musculorum abdomina lium actione sursum ad ventriculum propelli, i *Actis Academiae Regiae Parisinae ann.* 1713. proli

otulenta ac medicamenta, per vomitum rurus reiiciantur. Adſumta cathartica plerumque mutantur in emetica, et nauſeam atque uctuum emiſſionem frequentem creberrinus vomitus ſeroſo-pituitoſus aut bilioſus, andemque, niſi morbus remittat, ſtercoraeus ſequitur. Abdomen ſenſim cum tenione magna et duritie intumeſcit, urina magis minusve ſupprimitur, vires deiiciuntur, ingentes urgent anxietates, iungitur perſæpe ebris continua, et, malo creſcente, ſudores rumpunt frigidi, accedunt animi deliquia, et nterdum quoque ſingultus, qui gravioris utplurimum convulſionis prodromus eſt, ſupervenit. Si corpora extinctorum aperiuntur, ordinario inteſtini cuiusdam inflammatio ac phacelatio obſervantur; manifeſto documento, *inflammationem*, niſi primam ſemper atque

defendere ſuſtinuit: Verum enim vero, hypotheſin hanc ingenioſam magis, quam veram eſſe, facile, ſi hic controverſiarum ventilationi locus eſſet, demonſtrare poſſem. Legi interim poterunt, quæ contra eam in *Actis Medicorum Berolinenſium Tom. II. Vol. 4. p. 8. ſeq.* dicta occurrunt.

atque unicam ilei *a*), solenniorem tamen atque praecipuam, si in gangraenam ac sphacelum degeneret, mortis caussam existere.

§. III.

Ad caussas dolorosi huius adfectus proximas, praeter memoratam *ilei* aut *alterius cuiusdam intestini inflammationem*, *vehementes* quoque *spasmi*, a caustico humore acido, aut po-

a) CORNELIVS CELSVS, quem multi postmodum secuti sunt, inflammationem unicam huius morbi caussam agnovit: „Intra ipsa vero intestina, in *Oper. Lib. IV. cap. 13. p. m. 237. scribit*, consistunt duo morbi: quorum unus „in tenuiore, alter in pleniore est, prior acutus „est: insequens longus esse potest. Diocles „Carystius tenuioris intestini morbum χόρδαψον, plenioris εἰλεὸν nominavit. A plerisque video nunc illum priorem εἰλεὸν, „hunc κολικὸν nominari. Sed prior modo „supra umbilicum, modo sub umbilico dolorem movet. Fit in alterutro loco inflammatio; nec alvus, nec spiritus infra transmittitur. Si superior pars affecta est, cibus: si inferior, stercus per os redditur: si utralibet metus est. Adiicitur periculo, si vomitus biliosus, aut varius, aut niger est. &c.

potenti materia ſtyptica, aut bile admodum fervida excitati, ac valde inprimis circa valvulam BAVHINI ſævientes, nec minus *ulcera*, circa eandem valvulam nata, *tumores glandularum ſcirrhoſi a)*, *magna vermium glomeramina*, *excrementa alvina indurata*, ac prope introitum in inteſtina craſſa, vel hinc inde etiam in flexuris ilei magnopere adcumulata fixiusque hærentia, *herniæ* itemque *abdominis graviter incarceratæ*, et *inteſtini* denique *ſuperioris ingreſſus in inferius*, aut *inferioris in ſuperius*, immo *ſingularis* nonnunquam *inteſtinorum contorſio* aut *nodoſa implicatio b)* referenda ſunt. Certo tamen cætero-

a) Vid. *Commerc. litt. Norimb. ann.* 1742. *p.* 360.

b) De mutuo inteſtinorum ingreſſu non facile medicorum quisquam dubitat, eorundem contorſionem autem, convolutionem et nodoſam quaſi implicationem multi, absque experientiæ tamen ſuffragio, negant. Nam tale quid plus ſimplici vice factum eſſe, obſervationes numeroſæ abunde probant; quemadmodum plura de hiſce in vix allegato *Commercio litt. Norimbergenſi ann.* 1737. *p.* 137. *ſequ.* videri poſſunt.

teroquin, uti antea pridem dixi, certius esl inflammationem, cuius præsentiam ardor ab dominis et complicata febris continua maxi me produnt, caussis allegatis persæpe iun ctam esse, aut iisdem tamen, si morbus scili cet diutius perduret, aut funestam sortiatu eventum, certissime accedere.

§. IV.

• Facile ex indicata ætiologiæ proximio ris varietate constare arbitror, caussas proca tarcticas sive occasionales, quæ diagnosi spe ciali lucem præcipue accendere debent, va de pariter variare. Nam licet generati quidem esculenta, potulenta, medicament atque venena acido-austera fortiter adstrin gentia, alimenta cruda, fumo aut aere ind rata, nimium flatulenta, fermentescibilia &c nec minus iracundia gravior, præmatura d arrhoeæ criticæ per remedia styptica su pressio, purgantia drastica, vermes post n cem suam in intestinis relicti, sublatio pond ium cum renisu abdominis fortiori, veh mentes corporis sub cursu, saltatione, eq tatione, tussi, ac sternutatione concussion aut motus gesticulatorii, aliique incongr

: plura alia, ex præcedentibus capitibus de *rnia incarcerata*, *vermibus* ac *colica* diſcen-a, geneſi huius mali famulentur, alia tamen ıc, alia rurſus illa cauſſa proxima præſente, lcuſanda veniunt.

§. V.

Vera paſſiò iliaca morbus paullo qui-m rarior, aſt valde tamen periculoſus et erisque patientibus exitialis eſt, præſertim, gravior inflammatio, aut hernia quædam rtinaciter incarcerata ac dudum inflamma- aut profundior inteſtini in inteſtinum in-ıſio vel ſingularis etiam contorſio, aut ul-s, aut tumores glandularum ſcirrhoſi pro-nam mali cauſſam conſtituant. Magnum iter in genere periculum adeſſe, vitamque ſummo verſari diſcrimine, anxietates in-plicabiles, crebriora animi deliquia, ſudo- gelidi et vomitus ſtercoraceus indicant. nihil rurſus de urinæ ſuppreſſione, de ultu rebelli et latioris ambitus convulſio-us, nec quicquam etiam de frigore ex-norum et repentina doloris citra ullam horiam remiſſione dicam; quippe quæ, rtem iam iam fores pulſare, teſtantur.

§. VI.

§. VI.

Curatio huius morbi, intuitu caussarum quarundam, cum colicae curatione valde convenit, et nonnihil duntaxat ab ea recedi quando malum hoc inflammationi, uti saepius fieri solet, vel mutuae intestinorum receptioni aut singulari eorundem implicationi ortum debet. In casu priori enim, praeter *enemata emollientia* similisque virtutis *fomenta*, *cataplasmata*, *balnea* aliaque externa, *larga* et interdum *iterata venaesectio in brachio*, et deinde *relaxantia interna*, *pinguia*, *mucilaginosa* et *oleosa*, nec minus *temperantia*, *aquea*, *nitrosa* et *quaevis reliqua*, in quacunque alia febri inflammatoria usitata atque proficua, requiruntur; in casu posteriori autem, irrito profusus clysmatum caeterorumque relaxantium usu, *mercurius vivus*, cum recenti oleo amygdalarum dulcium aut pingui iusculo avenaceo ad uncias aliquot adsumendus, nonnunquam efficax deprehenditur: Nonnunquam dico, non semper; nam, si intestinum superius in inferius altius ingrediatur, aut intricata atque nodosa in aliquo loco intestinorum implicatio adsit, parum plerumque ponderosum hoc fluidum efficere valet, immo, hern

inca

incarcerata præſente, magis nocet, quam prodeſt. Circa uſum eiusdem probe cæteroquin notari debet, exitum illius per alvum repetita clyſterum emollientium iniectione promovendum eſſe, nec ignorari quoque oportet, iuſcula pinguia lubricantia, poſt mercurii ingeſtionem identidem adſumta, magnopere pariter conducere.



CAP. XVI.

DE PASSIONE HYPOCHONDRIACA.

§. I.

PASSIO HYPOCHONDRIACA, alias etiam *Malum hypochondriacum*, *Dolor hypochondriacus* et *Morbus Litteratorum* dicta, refractarium adfectum meſenterii et partium connexarum ſpaſmodico-dolorificum denotat, qui, proxime e ſanguinis circulo irregulari ac plus hinc inde minusve ſufflaminato ortus, ſingulas propemodum corporis functiones turbat, et tam variam apud ſubiecta diverſa larvam induit, ut practici incauti, qui

morbi locum et focum diſcernere negligunt, creberrime decipiantur, et diu nonnunquam ſymptoma quoddam urgens reſpicientes, fruſtraneam nec raro plane perverſam curationem inſtituant.

§. II.

Luculentius memorata ex ſingulari pathematum complicatorum genio, multitudine, ac varietate patebunt. Nam præſente contumaciſſimo hoc morbo dolor tenſivus ſub coſtis ſpuriis et circa præcordia oritur, qui adeo per intervalla increſcit, ut patientes vinculi quaſi ſtricturam transverſalem in ſuperiori abdominis parte perſentiant. Spasmodico huic dolori ordinario alvi ſiccitas, ſegnities, quin frequens obſtipatio, cum ructibus ac flatibus copioſis, qui ægre tamen exeunt, et multa proinde murmura ac borborygmos producunt, nec minus intumeſcentia hypochondriorum, anxietates præcordiales, inflatio ac dolor gravativus ventriculi, præſertim poſt paſtum, iunguntur. Singula hæc ægros magnopere torquent, donec, ſpasmo ventriculi et inteſtinorum nonnihil remittente, flatus hactenus incarce-

rati

rati per superiora et inferiora liberiorem rursus exitum inveniant. Adpetitus per vices languet ac viget, immo, ob largiorem acidi in ventriculo collectionem, subinde tantopere augetur, ut ægros ad iusto copiosiorem esculentorum adsumtionem cogat, etiamsi ventriculus magna imbecillitate laboret, adeoque subigendis multis alimentis impar existat. Non subsistit quoque mali sævities intra abdominis limites, sed paullatim ad partes superiores extenditur, ibidemque constrictionem thoracis, respirationem difficilem, tussitationes, tremorem, pulsationem fortiorem, quin veram palpitationem cordis, phlogoses et cephalalgiam tensivo-gravativam, insolita stupiditate, vertigine, et aurium tinnitu plerumque stipatam, provocat. Vt nihil dicam de ingenti nonnunquam ac fere convulsiva partium nervearum oscillatione, de melancholia, anxietate, et singulari prorsus mentis incertitudine, de terrificis insomniis, hæmoptysi, visus obscuratione pluribusque aliis, quæ malo radicato apud subiecta diversa crebro superveniunt, ac schema morbi interdum mirifice mutant.

 §. III.

§. III.

Circa primariam huius mali ſedem et originalem non minus quam principalem cauſam haud levem medicorum diſſenſum deprehendimus. Alii quippe obſtructionem aut infarctum lienis, alii oppilationem venae portarum maxime adcuſant, alii ad acidum primae culinae praeternaturaliter adcumulatum, alii ad cruoris lentorem ac ſpiſſitudinem, et alii denique ad eiusdem in vaſis meſenterii, ventriculi et inteſtinorum ſtagnationem atque circuitum inordinatum praecipue reſpiciendum eſſe exiſtimant. Quod me attinet, nulli harum opinionum ſimpliciter ſubſcribo, ſed probe inter cauſam *originalem*, *materialem*, *principalem* ac *formalem* diſtinguendum eſſe arbitror. Cauſſa originalis nulla ſane alia eſt, niſi *eminentior partium nervoſo membranacearum atonia*, quae, licet quidem univerſalis exiſtat, maxima nihilominus in ventre infimo et iis praecipue viſceribus, quibus prima ſucci nutritii praeparatio atque translatio ad ſanguinem demandata eſt, in ventriculo nimirum, inteſtinis tenuibus et meſenterio, reperitur. Probant hanc veritatem pleraque huius adfectus ſymptomata eſſentialia

tialia aliaque phænomena: Nam, unde humorum lentor insignis, unde summa sanguinis circulantis ad refractarias stagnationes ac stases proclivitas, unde frequentissimæ partium solidarum contractiones spasmodicæ nascuntur, et unde denique constans dyspepsia oritur, nisi ex eminenti partium solidarum atonia? immo, unde tam larga acidi præternaturalis in prima culina genesis, et molestissima pariter, eaque quotidiana, flatuum adcumulatio derivanda est, nisi ab ingenti ventriculi et intestinorum imbecillitate?

§. IV.

Prima atque præcipua atoniæ memoratæ origo apud alia individua in ventriculo, apud alia, et quidem pleraque, in cerebro, et apud alia denique in parte utraque quærenda est. In ventriculo primum nascitur apud homines, qui partem hanc frequentibus ac variis erroribus diæteticis, circa quantitatem, qualitatem et modum adsumendi esculentorum ac potulentorum commissis, valde debilem flaccidamque reddiderunt; in cerebro autem eiusdem primordia latent apud eos, qui diuturno mœrore, sollicitudine, cu-

ris, immodica concupiscentia venerea et actuali libidinis intemperantia, studiis protractis, et profundis inprimis meditationibus magnam debilitatem laudatæ origini nervorum ac toti generi nervoso induxerunt. Symbolum tamen suum ad inducendam et augendam hanc atoniam diuturnæ etiam vigiliæ, iracundia gravior atque frequentior, præsertim sub pastu, vel ante aut post pastum, constitutio aeris frigidiusculo-humida, abusus narcoticorum, emeticorum, purgantium, crebra abdominis pedumque refrigeratio *a*), sup-

a) „Nocet præsertim, FRID. HOFFMANNVS „*in Med. rat. syst. T. IV. P. 3. p. 219. scribit*, „frigus intestinorum canali, si vel abdomini liberalius admittatur, vel pedibus; quorum intimiorem cum intestinis consensum illud inter alia docet momentum, quo teneriores, si nudis pedibus stratis pavimentisque incedunt frigidioribus, mox tormina intestinorum atque flatulentias patiuntur; - - - Hinc ratio patet, cur hypochondriaci æstate longe melius sese habeant, quam hyeme; nec non cur in regionibus, quæ ad septentrionem vergunt, multo frequentius sit malum, quam in iis, quæ sub cœlo sereno ac temperatiori sitæ sunt &c.

ſuppreſſio fluxus menſtrui et hæmorrhoida-
lis, fluor albus intempeſtive cohibitus, colica
frequentior, male curatæ diárrhoeæ, dyſen-
teriæ, febres intermittentes et ſimilia confe-
runt, ita tamen, ut adductarum cauſſarum
aliæ robur univerſi generis nervoſi ſimulta-
neo quaſi actu deiiciant, aliæ autem cerebro
inprimis aut ventriculo atoniæ labem proxi-
mius inducant.

§. V.

Tonum generis nervoſi cæterarumque
partium ſolidarum graviter labefactatum ſeu
ita dictam atoniam, quam cauſam appellavi
originalem, preſſo ſtatim pede *tardior humo-
rum circuitus* et *imperfecta impuritatum ſe- et
excretio* ſequuntur, quibus ſenſim *cruoris mu-
riditas*, *ſpiſſitudo*, *acrimonia* et *nimia adcumu-
latio*, quæ vitia coniunctim cauſſam materia-
lem conſtituunt, neceſſario ſuccedere debent,
præſertim ſi aliæ adhuc cauſſæ procatarcti-
cæ, indicatis vitiis producendis aptæ, con-
currant; cuius cenſus v. g. ſunt victus craſ-
ſior, parcior potulentorum adſumtio ac vita
ſedentaria. Tanti quippe hæ cauſæ occaſio-
nales momenti inveniuntur, ut nonnulli mor-

bum hunc ex ſolo motus ac potus ſufficientis defectu naſci poſſe crediderint: Quibus meum tamen aſſenſum ſimpliciter largiri nequeo, quoniam hæc paſſio, ſi ſolæ cauſæ indicatæ eam provocare poſſent, ſartoribus, lintificibus atque ſutoribus longe profecto familiarior, quam literatis, futura eſſet.

§. VI.

Cognita cauſſa materiali, protinus etiam cauſa principalis ac formalis, quarum prior ad *refractarias viſcerum imi ventris obſtructiones*, aut *infarctus graviores*, poſterior ad *circulum ſanguinis irregularem* ac *plus minusve impeditum*, quin certo etiam reſpectu ad *ſpasmodicas partium ſolidarum contractiones* redit, manifeſta redditur. Quid præſente enim prædicta ſanguinis abundantia, acrimonia et inſigni muciditate, facilius in hepate ac meſenterio, ceu præcipua mali ſede, cæterisque abdominis partibus, quæ imbecillitatem eminentiorem contraxerunt et in ſano pridem ſtatu ſanguinem difficilius ad ſuperiora remittunt, generari poteſt, quam ſanguinis ſtagnationes et vaſorum infarctus atque obſtructiones? et quid certius etiam ſtagnationem

nem hancce, infarctus atque obstructiones sequitur, quam ingens circuli irregularitas et temporaria hinc inde sufflaminatio? Multum lucis fluxus hæmorrhoidalis, qui passioni hypochondriacæ nonnunquam supervenit ac mali sævitiem minuit, fœneratur. Inde enim clare cognoscere possumus, sanguinem in vasis meseraicis et reliquis imi ventris canalibus præternaturaliter coacervatum esse, et, cum libere, ob venæ portarum aliorumque vasorum revehentium infarctus et obstructiones, ad venam cavam regredi nequeat, exitum per turgida vasa hæmorrhoidalia vi quærere.

§. VII.

Expositis præcipuis, ad caussas morbi spectantibus, ante curationis evolutionem de prognosi duntaxat adhuc dicendum restat, quod malum hoc, præsertim si per moras longiores iam invaluerit, valde refractarium et curatu difficillimum existat, nec raro in alios morbos graviores, patienti tandem exitiosos, hecticam videlicet, phthisin pulmonalem, hæmoptysin, asthma convulsivum, apoplexiam, hydropem ascitem &c. degeneret: Quæ eo magis pertimescenda sunt, quando patientes

genio ſuo indulgent, aut ſtyptica remedia intempeſtive adhibent, vel nimia etiam pharmacorum adſumtione corpus ſuum magis corrumpunt, quam ſanant. „Adverſus tot con„catenata enim et implicata mala, ut IO. „HENRICI SCHVLTZII verbis *a*) utar, „optima plerumque eſt medicina non uti me„dicamento, ſed rem omnem tempeſtivis et „congruis motibus, temperantia, animi re„miſſione et tempeſtivis evacuationibus „tranſigere: magisque avertendo cauſſas ul„terioris perverſionis pugnare, quam poſiti„vam opem promittendo &c.„ Valent hactenus dicta præcipue de malo radicato et inveterato; quod recentius enim attinet, illud, ſi tempeſtiva ac congrua inſtituatur medela, et æger præſcriptas diætæ regulas debite obſervet, facilius tollitur.

§. VIII.

Curatio eo inprimis redit, ut 1) ſanguinis cæterorumque humorum vitia, abundantia videlicet, ſpiſſitudo, mucoſitas et acido-

a) In *Diſſ. de Ventriculi et inteſtinorum ratione in omni morborum genere habenda §. 49.*

do - ſalſa acrimonia, corrigantur, ut 2) robur amiſſum partibus nervoſo - membranaceis reſtituatur, et hac igitur ratione 3) vaſorum ac viſcerum infarctus atque obſtructiones recludantur. Obtinendæ primæ indicationi *venæſectionem in pede* præ reliquis aptam eſſe, experientia dudum docuit, quotannis tamen non vice ſimplici, ſed iterata, ter ſcilicet quaterve, inſtituenda eſt. Facto per hanc evacuationem curationis initio, primæ viæ a corrupta ſaburra acido - mucida per blanda *laxantia* ex manna, rhabarbaro, ſale Ebshamenſi, Sedlizenſi, ſale Carolinaram, magneſia alba &c. repurgari debent. Ne impuritates quoque mucidæ, quæ ob debilem digeſtionem facillime iterum generantur, de novo adcumulentur, neceſſe omnino eſt, ut horum quoque evacuantium uſus ſæpius per intervalla repetatur. Cavendum tamen, ne cathartica fortiora ac valde acria exhibeantur; quippe quæ vehementi operatione ſua ventriculum et inteſtina valde lædunt, et atoniam augendo totum morbum augent, immo cavendum eſt, ne evacuantia, quæ ſtimulando agunt, ſub vigore ſpasmorum adſumantur, dum nullo tempore nulloque modo partium ſolidarum

rum vis elastica tam facile prosternitur, quam si fibrae, urgente spasmo iam admodum tensae atque constrictae, novis stimulis ad maiorem tensionem atque stricturam coguntur.

§. IX.

Phlebotomiae atque laxantibus ea succedant, quae, uti *salsa incidentia*, tam *vulgaria* quam *nitrosa*, nec non *terrea antacida* et *diluentia*, spissos mucidosque humores attenuant, acrimoniam corrigunt, et cuiuscunque generis impuritates per poros cutis ac vias urinarias blande educunt. Priora, salia nimirum neutra incidentia et terrea adcalina, tanquam notissima, specifice allegare supersedeo, diluentibus autem hoc loco aquam simplicem frigidam, decocta hordeacea et avenacea, aquas soterias minerales Selteranas, Antonianas, Egranas, Pyrmontanas &c., nec minus infusa theiformia. ex rad. scorzonerae, cichorii, saponariae, angelicae, hba melissae citr., betonicae, veronicae, teucrii veri, hederae terrestr., chamaedryos nob., flor. salviae, rorismarini, flavedine cort. citri, semine foeniculi, cinnamomo et similibus parata, praecipue accensenda arbitror: Notari tamen opor-

portet, infufa tepida moderate adhibenda
ffe, ne tunicas ventriculi et inteftinorum,
b vehiculi tepidi facultatem emollientem,
nagis debilitent, adeoque plus detrimenti,
uam emolumenti adferant.

§. X.

Subinde, fpasmis videlicet imi ventris
imium increfcentibus, fimulque pertinaci al-
i conftipatione præfente, prædictorum atte-
uantium ufui nonnulla *emollientia interna*, v.
. iufcula avenacea, cum radice althææ aut
oribus chamomillæ cocta, electuaria ex
leo amygdalarum dulc. recenti, fpermate
eti, pulvere rhabarbari &c., nec minus *clys-
ata* et *pediluvia emollientia* in auxilium vo-
ri debent; ea tamen cautela, ut procurata
asmorum exorbitantium remiffione, ufus
orum protinus rurfum ceffet, ne relaxan-
um adhibitione nimia aut iufto diuturniori
nus membranarum ac vifcerum magis de-
iatur. Simpliciter enim eorum adproba-
nequeo hypothefin, qui fpasmodicas me-
nterii, ventriculi et inteftinorum contractio-
s cauffam morbi principalem æftimant,
eoque emollientia quovis tempore et præ
omni-

omnibus fere aliis remediis profutura arbitrantur. Siquidem ſpasmi, uti alibi priden monſtravi *a*), perſæpe eminentis duntaxa imbecillitatis conſectaria ſunt, ac toties ſu perveniunt, immo toties, tanquam bona a ſæpius adæquata naturæ remedia, ſuperveni re debent, quoties humores ſpiſſi in va s at que viſceribus imi ventris gravius ſtagnare ſubſiſtere, et ominoſas obſtructiones produ cere incipiunt.

§. XI.

Mitigata ſpasmorum inſolentia, et hu morum quoque vitiis nonnihil emendati præter laudata aperitiva mitiora, etiam *car minativa, potentiora purificantia* et *activa* in primis *roborantia nervina* ac *ſtomachalia* i uſum trahenda ſunt, cuius cenſus v. g. ſun electuaria ex rob iuniperi, ſyrupo cort. au rantiorum, citri, meliſſæ, ſucco granorum chermes, extracto angelicæ, cardui benedict chamomillæ vulg., pulvere rhabarbari orien talis, cort. caſcarillæ, aniſi ſtellati, ſem. ſan tonici, croci orient., croco martis aperitiv

STAH

a) *Tom. I. Sect. I. cap.* 5. §. 20. *it. cap.* 6. §. 4

TAHLII, oleo citri Ital. &c., pilulæ ex
ummi ammoniaco ac galbano depurato,
xtr. millefolii, cent. minoris, ſcordii, trifolii
brini, pulvere croci, ſulphure antimonii au-
ato tertiæ præc., mercurio dulci, oleo caie-
ut, cinnamomi &c., morſuli ex ſacharo,
nyrrha genuina, croco et ſemine ſantonico,
el ex ſacharo, pulvere corticis Peruviani et
eminis fœniculi, vina medicata ſeu potius in-
uſa vinoſa, ex rad. angelicæ, leviſtici, galan-
æ, gentianæ rubræ, hba meliſſæ, flor. cha-
nomillæ Rom., ligno aloes, flavedine cort.
itri, cinnamomo, ſemine fœniculi, cardamo-
no minori &c., nec non mixturæ ex liquore
erræ foliatæ tartari vinoſo et antea recenſi-
s extractis amaris et balſamicis, vel calidio-
es etiam ſpirituoſæ ex eſſ. cort. citri, auran-
orum, caſcarillæ, rad. gentianæ rubræ, hbæ
neliſſæ, flor. chamomillæ Rom. &c., quibus,
ræſertim vinoſis, commode nec ſine fructu
nſigni tinctura rhabarbari, eſſentia pimpinel-
e albæ, tincturæ martiales et antimoniales,
piritus nitri dulcis et liquor anodynus mine-
alis adduntur. Hiſce remediis amara pari-
er atque balſamica *maſticatoria* ex myrrha
enuina, radice angelicæ, mace, ſemine fœ-

niculi,

niculi, flavedine corticis citri &c. accenseri merentur, immo *roborantia externa*, tum abdomini adplicanda, ut emplastrum de crusta panis, de baccis lauri &c., linimenta ex spiritu matricali, spiritu vini crocato et paucis guttulis olei carvi, menthæ, maioranæ &c., tum etiam capiti imponenda, ut cucuphæ, aut verticis saltim ad aliquot guttulas identidem instillanda, ut mixturæ cephalico-nervinæ ex spiritu lavendulæ, rorismarini, liliorum convallium, aqua ceph. Imp., balsamo vitæ &c., utilitate non penitus destituuntur.

§. XII.

Curationi chirurgicæ et pharmacevticæ exacta diæta, qua neglecta parum sperandum erit, subvenire debet, et cum curæ, mœror, meditationes profundæ atque protractæ, vita sedentaria, et parcior potulentorum adsumtio locum sibi inter potiores ac frequentiores caussas procatarcticas vindicent, in propatulo est, blanda ac sæpius iterata corporis exercitia, crebriorem ambulationem, equitationem, vecturam, peregrinationes, temporariam abstractionem a studiis, tranquillitatem, oblectationes animi, ac potulenta temperata, paullo

paullo largius hausta, maxime profutura esse. Ne alimenta quoque novum malo fomitem largiantur, necesse pariter erit, ut patiens esculenta boni succi et facillimae resolutionis eligat, simulque potulenta spirituosa inebriantia aut alio modo exagitantia fugiat, ac generoso vino saltim in prandio et valde moderate utatur. Circa motum quoque cavendum est, ne iste suscipiatur impetuosius, ut superiores tantum partes, quiescentibus inferioribus, fortius exagitentur. Fortiora enim exercitia, quae largas inprimis sudationes provocant, corpora debilia magis debilitant, et humores, per viscera imi ventris libere meare ac remeare nescientes, ad loca incongrua, maxime superiora, pellunt, adeoque functionum turbas in capite et pectore plus augent, quam minuunt.

* * * * * * * * * * * * * * * * *

CAP. XVII.

DE

ATROPHIA MESERAICA.

§. I.

ATROPHIA sive PHTHISIS MESERAICA est paullatina corporis conta-

 bescen-

beſcentia, cum magno ventris tumore atque duritie coniuncta. Dicitur etiam *Atrophia infantilis*, quoniam apud adultos rariſſime occurrit, et infantibus tantum propria quaſi aut valde tamen familiaris eſt.

§. II.

Sub primis huius morbi incunabulis nondum febris lenta adeſt, ſed abdomen duntaxat magis in dies magisque intumeſcit et indureſcit, vultus nonnihil pallet, muſculi ſenſim extenuantur, et quævis membra marceſcunt, alvus ſolito copioſior atque liquidior eſt, urget ſitis, et adpetitus ciborum modo languet, modo viget, modo nimium increſcit; deinde autem, malo ſcilicet aucto ac confirmato, febris lenta et hectica accedit, adpetitus ac vires deiiciuntur, abdomen tumidum lapideam ferme duritiem adquirit, et totum corpus, infimo ventre excepto, adeo contabeſcit, ut patiens vivum ſceleton referat.

§. III.

Proxime quidem hic morbus *a magi minusve refractaria vaſorum lacteorum obſtru*

ction

ctione oritur, apud diverſa tamen ſubiecta præcipuus oppilationis locus variat, et apud alia *in inteſtinis tenuibus ipſisque venarum lactearum oſtiolis*, apud alia vero *in glandulis meſeraicis*, quæ, ſectione poſt obitum inſtituta, apud ægros huius cenſus pleroſque valde tumidæ et craſſa materia pultacea repletæ, aut plane ſcirrhoſæ reperiuntur, quærendus eſt. Parum cæteroquin vel nihil in caſu utroque prima cauſa obſtruens differt; quippe quæ ſemper *craſſa materia pituitoſa* aut *mucoſo-tophacea* eſt, cuius geneſi præ reliquis addephagia indeque naſcentes copioſæ cruditates viſcidæ, largior itemque atque frequentior rudium eſculentorum adſumtio, et nimius ſub pituitæ collectione terreorum abſorbentium uſus *a*) famulantur: Nec prætermit-

a) „A nimia exhibitione terreorum abſorbentium, MICHAEL ALBERTI *in Diſſ. de Atrophia §. 10. ſcribit*, uti ſunt conchæ præparatæ, „corallia, lapides cancrorum, obſtrui poſſe foramina vaſorum lacteorum firmiſſime opinor. „Obſervarunt enim, qui corpora infantum diſſecuere, quod in iis, quibus abſorbentia in nimia doſi propinata fuerant, cruſtæ quædam „ſolideſcentis materiæ, tum in ventriculo, tum

mittendum quoque erit, *colluviem verminosam* huic obſtructioni ſæpiſſime etiam anſam præbere, quoniam vermes optimam ſucci alibilis partem abſumunt, et ſuperſtitem viſcidiorem excrementis ſuis magis corrumpunt. Vt nihil de crebrioribus ſpasmis torminoſis dicam, qui hoſtilium huiusmodi incolarum vellicatione identidem excitantur, et oſtiolorum abſorbentium venarumque lactearum coarctationem efficiunt.

§. IV.

Prognoſis in hoc morbo a duratione, ſede obſtructionis et ſymptomatum magnitudine ac genio dependet. Nam ſi tumor abdominis adhuc recens, parvus, nec adeo durus eſt, et maſſa viſcida tantummodo in inteſtinis hæret, ibidemque venarum lactearum oſtiola obſtruit, ſi nondum lenta febris acceſſit,

„etiam in inteſtinis tenuibus oculis ſeſe ſubie-
„cerint, quæ vix ab horum ſubſtantia divelli
„potuerunt, ſicque nonſolum in ventriculo ſe-
„parationem liquoris gaſtrici prohibuerunt, ve-
„rum et oſtiola vaſorum lactéorum clauſere, u
„chylo aditus ad maſſam ſanguineam fueri
„præcluſus &c.

ſit, nec vultus quoque atque membrorum macies ſingularis ac magni momenti deprehenditur, haud raro feliciter, et intra breve nonnunquam tempus, crebriori utplurimum alvi ſolutione critica, tollitur: ſin neglectus vero aut ſiniſtre tractatus iam iam invaluerit, ſi obſtructionem, intumeſcentiam ac ſcirrheſcentiam glandularum meſeraicarum cauſſam praecipuam agnoſcat, ſi hectica denique febris, cum magna tabe membrorum omnium, magnoque ac valde duro ventris tumore, adſit, nulla amplius ſanitatis rediturae ſpes adfulget, ſed finis exitialis poſt plures aut pauciores dies, hebdomades, aut menſes certo ſequitur.

§. V.

Duabus medela indicationibus, *viſcidae* nimirum *materiae obſtruentis reſolutione* et *blanda* deinceps *per alvum eductione*, nititur, quae ita tamen ſub uſu medicamentorum coniungi poſſunt, ut iisdem formulis utrique ſatisfiat. Abſtinebo a prolixiori remediorum recenſione, et pulveres ſaltim ex lap. cancrorum, tartaro ſolubili, ſale de Seignette, nitro dep., rhabarbaro, mechoacanna alba,

rad. irid. Florent., magnesia alba &c., tincturas aquoso - vinosas temperatiores ex flor. salis ammoniaci, terra foliata tartari, extracto. chamomillæ vulg., angelicæ, et cardui benedicti, nec minus electuaria ex syrupo de hyssopo, dialthææ FERNELII, de erysimo LOBELII, extractis memoratis, pulvere rhabarbari, rad, irid. Florent., anisi stellati, sem. foeniculi, croci orientalis, morsulos ex sacharo, semine foeniculi, santonico, rhabarbaro, rad. irid. Florent. et mercurio dulci &c., quorum efficaciam in hoc morbo plus simplici vice expertus sum, commendabo. Apud adultiores etiam pilulæ ex gummi ammoniaco dep., extracto chamomillæ, scordii, trifolii fibrini, centaurii min., pulvere rhabarbari, ireos Flor., mercurio dulci et pauxillo sulphuris antimonii aurati tert. præc, valde conducunt, quoniam non tantum mucum tenacem egregie resolvunt et abstergunt, sed vermes quoque valide exturbant.



CAP.



CAP. XVIII.

DE HAEMORRHOIDIBVS.

§. I.

Haemorrhoides, quarum uberrima pertractatio in STAHLII, ALBERTI atque IVNCKERI ſcriptis quærenda eſt, vel *fluentes*, vel *cæcæ*, vel *molientes* ſunt. Fluentes iterum in *ſanguineas* ſeu *proprie tales*, *decolores* ſive *ſanguineo-ſeroſas*, et *albas*, tum *mere ſeroſas*, tum *ſeroſo-mucoſas*, et cæcæ pariter in *turgentes* rurſum atque *tumentes* dividuntur.

§. II.

Hæmorrhoides fluentes ſanguineæ repetitam cruoris excretionem alvinam denotant, quæ utplurimum quidem excrementorum excluſioni ſuccedit, ſubinde tamen citra præviam quoque ventris exonerationem naturalem accidit, præſertim, ſi ſanguis ex vaſis hæmorrhoidalibus largius in inteſtinum rectum confluat, adeoque alvum propter co-

piam ſuam iunctamque haud raro acredinem aliquam ad frequentiorem ſui eiectionem ſollicitet. Nonnulli, hæmorrhoides fluentes ſemper *internas* eſſe, *externas* vero ſemper cæcas exiſtere, perhibent: At, ſententiam hanc erroneam eſſe, et externas quoque interdum, quanquam rarius, fluentes fieri, experientia docet.

§. III.

Sanguis, qui ſuperveniente ac durante fluxu hæmorrhoidali per alvum cum aut ſine ſcybalis alvinis per vices crebriores excernitur, vel ex arteriis hæmorrhoidalibus internis aut externis per dilatata vaſcula lateralia arterioſo - lymphatica in inteſtinum rectum emittitur, vel ex ruptis varicibus ſive nodis tumidis eiusdem cognominis venarum erumpit. Si ex arteriis ſtricte talibus per ampliatas arteriolas ſeroſo - lymphaticas excernitur, fluxus hic plerumque moderatior eſt, rariusque iuſtæ quantitatis limites excedit: Si tumidi vero ac valde diſtenti nodi venarum rupti fuerint, cruor maiori utplurimum copia ac nimia perſæpe quantitate effunditur. Me quidem non latet, medicorum pleroſque non arte-

arterias, ſed ſolas tantum venas hæmorrhoidales cruenti huius fluxus ſcaturigines agnoſcere; aſt perperam, quoniam ſanguis ex venis absque nodorum ruptura ad inteſtinum fluere nequit. Vnicuique enim notiſſimum eſſe arbitror, ſanguinem ſub circulo ſuo per corpus animale nullibi, ſi venam portarum in hepate exceperis, ex ramis venarum maioribus in minores penetrare, ſed ubique potius ex minoribus ad maiores regredi, nec ullo igitur modo per venas laterales ſeroſo-lymphaticas ad inteſtinum extrudi poſſe.

§. IV.

Cauſſa fluxus hæmorrhoidalis proxima pro meo iudicio nulla alia eſt, niſi *magna cruoris viſcidi*, aut *viſcido-acrioris in vaſis hæmorrhoidalibus adcumulatio*, quæ *abundantiam eius tardioremque per venas ad partes ventris ſuperiores regreſſum*, vel longe adhuc ſæpius *venæ portarum*, *vaſorum meſeraicorum* &c. *infarctus* et *obſtructiones* ſequitur. Differunt cæteroquin pro harum cauſarum diverſitate ipſæ pariter hæmorrhoides: Præſente enim tardiori ſaltim ſanguinis abundantis atque viſcidioris ad venam portæ et ca-

vam regreſſu, hæmorrhoides fluentes ſanguineæ ordinario criticæ, ſalutares, magisque regulares ſunt, et certo reſpectu *idiopathicæ* vocari merentur; ſin infarctus vero atque obſtructiones meſenterii, hepatis et venæ inprimis portarum ſanguini, ad venam cavam remeanti, obſtacula paſſim obiiciant, *ſymptomaticæ* exiſtunt, et valde utplurimum quoad tempus eruptionis et ſanguinis excreti copiam irregulares deprehenduntur. Vt nihil præterea de variis moleſtis pathematibus dicam, quæ ſæpe ſæpius ſymptomatici huius fluxus prodromi, aut comites, aut conſectaria ſunt.

§. V.

A fluentibus hæmorrhoidibus ſanguineis ſeu proprie talibus hæmorrhoides albæ et decolores conſiſtentia atque colore humoris excreti ſeſe magis minusve diſtinguunt. Nam ſi humor tenuis aquoſus, nunc limpidus omnino, nunc paullulum flaveſcens, ſub crebriori alvi depoſitione effluit, *albæ ſeroſæ* dicuntur: Sin craſſior vero atque albicans materia mucoſa, vel pura prorſus, vel punctis nonnunquam ac ſtriis cruentis hinc inde notata,

ata, excernitur, *albæ mucoſæ* vel *mucido-ſub-ruentæ* audiunt, et ſi humor denique mixtus eroſo-ſanguineus, cruentæ carnis loturam eferens, excluditur, *decolores* adpellantur. Præcipua diſcriminis ratio apud varias haſce æmorrhoidum fluentium ſpecies a maiori ut minori dilatatione vaſculorum lateralium lependere videtur, quippe quæ, ſi ſufficien-er dilatata fuerint, ſanguinem perfectum ransmittunt; ſin diameter vero eorundem dhuc minor atque minor exiſtat, integros ruoris globulos recipere nequeunt, et pitui-ſæ ſaltim, a ſanguine ſecedenti, aut cruori, enſim arteriarum actione et inteſtino attritu n liquamen ſeroſo-mucidum albicans diſſo-ito, vel tenuioribus tantum partibus ſeroſis ranſitum in inteſtinum rectum concedunt.

§. VI.

Hæmorrhoides fluentes, præſertim in-ernæ, noſtro quidem ævo ſatis frequentes unt, *cæcæ* nihilominus, quæ varices ſeu no-os venarum hæmorrhoidalium tumidos li-idosque, vel rubentes etiam, aut fuſcos ſi-unt, longe adhuc frequentius obſervantur, c modo in venis hæmorrhoidalibus internis, modo

modo in externis, prope limbum ani, aut in ipſo margine eius, naſcuntur. Internæ, quarum præſentia ex ardoris, punctura, aut ſingularis tantum ſtricturæ ac compreſſionis ſenſu, eidemque utplurimum iuncta alvi ſiccitate, ſegnitie, quin plenaria nonnunquam obſtipatione cognoſcitur, perſæpe rumpuntur, ſuumque ſanguinem effundunt, externæ autem, quæ pro diverſo ſitu ſuo perfecte atque conſtanter, vel quoad aliquam tamen partem, magis ſcilicet minusve ſub egerendi conamine protruſæ, in conſpectum veniunt, raro aperiuntur, quoniam integumenta, quibus venæ hæmorrhoidales externæ implantantur, nimis dura rigidaque exiſtunt. Diſtinguuntur cœteroquin, uti ſupra pridem indicavi, hæmorrhoides cæcæ, ſive internæ ſint, ſive externæ, in *turgentes* ac *tumentes*. Turgentes livido colore gaudent, et nullum omnino, vel leviorem duntaxat dolorem preſſorio-tenſivum excitant, tumentes ex adverſo inflammatoriæ ſunt, et valde igitur rubentes, valdeque urentes atque dolentes deprehenduntur; hinc interdum quoque fit, ut exulcerentur, et novam rurſus ſpeciem, eamque peſſimam, *hæmorrhoides* nempe *ulceroſas*,

quæ

quæ fiſtulæ ani haud raro occaſionem præbent, producant. Nec commemorare pariter hoc loco alienum eſt, hæmorrhoides fluentes ſeroſas interdum, exaltata nimirum humorum acredine ſcorbutico-purpurata, acerrimoque exſtillante humore ſeroſo, *ſerpigiſas* evadere, et inteſtinum rectum proinde et ani marginem itidem cum magno dolore ardente ac morſicante excoriari hinc inde et exulcerari.

§. VII.

Longius adhuc, quam cæcæ, ab hæmorrhoidibus fluentibus *hæmorrhoides* ſolummodo *molientes* recedunt. Supponunt enim, abſque ulla nodorum geneſi, mera ſaltim molimina ad fluxum hæmorrhoidalem, quæ ſæpe tamen irrita ſunt, et ſine effectu deſiderato ceſſant iterum, iterumque per incerta intervalla redeunt, et multis ac variis ægritudinibus primam atque præcipuam cauſſam largiuntur. Ad memorata autem molimina, eaque ſolenniora, pruritus ani, ardor, puncturæ et ſingularis preſſionis ac tenſionis ſenſus in parte inteſtini recti inferiori, nucleum ano intruſum quodammodo mentiens, nec minus

ſicci-

ſiccitas et conſtipatio alvi, tormina ventris et doloris in oſſe ſacro et coccygis, quin ſæpe etiam altius in dorſo, nunc mitiores gravativo - tenſivi, nunc vehementes ac fere nonnunquam intolerabiles conſtringentes ac lancinantes pertinent, immo hiſce haud raro, ſi iſta nimirum nulla prorſus aut minus ſufficiens ac regularis ſanguinis per vaſa hæmorrhoidalia eruptio ſequatur, apud diverſa tamen ſubiecta et diverſis temporibus, ſuppreſſio urinæ, mictus cruentus, cruciatus renum aut veſicæ ſpasmodici, vera tormina colica, anxietates præcordiales, ſpasmi ventriculi cardialgici, nauſea et conatus vomendi, ſingultus, conſtrictiones pectoris, reſpiratio difficilis, tuſſis ſicca aut valde pituitoſa, hæmoptyſis, ſputum cruentum, pulſatio fortior et palpitatio cordis, obſcuratio viſus, tinnitus aurium, vertigo, dolor preſſorio - tenſivus in fronte et capite anteriori, animi inquietudo, melancholia, ſomnus turbulentus, dolores artuum arthritico - rheumatici ac plura alia moleſta pathemata iunguntur, ita ut facillime defendi poſſit, hæmorrhoidarios huius cenſus miſeros omnino homines ac morbis plerisque obnoxios eſſe.

§. VIII.

§. VIII.

Quemadmodum hæmorrhoides fluentes seroso-serpiginosæ ac mucosæ, nec minus iusto parciores atque anomalæ sanguineæ, et adhuc magis cæcæ ac molientes multa patientibus incommoda pariunt, vitamque magis minusve ærumnosam reddunt; sic *excedentes* pariter nocivæ deprehenduntur, quoniam totum corpus nimia sanguinis iactura valde debilitatur, et inde postmodum facillime cachexia, adfectus œdematosi, hydrops et hectica oriuntur. Triplici autem respectu hæmorrhoides excedentes sive nimiæ vocantur, *primo* nimirum, quando sanguis intra paucos dies ingenti quantitate et ad plures nonnunquam libras excernitur, *deinde*, quando fluxus, alioquin moderatus, iusto diutius perdurat, et *tertio* denique, quando hic fluxus crebrius, quam par est, revertitur.

§. IX.

Caussæ defectus, suppressionis, excessus ac variæ anomaliæ fluxus hæmorrhoidalis varum ab invicem differunt. Caussæ enim defectus proximæ vel ad *ingentem sanguinis spissitudinem* atque *mucositatem*, vel ad *spasmum*

mum vasculorum excernentium fortiorem a
valde *refractarium*, ab impuritate humorum
acri scorbutico - aut arthritico - purpurata ex
citatum, vel ad *scybala alvi adcumulata, indu*
rata et *acriora reddita*, vel ad *connatam* au
postea demum inductam tunicarum densitatem
duritiem, ac *rigiditatem* in vasculis lateralibu
transmittentibus et excernentibus, quin ipsi
integumentis arteriarum ac venarum hæmor
rhoidalium præcipue redeunt, et eadem quo
que partium solidarum ac fluidarum vitia,
tubulorum excernentium nec non arteriarum
ac venarum hæmorrhoidalium densitatem, du
ritiem ac rigiditatem exceperis, et harum lo
co *terrorem* et *graviorem* atque *frequente*
iracundiam addideris, suppressionem, exce
sum et anomalias huius fluxus efficiunt. Co
tradictorium quidem videtur, fluxum et nim
um et deficientem atque suppressum ab ii
dem caussis oriri; attamen dubium facile, u
spero, disparebit, si diversus obstructionis lo
cus spectetur, quippe quæ sub nimio flux
unice in vasis sanguinem revehentibus, obo
ta suppressione autem, præcipue in vascu
transmittentibus et excernentibus quære
da est.

§.

§. X.

Hæmorrhoides virili quidem ſexui præcipue familiares reperiuntur, haud raro nihilominus fieri ſolet, ut illæ apud fœminas quoque, præſertim poſt partum difficilem, poſt præmaturam fluxus menſtrui emanſionem, et ſub variis eiusdem anomaliis, exoriantur. Conſiderationem pariter temperamentum, ætas et diſpoſitio hereditaria merentur. Subiecta enim, temperamento ſanguineo-melancholico aut ſanguineo-cholerico prædita, et in ætate conſiſtente virili ac ſenili conſtituta, hæmorrhoidibus longe magis, quam reliqua, obnoxia ſunt, immo illa, quæ ſimul diſpoſitione hereditaria gaudent, hunc fluxum aut varia tamen ad eum molimina perſæpe in ipſa dudum ætate iuvenili experiuntur; idque eo facilius, ſi frequens antea ac larga narium hæmorrhagia ceſſet, aut ſolenniores atque communes cauſæ procatarcticæ, crebriores nimirum corporis refrigerationes, vita otioſa ac ſedentaria, uſus intemperantior ſpirituoſorum, aromatum, croci, allii, aloeticorum, purgantium &c., equitatio frequens ac diuturna, celerior ac longior curſitatio, præſertim ſub tempeſtate calida, iracundia, ter-

 ror,

ror, neglecta venæsectio adsveta, nisus fortior sub ventris exoneratione aut apud fœminas sub partu, et plura huius census alia accedant. Circa ætatem cæteroquin paucis adhuc notandum venit, hæmorrhoides, apud subiecta iuniora erumpentes, raro ordinem servare, sed adeo creberrime evadere anomalas, ut inde non tantum variæ sanitatis turbæ nascantur, sed mors quoque, antequam patientes ad senium perveniant, sequatur, contrarium vero observari, et hæmorrhoides satis utplurimum regulariter fluere, vitamque longam polliceri, si annosioribus demum supervenant.

§. XI.

De Prognosi hinc inde dudum in antecedentibus nonnulla dicta occurrunt, quare eam prolixius rursum hoc loco exponere nolo, sed adhuc breviter duntaxat monebo, hæmorrhoides sanguineas, iusto ætatis tempore prodeuntes ac rite postmodum fluentes, corpus a variis morbis præservare, ac sæpe pariter multarum ægritudinum rebellium, vertiginis v. g., insaniæ, adfectuum pectoris, passionis hypochondriacæ, arthritidis, rheuma-

tismi

tiſmi &c., egregium fieri remedium, fruſtra ex adverſo molientes, aut denuo ſuppreſſas matrem malorum fœcundiſſimam exiſtere, ac crebro inprimis apoplexiam, melancholiam, maniam, cephalalgiam et hemicraniam refractariam, vertiginem caducam, hæmoptyſin, aſthma convulſivum, catarrhum ſuffocativum, phthiſin pulmonalem, vomitum et mictum cruentum, dolores arthriticos, hydropem ac plura alia pathemata, ſupra pridem (§. 3.) recenſita, adducere, aut primo tamen ortui eorum, aut incremento admodum famulari.

§. XII.

Hæmorrhoides ſanguineæ regulares, h. e., iuſto ordine ac tempore iuſtaque quantitate fluentes, nunquam medicamentis turbandæ, ſed victu potuque tenui ac temperato, frequenti ac blando corporis motu et animi tranquillitate in ordine ſuo ac libertate conſervandæ ſunt: Quod reliquas vero ſpecies attinet, illæ medici auxilium, valde tamen pro circumſtantiarum diverſitate diſcrepans, perſæpe poſtulant. Ad cæcas nimirum ac molientes curandas, præter *diætam temperatam*, ea inprimis requiruntur, quæ

ſangvinem ſpiſſum, mucidum atque acrem attenuant ac temperant, reſiſtentiam, ſpaſmum, duritiem, rigiditatem tunicarum minuunt, et blanda tandem operatione ipſum ſanguinis fluxum per vaſa hæmorrhoidalia promovent, cuius cenſus in genere, adeoque diverſo ad indicationes diverſas reſpectu, ſunt pulveres ex lap. cancrorum, nitro dep., ſale *de* SEIGNETTE, mirabili GLAVBERI, tartaro ſolubili, terra foliata tartari aliisque ſalibus mediis, nec minus potiunculæ ex iisdem pulverulentis et aquis refrigerantibus, emulſiones ex amygdalis dulc., ſem. quatuor frigidis maioribus et minoribus, nitro, ſalibus mediis et aquis diapnoicis atque refrigerantibus, infuſa theiformia ex rad. ſcorzoneræ, cichorii, ſaponariæ, hb. hederæ terreſtr., veronicæ, betonicæ, chamædryos nob., meliſſæ citr., flor. millefolii, ſem. fœniculi et flavedine cort. citri, tincturæ temperatiores, ex terra foliata tartari, extracto chamomillæ vulg., cardui benedicti, cent. minor., angelicæ &c. cum vino aut ſola nonnunquam aqua quadam deſtillata paratæ, electuaria ex ſyrupo de eryſimo LOBELII, dialthææ FERNELII, extractis vix recenſitis, et

et pulvere rhabarbari atque radicis iridis Florentinæ &c.

§. XIII.

Lenioribus hiſce attenuantibus et abſtergentibus per intervalla *potiunculæ* etiam *laxantes mannato-rhabarbarinæ*, *clyſmata emollientia* et *abſtergentia*, *pediluvia*, *venæſectio in pede*, et tandem pariter, aliqua nimirum humorum præparatione præmiſſa cæterisque eruptionis impedimentis remotis, *potentiora quædam pellentia*, v.g., pilulæ Stahlianæ, aut aliæ ex gummi ammoniaco depurato, gummi galbano, ſagapeno, aloe violata, extracto myrrhæ aquoſo, extr. chamomillæ, ſcordii, cardui benedicti, trifolii fibrini, pulvere rhabarbari, mercurio dulci, croco orientali et ſulphure antimonii aurato tertiæ præc. (quod pellens omninò egregium eſt) concinnatæ, et huius naturæ atque virtutis alia iungenda ſunt, nec *hirudinum* quoque *adplicatio*, ſi hæmorrhoides cæcæ in conſpectum veniant, et commoda adpoſitionis occaſio adſit, omitti debet. Vt nihil de cæcarum conſpicuarum inunctione cum unguento de linaria aut dialthææ, de immittendis turundis ex radice althææ, oleo

liliorum alb. aut chamomelino inuncta, et similibus dicam, quae saepe ad dolorem mitigandum et eruptionem sanguinis promovendam utilia ac necessaria deprehenduntur. Externis hisce *sacculi* pariter ex speciebus paregoricis et emollientibus, cum lacte coctis, nec minus *albumen ovorum*, aqua calida dilutum, et mucilagine seminis psyllii mixtum, emulsiones tepidae amygdalinae, nec non *turundae* ex carne melonum addi, et demulcendi scopo contra serpiginosas inprimis et caecas inflammatorias sive tumentes in usum trahi debent.

§. XVI.

Eadem medendi methodus eademque remedia etiam valent in suppressione fluxus haemorrhoidalis, immo maximam quoque partem in haemorrhoidibus fluentibus mucosis, serosis, serpiginosis atque anomalis locum inveniunt, praeterquam, quod in mucosis et serosis plura laxantia sanguinemque purificantia, et in serpiginosis plura edulcorantia ac demulcentia requirantur. Quod excedentium vero sanguinearum medelam concernit, illa satis distincta existit, et *diaeta* inprimis *temperata* ac *modice refrigerante*, *venaesectione*

in

in brachio et *temperatis medicamentis aperitivis salsisque incidentibus ac temperantibus*, v. g. potu aquæ simplicis, seri lactis, decocti avenacei et hordeacei, pulveribus itemque, potiunculis et emulsionibus nitrosis, aliisque, contra hæmorrhagias immodicas alibi fusius pridem ac generatim commendatis, expedienda erit. Non pauci quidem practicorum *adstringentia* quoque suadent: Verum enim vero; hæc ipsa pro meo iudicio, ob prava pathemata, quae usum eorundem in hoc morbo plerumque sequuntur, vel exulare omnino, vel in casu rebelli et post irritum prorsus praecedentium usum, eorum duntaxat leniora aperitivis ac temperantibus dosi admodum refracta et cum summa circumspectione misceri debent. Praestat praeterea, ab ulteriori illorum exhibitione protinus abstinere, quamprimum iusto largior atque impetuosa cruoris eruptio nonnihil remisit, nec lethifera amplius sanguinis iactura metuenda est.





CAP. XIX.

DE

OBSTRVCTIONE ET INCONTINENTIA ALVI.

§. I.

OBSTRVCTIO ALVI, alias etiam *Adstrictio, Suppressio, Constipatio, Obstipatio alvi*, nec minus *Coprostasia* (a κόπρος, *stercus et* στάσις, *statio*) nuncupata, a SEGNITIE ALVINA solummodo gradu differt. Segnities enim torpidam duntaxat, magisque laboriosam et ultra tempus solenne nonnihil saltim protractam, obstructio autem omnimode seu penitus per longiora aut breviora temporis spatia impeditam faecum alvinarum excretionem denotat.

§. II.

Dividitur haec obstructio, sive sit gravior atque perfecta, sive levior aut mera tantum segnities, in *idiopathicam* et *symptomaticam*. Haec creberrime febribus, praesertim continuis ardentibus, passioni itemque nephri-

phriticæ, hyftericæ, hypochondriacæ, colicæ, iliacæ, herniis incarceratis, ut et hæmorrhoidibus molientibus, cæcis atque fuppreffis, tympaniti et pluribus aliis morbis complicata reperitur; illa vero proxime vel a *fpasmo*, vel *torpido inteftinorum motu periftaltico*, vel *ficcitate* atque *duritie fcybalorum* oritur, et harum rurfus cauffarum genefi adfumta efculenta, potulenta, medicamenta et venena auftera conftrictoria, impuritates acres, præfertim acidæ ac ftypticæ, in canale inteftinali circa valvulam BAVHINI, aut flexura coli finiftra, aut prope ani fphincterem ftabulantes, recrementa varia, rheumaticæ fcilicet, fcorbutico-purpuratæ, arthriticæ et fcabiofæ profapiæ, ex corporis peripheria aut aliunde ad vafa inteftinorum fanguifera atque lymphatica translata, quin fenfim quoad partem per ipfas fubinde glandulas excreta, obftructio glandularum inteftinalium, nec minus, præprimis apud fubiecta ficciora cholerica, fudores largiores, vita otiofa aut fedentaria, fpeculationes ac meditationes continuæ; potus parcior, ingeftio crebrior ac iufto copiofior ciborum ficcorum atque induratorum, neglecta ventris fub ftimulo leviori

exoneratio et ſimilia occaſionem largiuntur. Notatu quoque dignum eſt, iſtos pariter homines, qui a cibis rudioribus ſalſisque plane abſtinent, ac ſolis pulpoſis, mollibus, ſucculentis et liquidis veſcuntur, magnam haud raro alvi ſegnitiem experiri, quoniam alimenta memorata nimis parvam materiæ recrementitiæ quantitatem relinquunt, quæ inteſtina poſtmodum ad vegetum motum periſtalticum et tempeſtivam promtamque ſui promotionem et excluſionem ſtimulare nequit a).

§. III.

Quanquam obſtructio et ſegnities alvi primo intuitu non adeo magni momenti eſſe videantur, multa nihilominus ac varia moleſta pathemata easdem, ſi diutius perdurent, flatuum nimirum adcumulatio, murmura, borborygmi ac doloroſa ventris tenſio, preſſiones circa ventriculum, anxietates præcordiales, reſpiratio difficilis, palpitatio cordis, congeſtiones ſanguinis verſus caput, temulentia capitis vertiginoſa, cephalalgia remiſſior

a) Plura de hiſce in HENRICI SCHVLTZII *Diſſ. de Nimium bonis* videri poſſunt.

ſior tenſivo-gravativa, obſcuritas viſus, et aurium tinnitus certo ſequuntur. Nec praetermittendum quoque erit, excrementa alvina, antea molliora ac liquidiora, ſub diuturna hac retentione penitus exſiccari, et inde, quod peſſimum eſt, humorem putridum per venas bibulas ſenſim ad ſanguinem tranſire, et hunc atque humores circulantes reliquos miſcela ſua adeo corrumpere, ut interdum febres inde putridae, aut pravi ac plane ſingulares morbi chronici naſcantur.

§. IV.

Curatio ſegnitiei atque obſtructionis alvi idiopathicae reſpectu cauſſarum duplex deprehenditur, ac modo ad *emollientium*, *humectantium* et *abſtergentium*, modo ad *roborantium* ac *ſtimulantium* uſum praecipue redit. Emollientia videlicet, humectantia ac blanda abſtergentia, eſculenta v. g. liquidiora mucilaginea, gelatinoſa, pinguia et oleoſa, potulenta temperata aquea, ptiſanae hordeadeae et avenaceae, ſerum lactis, temperatiora infuſa theiformia, emulſiones amygdalinae, electuaria ex oleo amygdalarum dulcium recentiſſimo cum pulvere rhabarbari et radicis iridis

Florent., vel etiam ex ſyrupo dialthææ FERNELII, extracto chamomillæ vulg., angelicæ, et rhabarbaro orientali, nec minus clyſmata emollientia in genere requiruntur, quando inteſtinorum aut ſphincteris adfectio ſpasmodica, vel ſcybala exſiccata, indurata et adcumulata proximam atque præcipuam obſtructionis cauſam conſtituunt: Abſtergentia potentiora autem nec minus roborantia, ac ſtimulantia, cuius cenſus ſunt enemata roborantia ac paullulum acria, ſupra dudum (*Cap.* 13. *de Flatibus ventriculi et inteſt.* §. 10.) commendata, leniora itemque purgantia, præſertim rhabarbarina, ſal Ebshamenſe, Sedlizenſe, de Seignette, et pilulæ Stahlianæ eiusdemque naturae aliae, cum limatura aut croco martis modice remixtae, electuaria porro ex ſyrupo flor. perſicorum, de cichorio c. rhabarbaro, de eryſimo LOBELII, extracto cent. minor., cardui bened., chamomillae vulg., pulvere rhabarbari, rad. iridis Florent., et ſulphure antimonii aurato optimo, tincturae, ex iisdem extractis et terra foliata tartari aut floribus ſalis ammoniaci cum vino paratae, additaque poſtmodum tinctura martis helleborata et rha-

rhabarbari acuatae, infusa theiformia ex foliis sennae, herba melissae, semine foeniculi et flavedine corticis citri &c., proficua non minus quam necessaria inveniuntur, quoties intestinorum flacciditas et torpidus eorundem motus peristalticus praecipue adcusanda veniunt. Notari tamen debet, antea laudatis relaxantibus et humectantibus subinde etiam, praesente videlicet glandularum intestinalium obstructione, aut refractaria sanguinis viscidioris stagnatione in vasculis, *aperitiva* ac *resolventia*, et alio pariter tempore, retroacta nimirum acri quadam materia purpurato-scorbutica &c., *potentiora diaphoretica* addenda et interponenda esse; nec ignorari quoque oportet, *blandum corporis motum*, cum sufficienti tamen potu coniunctum, generatim ad obtinendam felicem huius obstructionis curationem multum conferre, immo, ipsa nonnunquam *venaesectione* ad sanguinem densum resolvendum et infarctus reserandos opus esse. De obstructionis alvinae symptomaticae medela nihil hoc loco addo, sed ea passim ex principalium morborum tractatione discenda est.

§. V.

§. V.

Obſtructioni alvi INCONTINENTIA EIVS ſeu involuntaria faecum alvinarum excretio oppoſita eſt, quae a triplici cauſſa, nimirum a *nimia teneritudine* et *imbecillitate naturali*, vel a *relaxatione vulgari*, vel a *vera paralyſi ſphincteris ani* potiſſimum oritur. Prima cauſa apud tenellos infantes obſervatur, binae reliquae autem apud adultos, praeſertim ſenes, occurrunt. Inducendae relaxationi ſphincteris eminentiori diuturnae diarrhoeae mucido-ſeroſae, clyſteres emollientes, praeſertim oleoſi, iuſto ſaepius iniecti, partus difficilis, et niſus fortior ſub ventris exoneratione praecipue famulantur, paralyſis vero interdum apoplexiam et improvidam aut plane infauſtam fiſtulae ani ſectionem ſequitur. Prima ſpecies, apud infantes ſcilicet nonnunquam obvia, aetate creſcente auctoque ſphincteris robore, citra medici opem ab ipſa natura tollitur, ſecunda ſpecies facile utplurimum per eadem remedia, quae capite ſequente contra *Procidentiam ani* commendata ſunt, ſanatur, et tertia denique, licet rariſſime curabilis deprehendatur, conſueta *antiparalytica* et ſubinde etiam *travmatica* poſtulat.

CAP.



CAP. XX.

DE PROCIDENTIA ET TENESMO ANI.

§. I.

PROCIDENTIA ANI, ſive *Elapſus* et *Prolapſus ani*, ſub quacunque alvi depoſitione contingens, infantibus quidem puerisque praecipue familiaris eſt, haud raro tamen apud adultos quoque naſcitur, ac proxime apud cuiuscunque aetatis ſubiecta a *magna* et *ſubinde plane paralytica ſphincteris* et *tunicae inteſtini recti glanduloſo-nerveae relaxatione* dependet; cui apud infantes clamores fortiores atque frequentes, niſus maior ſub duriorum ſcybalorum excluſione, et diarrhoeae diuturnae mucido-acidae ac bilioſae, apud adultos vero tum cauſſae memoratae, ſi clamores exceperis, tum etiam dyſenteria praegreſſa, haemorrhoides caecae ac fruſtra molientes, calculus veſicae, partus difficilis, pondus uteri, inteſtinum rectum ultimis graviditatis

viditatis mensibus premens nimium ac comprimens, adsumta purgantia resinosa acriora atque drastica, abusus enematum emollientium, et equitatio diuturna praecipuam occasionem suggerunt.

§. II.

Facilior aut difficilior huius affectus curatio ab aetate aegri, procidentiae diuturnitate et caussae genio dependet. Malum enim recens facilius, quam inveteratum, et facilius quoque apud infantes puerosque, quam apud adultos, praesertim senes, tollitur. Felicior pariter ac certior medelae successus exspectandus est, quando relaxatio tunicae glanduloso-nerveae atque sphincteris modica duntaxat atque vulgaris est; secus ex adverso iudicandum erit, et minor perfectae corroborationis spes superest, si relaxatio plane paralytica existat. Requiritur autem ad curationem, 1) ut pars prolapsa mastiche, in pollinem redacta et pauxillo pulveris radicis bistortae, aut tormentillae, aut terrae Iaponicae, aut aluminis remixta, conspergatur, vel epithemate ex herba rorismarini, maioranae, salviae, scordii et foliis rosarum rubr.,

rubr., vel etiam, ſi magna durities aut exortæ levioris inflammationis veſtigia adſint, ſacculo tepido vinoſo ex ſpeciebus iisdem et floribus ſambuci ac chamomillæ vulgaris (exceptis tamen foliis roſarum) aliquamdiu foveatur, et deinde 2), imperato prius prono corporis ſitu, nudis digitis, oleo infuſo maſtichino, aut caſtorino aut verbaſci inunctis, vel molli linteo complicato, aut ſpongia, infuſo aut decocto vinoſo tepido ſcordii, corticis granatorum &c. nonnihil madefacta, reponatur, aptisque poſtmodum ſubligaculis, ſi gravior aut plane paralytica relaxatio tale auxilium poſtulet, contra novum elapſum, quantum fieri poteſt, muniatur. Non prætermittendum quoque cenſeo, ſacculos ex ſpeciebus nervinis et adſtringentibus cum vino coctos, et ano poſt repoſitionem inter ſedentum ſuppoſitos, multum ad roboris reductionem conferre.

§. III.

TENESMVS ANI, a τείνω, *tendo*, ita dictus, eſt continuus, plerumque tamen fruſtraneus, ventrem exonerandi conatus, ſive aſſidua deſidendi cupiditas, cui nulla tamen,

 vel

vel ſaltim parca materiæ pulpoſo-mucidæ, aut cruentæ, aut purulentæ excretio ſuccedit.

§. IV.

Sæpius hæc affectio ſymptomatica, quam idiopathica eſt, ac modo a *ſtimulo immediato* oritur, quem aſcarides, in inteſtino recto nidulantes, vel fervida materia mucido-cruenta aut plane ulceroſa in dyſenteria, vel acida, bilioſa et alia acris in diarrhoea vulgari, vel citra eiusmodi fluxum in inteſtino ſubſiſtens ac pertinaciter adhærens, vel reſiduæ etiam acriores atque tenaces reſinoſæ purgantium, præſertim draſticorum, moleculæ muſculis ani levatoribus et ſphincteri inferunt: modo, *conſenſuali* magis *actione*, a calculo veſicæ, aut pondere uteri apud gravidas, aut ſanguine ſub hæmorrhoidum anomaliis refractarie ſtagnante ac ſubſiſtente, immo a diuturna interdum equitatione excitatur. Prioribus ſpeciebus, immediato nimirum ſtimulo productis, adhuc ille etiam teneſmus addi meretur, qui nonnunquam ſequi ſolet, quando charta, pipere aut alio pulvere acri conſperſa, ad ani abſterſionem adhibita fuit.

§. V

§. V.

Tenesmus mere symptomaticus nulla peculiaria postulat remedia, sed tota medela eius cum affectuum principalium curatione connexa est: Quod reliquas vero species, quae ascaridibus, aut humori acri, citra diarrhoeam adhaerenti, aut purgantium reliquiis, aut pulveri morsicanti, sub memorata ani abstersione fortuito adplicato, originem debent, attinet, illas paullo uberius hoc loco atque distincte considerare necessum duco, Praesente nimirum numerosa ascaridum progenie, interna *anthelmintica* varia, alibi dudum exposita a), et simul quoque, propter effectum longe praestantiorem, eiusdem virtutis *clysmata* ex rad. diptamni albi, summitat. absinthii, cent. minor., herba ac floribus tanaceti, chamomillae, semine cinae, sacculo sub coctione incluso, myrrha &c. in usum trahenda sunt. Ad contemperandum humorem acrem et obtundendas eluendasque purgantium reliquias interna *demulcentia mucilaginea*, *gelatinosa* et *aqueo-oleosa*, v. g. iuscula avenacea et carnium pinguia, decoctum hordeaceum,

a) *Cap. de Vermibus intestinorum.*

gelatinæ C. C., eboris, crurum vitulinorum &c., emulſiones amygdalinæ, albumen ovorum, aqua dilutum, ſolutio gummi Arabici aut tragacanthæ, ſerum lactis dulce et clyſteres ex radice althææ, malvæ, lil. alb., herba et flor. althææ, chamomillæ vulgaris, mucilagine ſem. cydoniorum et oleo olivarum aut lil. alborum absque ullo additamento ſalino parati, præ reliquis apta et utilia reperiuntur et in ultimo denique caſu, ubi externa duntaxat materia acris adhæſit, ſola enemata de-demulcentia ſufficiunt.

§. VI.

Morbis inteſtinorum et ani hactenus expoſitis nunc nonnulla pariter de ABCESSIBVS, VLCERIBVS et FISTVLIS ANI, quæ ſæpe hæmorrhoidum anomalias aliosque inteſtini recti et partium vicinarum morbos ſequuntur, nec minus de CONDYLOMATIBVS, FICVBVS et MARISCIS, circa anum apud venereos haud raro excreſcentibus, ſubiungenda eſſent: Attamen, quum adfectus priores ſtrictius ad forum chirurgicum ſpectent, de poſterioribus autem ſcitu neceſſaria ſub Morbi gallici explanatione oc-

currant,

currant, hoc loco nec hoſce, nec illos attingam, ſed lectores partim ad ſcripta chirurgorum *a*), partim ad futurum caput de *Lue venerea* remittam.

a) De variis hiſce Ani vitiis præ reliquis PLATNERI *Inſtitutiones chirurgicæ* §. *988.*, *usque ad* §. *1022.* et *le* COSTE *Tractatus gallicus de Fiſtula ani* evolvi ac legi merentur.



* * * * * * * * * * * * * * * * * *


SECTIO III.

DE MORBIS RENVM ET VESICAE VRINARIAE.

CAP. I.

DE CALCVLO RENVM ET VESICAE.

§. I.



CALCVLI RENALES ac VESICALES in genere quidem ſalino - mucido-terrea concrementa ſunt, variam nihilominus apud diverſa individua magnitudinem, formam, denſitatem atque duritiem obtinent, immo notabile inprimis diſcrimen calculum renalem et veſicalem intercedere, obſervatio docet. Nam renalis utplurimum minor eſt, fragilior, rufeſcens et in ſuperficie aſperior, veſicalis ex adverſo, originaliter ſcilicet in veſica natus, ſenſim, ob receptaculi capa-

capacitatem, in magnam molem augefcit, et fuperficie glabra, textura lamellofa, ac multo maiori, quam prior, duritie gaudet. Hifce accedit, quod apud idem fubiectum in renibus plerumque plures calculi paullatim nafcantur, in vefica autem utplurimum unicus tantum lamellatim concrefcat; quod pofterius tamen folummodo de calculis, in ipfa vefica genitis, minime vero de illis intelligendum eft, qui ex pelvi renum per ureteres ad veficam delati funt.

§. II.

Inter figna calculi renalis dolor fixus lumbaris eminet, quem calculi, in pelvi latitantes, aut ureteribus pridem impacti, duplici modo, nimirum propter afperitatem fuam et figuram angulofam pungendo ac lacerando, vel ob magnitudinem duntaxat premendo valideque diftendendo provocant. Dolor hic, in cafu priori, inhærente fcilicet calculo afperiori aut angulofo, atrox, quin atrocifſimus punctorius ac lancinans, in cafu pofteriori autem, impacto nempe calculo grandiori quidem, aft minime angulofo aut valde afpero, utplurimum lenior faltim gravativo-

tenſivus atque preſſorius eſt: Vtplurimum, inquam, non ſemper; teſtante enim experientia obtuſi quoque calculi, ſi ſimul grandiores exiſtant, acerbum dolorem pungentem ac dilacerantem pariunt, quoties ſeſe in caput ureteris altius inſinuant, vel, ad veſicam urinariam per ureterem deſcendentes, ſub itinere ſuo incarcerantur, adeoque ſub pertinaci hac inhæſione nonſolum urinæ tranſitum impediunt; ſed laudatum quoque canalem vehementer diſtendunt: Immo, frequens docuit obſervatio, calculos grandiores, ſimulque anguloſos et aſperiores, diu interdum in pelvi renum deliteſcere quietos, nec ulla plane ſuſcitare incommoda, donec fortuito per cauſſas varias, inordinatum v. g. ac vehementem corporis motum, equitationem, duriorem ac diuturniorem vecturam, terrorem, iracundiam, vomitum, tuſſim, frequentem ſternutationem, adſumta cathartica et diuretica fortiora, refrigerationem lumborum et huius commatis alia, ita mediante concuſſione, aut vehementi fibrarum renalium irritatione ac conſtrictione, commoveantur, ut ſitum incongruum nanciſcantur, vel penitus e pelvi in anguſtiorem ureterem exturbentur.

§. III.

§. III.

Quamdiu calculus in pelvi renum latet, dolor fixus atque continuus, quem ægri in regione lumbari percipiunt, plerumque obtusus saltim, gravativus atque pressorius, rarius pungens ac lacerans est, quamprimum vero ureterem intrat, eumque libere citoque transire nequit, subito punctorius, lancinans atque dilacerans evadit; unde secundum BAGLIVI effatum *a*), sensus subitaneus rei pungentis, veluti aculei in regione ureteris, signum calculi hac parte iam impulsi certissimum est. Punctorio huic dolori, si calculi nempe incarceratio diutius perduret, plura molesta pathemata, ardor videlicet lumborum, inflexibilitas spinæ dorsalis, stupor femoris eiusdem lateris *b*), retractio testiculi, tor-

a) In Oper. p. m. 116.

b) Stupor hic maior est, et facilius oritur, quando calculus iam ipsum ureterem intravit. Grandior enim calculus, dum in uretere hæret, eumque valde distendit, nervum illum, qui in musculum psoam, reni et ureteri substratum, inseritur, comprimit, et cum musculus memoratus femoris quoque motui inserviat, aliter fieri

mina ventris colica, refractaria alvi adstrictio, et frequens vomitus, quo plerumque in principio materia pituitosa, deinde flava, bili haud dissimilis, tandemque æruginosa eiicitur, sese comites adiungunt, immo interdum, si doloris atrocitas valde increscit, extremorum horror et refrigeratio, spirandi difficultas, animi deliquia et convulsiones supervenire solent. Notatu quoque dignum est, subitaneum calculi per ureterem descensum ad vesicam a dolore haud immunem esse, sed ægrum, dum calculus cum impetu quodam deorsum ruit, ingentem plerumque dorsi atque abdominis cruciatum, magnamque ac repentinam virium deiectionem sentire, quæ non adeo diu tamen perdurant, sed paullo post calculi translationem ad vesicam denuo remittunt. Vrina, quod præcedentibus adhuc addendum censeo, durante infundibuli pelvis aut ureteris obstructione, utplurimum parcissime fluit, limpidaque et tenuis, vel cruenta est, post calculi vero descensum ad vesicam crassa fit,

tur-

nequit, quin contingente aliqua nervi compressione, ipsum femur plus minusve obstupescat.

turbida et interdum ſubnigricans, ac ſabulum plerumque albicans aut rutilans ad matulæ fundum deponit.

§. IV.

Calculi veſicalis præſentiam alia rurſus ſymptomata, ſenſus nimirum gravitatis in perinæo et regione inguinali, magnum et ſubinde fere indeſinens urinam emittendi deſiderium, cum inſequente nonnunquam dolore colli, quin totius veſicæ, acerbiori, frequens dyſuria aut plenaria huius excretionis ſuppreſſio, ſubito interdum ſub ipſo lotii fluxu ſuperveniens, teneſmus ani *a*), dolor aut titillatio in glande penis, et creberrima huius erectio, excreta urina valde mucoſa aut ſabuloſa et ſimilia produnt. Probe nihilominus circa memorata pathemata notari debet, unice iisdem, quum aliis quoque veſicæ morbis quandoque ſociata reperiantur, nequaquam fiden-

a) „Si frequenter, BAGLIVVS *in Oper. p. m.* „*117. inquit*, mentulam contrectet patiens, et dum „mingere incipit, deſidendi quoque voluntate „teneatur, ſi dum per urbem incedit divaricatis „cruribus obambulet, ex tribus hiſce ſignis de „calculo veſicæ certior fies.

fidendum, ſed ſtudioſe pariter digiti in anum intruſi et maxime catheteris ope explorandum eſſe, an revera durum eiusmodi concretum lapideum adſit, an libere in veſica hæreat, an vero parietibus aut fundo eius adcretum ac tunica obvolutum ſit. Credunt quidem lithotomorum nonnulli, calculum veſicalem ſemper liberum mobilemque eſſe, at minime hanc ſententiam veritati reſpondere, aliorum practicorum obſervationes teſtantur. Frequentius cæteroquin calculi tunicati prope fundum et in iis maxime locis, ubi ureteres veſicam intrant, hoſpitantur, quoniam facile accidere poteſt, ut calculus renalis ad veſicam deſcendens ſub ultimo tranſitu per ureteres inter tunicas ipſius veſicæ refractarie ſubſiſtat, ibidemque, capſula inter tunicas formata, ſenſim in molem maiorem accreſcat *a*).

§. V.

Nullus quidem homo, cuiuscunque etiam ſit temperamenti, ſexus, ætatis ac vitæ gene-

a) Vid. *Promtuarium Hamburgenſe T. 19. P. 5. p. 473.* It. *Memoir. de l' Acad. des ſciences et des bell. lettr. de Pruſſe 1755.*

generis, perfecta intuitu lithiasis immunitate gaudet, teste nihilominus experientia, calculi renales ac vesicales frequentius apud subiecta valde sanguinea, habitu corporis laxo ac spongioso praedita, quam apud macilenta cholerica, ex *partibus urinae mucido-oleosis* et *salino-terreis rudioribus* generantur, praesertim si hereditaria pridem dispositio adsit, vel aptae atque solenniores causae procatarcticae, tam nonnaturales, quam praeternaturales, v. g. victus crassior, parcior potus, vita sedentaria, suppressio fluxus haemorrhoidalis, eidemque postmodum succedentes insolentiores atque creberrimae cruoris congestiones ad renes aut vesicam, arthritis, inflammatio, abscessus et ulcus renum aut vesicae, immo, intuitu calculi vesicalis, frequens ac diuturnior urinae retentio spontanea concurrant aut praecesserint. Silentio quoque circa calculi vesicalis genesin minime praetermittendum erit, saepissime illum minori calculo renali, ad vesicam delato, primumque ad- et circumponendis pluribus partibus mucido-sabulosis nucleum praebenti, suam debere originem, et inde etiam facile rationem patescere, cur in meditullio calculi vesicalis ple-

plerumque distinctum quoddam concretum, pluribus ac durioribus lamellis lapideis, ceparum similitudine sibi invicem incumbentibus, cinctum, lateat, immo analogam inde rationem fieri manifestam, cur varia corpora peregrina, hac vel illa occasione vesicæ illata, in diffractis calculis ranalibus nonnunquam reperta fuerint.

§. VI.

Calculi renales, quod hoc loco cæteris necessario inserendum duco, longe sæpius in rene sinistro, quam dextro formantur; cuius phænomeni diversam scriptores rationem adducunt. BOERHAAVIVS v. g. renem dextrum, quod paullo altius, quam sinister positus sit, sub exercitatione corporis a partibus incumbentibus et vicinis magis moveri, et calculosam proinde materiam in illo non tam facile, quam in sinistro, concrescere posse, existimat *a*). FRIED. HOFFMANNVS fundamentum in minori caloris gradu, indeque nascente maiori sanguinis per renem sinistrum

a) In *Prælect. acad. ab Ill.* HALLERO *editis Vol. III. p. 288.*

niſtrum circulantis ſpiſſitudine latitare adſerit: „In rene enim dextro, *inquit a*), quia „hepatis amplo viſcere tegitur, et maiori præ „altero calore fovetur, promtior multo at„que expeditior evadit ſanguinis per huius „renis vaſa progreſſio, ſeri itidem urinoſi ſe„paratio: hinc non tam facile ſanguinis et „urinæ fieri in hoc poſſunt ſtagnationes, ac „in ſiniſtro, qui coli flexura obſeſſus, ob fre„quentem reſtagnationem magis premitur; „ex quo fit, ut liberior per vaſa compreſſa „interceptus curſus difficiliorem laticis uri„noſi per tubulos transcolationem atque „promtiorem ibi ſtagnationem et materiæ „tartareæ ſeceſſionem et concretionem red„dat atque efficiat &c.„ Alii alias cauſſas agnoſcunt, quas ſingulas tamen recenſere nolo, ſed paucis ſolummodo pronunciaſſe ſufficiat, rationem, quam IO. HENRICVS SCHVLTZIVS in *Diſſ. de Lithiaſi, ſiniſtro quam dextro reni magis infeſta*, *c*), attulit, mihi omnium videri vero ſimillimam: Culpam nempe præcipuam in venam emulgentem

a) In *Med. ſyſt. T. IV. P. II. p. 363.*

b) *Cap. III. §. 48.*

tem finiſtram reiicit, quæ nonſolum multo longior eſt, quam emulgens dextra, ſed aortam quoque ſuperſcandit; unde fit, ut ſub quavis aortæ dilatatione aliquantulum comprimatur, et cruoris itaque e rene ſiniſtro ad venam cavam regreſſus identidem retardetur.

§. VII.

Adfectus renum et veſicæ calculoſi in genere quidem ſuſpecti atque periculoſi ſunt, periculum tamen pro diverſo calculi ſitu, diverſa forma, aſperitate, applicatione &c. differt. Si calculi enim læviores ac rotundiores, commodumque in pelvi aut veſica ſitum nacti, perfecta fruuntur quiete, patienti, uti ſupra pridem (§. 2.) dictum fuit, non adeo ſingularia incommoda adferunt, et apud ſubiecta quædam, etiamſi grandiores ſint, per plures interdum annos nulla propemodum præſentiæ ſuæ indicia præbent; nec raro etiam fit, ut minores per intervalla ſatis promte et citra vehementem dolorem cum urina excludantur: Sin vero per cauſſas adæquatas e priſtino ſitu ſuo priſtinaque quiete exturbentur, pro memorata varia magnitudine, forma, aſperitate, duritie, et applicatione

tione sua variam quoque actionem hostilem exercent, ac nonsolum dolores atroces et alia iisdem connexa pathemata suscitant, sed dysuriam quoque, aut ischuriam, intra breve nonnunquam tempus funestam, vel mictum cruentum et insanabile renum aut vesicae ulcus, cui lenta postmodum, tandemque hectica, febris iungitur, producunt.

§. VIII.

Alia calculi commoti, obstruentis, irritantis, aliove modo hostiliter agentis, alia ex adverso calculi quieti, nullam meatuum urinae obstructionem nullumque dolorem provocantis, curatio est. Prior ad *emollientium, demulcentium aliorumque antispasmodicorum* usum praecipue redit, et in capite sequente de *Passione nephritica* §. 9. uberius videnda est; posterior autem *calculi resolutionem, eiectionem* et *extractionem* concernit. Circa resolutionis possibilitatem scriptores in partes abeunt, et plurimi illam simpliciter negant, pauciores eam simpliciter defendere sustinent, et nonnulli denique, via media incedentes, calculum molliorem ac fragilem, praesertim renalem, subinde naturae ac medicami-

num actione in massam pituitoso-sabulosam aut minores lapillos rursus dissolvi posse, durioris vero ac compactioris resolutionem nunquam exspectandam esse, opinantur *a)*. Sententia postrema mihi prae prioribus magis arridet, licet simul inficias ire nolim, quod in hac parte non facillimus tantum falla-ciae locus sit, sed elogia etiam, quibus celebriora quaedam medicamenta lithontriptica, tum recentius inventa, ut *aqua calcis ostrearum b)*, et *decantatissimum lithontripticum* STE-

a) Conferri hoc loco meretur IOH. HEINRICI SCHVLTZII *Dissertatio, qua Problema an dentur Medicamenta quae calculum in vesica comminuant in partem affirmativam resolvitur. Halae* 1736.

b) „Veruntamen, RICHARDVS MEAD in Libello, „cui Titulus, *Monita et Praecepta medica* p. 99. „scribit, cum in re tanti momenti nihil dissimulare, nihil celare oporteat, utilitatis publicae causa, quaedam a doctissimo Roberto „Whytt, medico Edinburgensi, experimentis „comperta commemorare iuvat. Ille enim, „cum incommodis, tum interdum etiam noxis, „celebris huius antidoti (*loquitur autem de Specifico lithontriptico* STEPHANIAE, *in Anglia tunc* „*temporis notissimo*) perpensis, omisso *sapone*, vires, quas haberet *aqua calcis*, non calce viva,

STEPHANIAE, virginis Anglicanæ *a*), U 2 tum

„ſed rite calcinatis oſtrearum aliarumque con-
„charum teſtis parata, ita ut libræ ſeptem aquæ
„teſtarum calcinatarum libræ uni affunderentur,
„experiri voluit. Res ipſi ex voto cecidit; et
„multo quidem potentius calculum ſolvere
„hunc liquorem, quam vulgarem aquam calcis,
„fragmentorum calculorum immerſionibus in
„utraque factis facile didicit. Modum deinde
„illam exhibendi oſtendit; quatuorque libras
„adultos, pueros pro ratione ætatis minus, quo-
„tidie bibere iubet. Non uno autem exemplo
„felicem medicinæ huius effectum comproba-
„vit &c. Aqua hæc, quod allegatis adhuc ad-
dendum erit, non tantum interne uſurpata mul-
tum ad calculos molliores ac fragiles diſſolven-
dos valet, ſed veſicæ etiam tepide atque iterato
iniectam calculo veſicali reſolvendo non plane
imparem eſſe, ratio non minus, quam obſerva-
tiones nonnullæ recentiores comprobant. Qui
uberiorem cæteroquin huius aquæ eiusdemque
virtutis notitiam deſiderat, ſcriptum evolvat,
quod *Dn.* WHYTT ſub titulo: *An Eſſay on the
Virtues of Lime-Water in the Cure of the Stone
by Robert Whytt M. D.* Edinburgi 1752. edi-
dit. Legi etiam poſſunt, quæ de hac aqua in
*Promtuario Hamburgenſi Tom. XIV. P. 2. p.
199 ſeqv.* expoſita ſunt.

a) Plura de famoſo hoc medicamento ſpecifico

tum diutius pridem nota, ac passim in libris medicorum descripta, ornantur, effectu vere observato persæpe multo maiora existant, quin falsis haud raro aliorum relationibus nitantur.

§. IX.

Irrito prorsus pharmacorum usu, præsente grandiori calculo vesicali, sola tantum *Lithotomia*, quoad variam administrandi methodum a plerisque chirurgiæ doctoribus et adcurate inprimis a PALVCCIO *a*) descripta, superest; præsente vero simili calculo renali, nullum amplius auxilium suppetit, sed perferendum, quod non mutandum est. Loquuntur quidem scriptorum nonnulli etiam de *Lithotomia renali*, eamque non plane impossibilem esse, opinantur: Verum enim vero, quum operatio hæc pro meo iudicio pericu-

in vix allegati SCHVLTZII et IVNCKERI Dissertationibus, de illo Halæ quondam habitis, videri possunt.

a) Vid. Eiusd. *Neue Anmerkungen über den Steinschnitt* &c. *Aus den Französischen übersezt, mit Kupfern. Leipzig, bey Fr. Lankischens Erben,* 1752.

riculosissima sit, et aptior omnino ad ægrum interficiendum, quam conservandum, commendare eam minime audeo, et ista saltim, quæ IO. ALLEN, præeunte GROENFIELDIO, de illa retulit, adducam: „Calculus „grandior, sic verba sonant a), in rene una „cum eiusdem ulcere est casus desperatus; „aliquando vero natura, dictu mirabile, ultra „spem omnem abscessum efficiens per ipsos „spinales musculos viam patefecit ad calcu„lum eiiciendum, et tandem ulcus consolida„tum fuit. Atque hinc quasi charta provo„catoria, natura monstrante viam, ad aliquid „tentandum ars nostra lacessitur. Audax, „omnia perpeti, gens humana. Operatio„nem *lithotomiæ* vesicalis omni ævo chirurgi „exercitarunt; sed de *lithotomia renali*, quod „scio, nusquam omnino audivimus ante ce„lebrem *Dominicum Marchetti Patavienfem*, „qui e rene *Confulis Hobfon* calculum se„ctione eduxit, ægrumque ad integram sa„nitatem restituit. *Tranfact. Philofoph. no.* „223. Vnam adhuc aliam Nephrotomiæ

a) In *Synopfi Med. pract. Cap. VII. art. 41. p. m. 263.*

„instantiam pari successu ex historia Gallica-
„na affert *D. Freind. Hist. Med. Vol.* 2.
„*p.* 185. Sed ut cum sagaci D. Rutty lo-
„quamur (in eleganti suo tractatu de *ducti-*
„*bus urinariis*) ex consideratione partium
„secandarum est saltem pura puta *possibilitas*,
„ut hæc operatio feliciter succedat, *proba-*
„*bilitas* vix aut ne vix quidem &c.



CAP. II.

DE PASSIONE NEPHRITICA.

§. I.

PASSIO NEPHRITICA, alias etiam *Malum nephriticum*, *Nephralgia* (a νεφρὸς, *ren* et ἀλγέω, *doleo*), itemque, quanquam generatim minus recte, *Nephritis* nuncupata, est adfectio renum dolorifica, a calculo aliisve caussis inducta.

§. II.

Dolor, qui morbi quasi essentiam constituit, et regionem lumbarem dextram aut sinistram

ſiniſtram, vel etiam, licet rariſſime, utramque occupat, modo vehementior ardens, pungens, morſicans, lacerans, modo remiſſior tenſivus, aut preſſorio-gravativus eſt, et in dicta quidem regione lumbari ſedem fixam atque primordia habet, inde nihilominus, propter nexum nervorum, membranarum &c., ad dorſi ſpinam et pubis regionem extenditur, immo altius haud raro in abdominis cavitatem penetrat; unde etiam fit, ut varia alia pathemata, magis nimirum minusve cohibita diureſis, cruris, reni dolenti ſubiecti, ſtupor, dolor inguinis, et apud viros vicini teſticuli retractio, itemque pertinax alvi obſtructio, tormina ventris colica, ructus frequentes, nauſea ac vomitus accedant. Monendum tamen erit, pro differenti cauſarum indole, modo hæc, modo illa atrociora reperiri. Nam ſtupor cruris v. g. præſente inprimis calculo, ſupervenit, et magna incrementa capit, quando calculus, præſertim grandior, e pelvi ureterem ingreſſus, anguſtumque hunc ductum valde diſtendens, ſubſtratum muſculum pſoam eiusdemque nervum violentius comprimit.

§. III.

Facile confenfualis colica nephritica cum vulgari colica idiopathica confundi poteft; quare ut circa diagnofin omnis evitetur error, fequentia notanda erunt: 1) Dolor colicus acerbiffimus, contorquens quafi, lacerans et vage lancinans eft, nephriticus vero comparative mitior, magisque prefforius deprehenditur, nec ægrotantium quoque vires tam fubito, quam ille, deiicit: 2) Dolor colicus ordinario cinguli inftar medium ventrem adfligit, et magis vagus eft, nephriticus ex adverfo, in rene affecto et lumbari regione fixus, indeque ad fpinam dorfi et adhuc magis, fecundum ureteris longitudinem, ad teftem cum femoris ftupore exporrigitur, immo ulterius defcendit, ita ut ægri in urethra et glande virili titillationis moleftæ aut puncturæ fenfum percipiant: 3) Poft alimentorum adfumtionem dolor colicus ordinario augetur, nephriticus ieiuno ventriculo magis urget, paullulumque poft paftum remittit: 4) Excretio alvina et vomitus maius levamen colico, quam nephritico dolori afferunt; 5) Vrina fub colicæ initio craffior eft, in paffione nephritica primum clara ac tenuis,

enuis, poſtea aliquid ſubſidet, et tandem
renulæ, aut lapilli, aut copioſa materia ſabu-
oſo-pituitoſa, aut ſalino-tartarea, in ſplen-
lentes moleculas in vitri fundo concreſcens,
xcernuntur *a*).

§. IV.

Præter *calculum renalem*, cuius effectus
n vix præcedente capite §. 2. et 3. fuſius
ludum deſcripſi, ad cauſſas nephralgiæ pro-
imas *ſabuloſa* pariter ac *mucido-tartarea*
nateria, quæ, diutius in renibus retenta, in
inum tandem aut plures lapides concreſcit,
eferenda venit, quando in pelvi coacerva-
ur ac vehementius per cauſſas, ſupra (cap. I.
. 2.) allegatas, commovetur, vel e renibus
d veſicam deſcendens, in uretere ſubſiſtit,
umque magis minusve obſtruit, atque di-
tendit: dolor tamen et ſymptomata reliqua,
uæ excitat, remiſſiora ſunt, quam calculo
ompacto ac grandiori inhærente, et citius
uoque remittunt, quoniam obſtruens ſaburra

U 5 pitui-

a) Conf. IO. ALLEN in *Synopſi Vniverſæ med. pract. p. 230.* It. FRID. HOFFMANNI *Med. ſyſt. T. IV. Part. II. Sect. 2. p. 362.*

pituitoso-sabulosa lotio insequente et adhuc magis iterata tunicarum pressione facilius resolvitur, ac citius itaque ex uretere in vesicam transit. Durante ureteris obstructione, urina pauca quantitate prodit, et ordinario tenuis atque aquosa est, deinde vero, reserata nimirum ureteris obstructione, crassa turbidaque redditur, et copiosas partes pituitosas, sabulo albicante aut rutilante mixtas, ad vitri fundum ac latera deponit. A sabuloso-mucida hac materia *recrementa* illa *tartareo-salina* itemque *tenerrima* ac *rutilantia sabulosa*, quae apud arthriticos, scorbuticos, hypochondriacos aut gravi rheumatismo laborantes, in urina excreta, sub forma sedimenti vel rutilantis atque tenerrime sabulosi *a)*, vel mucido-lateritii, vel micantis et subinde plane crystallini tartareo-salini, haud raro conspicua sunt, intuitu naturae et actionis parum recedunt: Id tamen adhuc notari debet, recrementa haec post secretionem largiorem et sub ulteriori descensu suo non solitarium dolorem nephriticum, sed vesicae dolore, ardore urinae, et continua propemodum stranguria stipatum, producere.

§. V.

a) Conf. ALLEN *L. c. Cap. VII. art.* 56.

§. V.

Aliam rurſus paſſionis nephriticæ cauſ-ſam *inflammatio* conſtituit, quam interdum vulgares atque communes inflammationum genitores, interdum vero, ac multo quidem frequentius, aſperiores aut commoti calculi renales, itemque adcumulata materia ſabuloſa, aut tartareo-ſalina fibrarum laceratione, aut violentiſſima ad minimum earundem irritatione provocant. Stricte hæc ſpecies *Nephritis* vocatur, et ſemper febrem continuam, quæ præcipuum eius ſignum pathognomonicum ſuppeditat, pediſſequam habet. Dolor, cui ſeſe, æque ac in plerisque ſpeciebus reliquis, ructus crebriores, vomitus biliosus, tormina colica et iliaca, retractio teſticu-; et ſtupor cruris ſubiecti iungunt, in regione lumbari continuus, valde ardens, pulſatis et interdum quoque pungens eſt. Vrina parciſſime fluit, quin, admodum aucta vaſcuorum ſtrictura et intumeſcentia, penitus haud raro ſupprimitur, et in principio atque progreſſu valde rubeſcit, deinde autem, mao ſcilicet ad ſummum provecto gradum, limpida et aquoſa redditur.

§. VI.

§. VI.

Eventum hic morbus várium, eumque nunc bonum, nunc malum, nunc plane funestum fortitur. Si inflammatio enim ante diem feptimum perfecte rurfus diffolvitur, nihil incommodi remanet; fin ultra feptimum autem diem excurrat, abceffus, quem formari horror fæpius recurrens, notabilis remiffio doloris, pulfatio fortis et gravitas ftuporque partis affectæ indicant, generatur, eodemque rupto, dolor ardens ac morficans fupervenit, et urina purulenta ac fœtida excernitur. In gangrænam denique ac fphacelum, cui mox ipfa mors fuccedit, inflammationem abiiffe, repentina doloris citra congruam cauffam ceffatio, fubitaneus virium lapfus, fudor frigidus, pulfus debilis intermittens, fingultus et urina, fi adhuc aliqua fcilicet eiusdem excretio contingat, fœtida admodum, livida, nigricans, capillofa, fufcisque ac nigris carunculis referta, teftantur.

§. VII.

Abfceffus memoratus, inflammationi nonnunquam fuccedens, confolidationem per-

perſæpe reſpuit, et in refractarium *ulcus*, quod novam rurſus doloris nephritici cauſſam ſuggerit, degenerare ſolet: Simul tamen hoc loco notandum venit, non abſceſſum duntaxat ulceri generando aptum eſſe, ſed iſtud haud raro etiam calculos aſperiores atque vehementius commotos, itemque ſupra adducta recrementa humorum cauſtica, largiſſime ad pelvim depoſita, lacerando, erodendo, ac corrodendo excitare. Dolor, præſente hac cauſſa, in regione lumbari rodens ac mordicans eſt, urina, quod præcipuum ſignum diagnoſticum exiſtit, fœtente materia caruncularisque ulceroſis, ſuperficiei plerumque innatantibus, ſcatet, et per intervalla etiam multo cruore permixta cernitur, dolores colici cum pertinaci alvi obſtipatione identidem oriuntur, tandemque tabes corporis univerſi, febre lenta ſtipata, accedit, omnemque ſanationis ſpem tollit.

§. VIII.

Ad cauſſarum denique cenſum *congeſtiones ſanguinis impetuoſiores* referendæ ſunt, quæ interdum, apud ſenilis inprimis ætatis ſubiecta, verſus renes fiunt, ibidemque vehe-

mentem

mentem vaſculorum ſanguiferorum diſtenſionem, fibrarumque nervearum preſſionem et hac mediante violentam quoque earum ſtricturam efficiunt, quando fluxus hæmorrhoidalis ſupprimitur, vel, deficiente omnimoda cruoris excretione, ſic dictæ hæmorrhoides cæcæ ſuperveniunt, et acerbiores dolores in dorſo, ventre infimo et inteſtino recto provocant. Similes cruoris regurgitationes verſus renes ſubinde etiam ſub refractaria fluxus menſtrui ſuppreſſione obſervantur; monendum tamen, dolorem nephriticum longe ſæpius congeſtiones hæmorrhoidales, quam hyſtericas, ſubſequi, nec ignorari quoque oportet, huius originis dolori nephritico perſæpe mictum cruentum, præſertim ſi tempeſtiva ſanguinis abundantis detractio neglecta fuerit, complicari.

§. IX.

Curatio paſſionis nephriticæ, propter cauſarum diſcrepantiam diverſimode inſtitui debet. Nam calculo præſente, aut coacervata duntaxat materia pituitoſo ſabuloſa, medela in principio ita maxime adornanda eſt, ut ſpasmi fibrarum ac membranarum inſolentiores

lentiores tollantur, quo calculi grandiores ad pristinam rursus quietem redire, pituita autem sabulum et lapilli minores, viis laxatis, promoveri melius atque expelli possint. Ad obtinendum igitur hunc scopum prae reliquis *emollientia, demulcentia* et *lubricantia* sese commendant, quae temperata natura unguinoso-oleosa, mucilaginea ac gelatinosa gaudent; uti ex internis v. g. sunt iuscula carnium, praesertim carnis bovinae, vitulinae ac gallinaceae, iuscula hordeacea et avenacea, cum floribus chamomillae vulgaris, radice althaeae, graminis &c. cocta, et spermate ceti, oleo amygdalarum dulc., olivarum, lini, cremore lactis, butyro nondum salito &c. potentiora reddita, itemque lac recens tepidum, serum lactis dulce, electuarium ex oleo amygdal. dulc., spermate ceti et pauxillo rhabarbari orientalis, ut et emulsiones ex aquis refrigerantibus et amygdalis dulc., sem. quatuor frigidis maioribus et minoribus, nitro dep., syrupo dialthaeae FERNELII, papaveris albi &c., decocta aquea tepide hausta ex hordeo, avena, rad. althaeae, taraxici, scorzonerae, glycyrrhizae, rasura C. C., eboris &c. Pituita valde simul abundante, pulveres

res quoque ex lap. cancrorum, nitro, tartaro solubili, spermate ceti et liquiritia egregie prosunt.

§. X.

Præter allegata antispasmodica inter ea, *externa* pariter *emollientia*, cataplasmata scilicet, fomenta, semicupia, unguenta, v. g. ungu. dialth., anodynum, et clysmaticum, linimenta ex oleis et pinguedinibus, nec non clysteres e rad. althææ, malvæ, lilior. alb., flor. meliloti, chamomillæ, sambuci, lilior. alb., sem. lini, fœni Græci &c., vel ex meris subinde oleis unguinosis, oleo lini, v. g. olivarum, amygdalarum dulc., oleo infuso chamomelino, flor. verbasci &c., in auxilium vocari poterunt. Absit tamen usus horum posteriorum diuturnus ac crebro repetitus, ne intestina tono suo nimium priventur, et inde igitur aliarum postea ægritudinum fundamenta ponantur.

§. XI.

Cessante partium affectarum strictura, quod e doloris cæterorumque symptomatum remissione patet, sabulum, pituita, et lapilli minores

minores facile quidem per ureteres in veſicam tranſeunt, indeque haud raro etiam a natura prorſus expelluntur: Attamen, quum hoc non ſemper accidat, adeoque alio tempore novi iterum inſultus nephritici metuendi ſint, *mitiora* poſtmodum, immo interdum, niſi grandioris forſan calculi ſuſpicio adſit, *fortiora pellentia diuretica* exhibere proficuum erit. Militant inter medicamenta hæc aquæ ſoteriæ minerales Spadanæ, Egranæ, Selteranæ &c., vel per ſe, vel cum lacte hauſtæ, decocta et infuſa theiformia ex rad. cichorii, taraxaci, pareiræ bravæ, ſaponariæ, pimpinellæ albæ, hba petroſelini, hederæ terreſtris, virgæ aureæ GESNERI, chamædryos nobilis, teucrii veri, theæ orientalis, flor. calcatrippæ, ſem. fœniculi, dauci, baccis juniperi, flaved. cort. citri, ligno nephritico, guaiaco &c., pulveres e rad. irid. Florent., curcumæ, aſellis pptis, coccionella, granis chermes, nitro, tartaro ſolubili, arcano tartari, regulo antimonii medicinali, ſulphure antimonii aurato &c., mixturæ concentratæ ex tinctura rhabarbari, ſuccini, benzoes, antimonii, tartari, eſſ. pimpinellæ albæ, gummi ammoniaci, ſpiritu nitri aut ſalis dulcificato,

liquore anodyno minerali &c., et mixturae denique temperatiores ex liquore terrae foliatae tartari vinoſo, aut ſolutione florum ſalis ammoniaci aquoſa et extr. angelicae, card. benedicti, trifolii fibrini, chamomillae vulg. &c., quibus, ſi utile tutumque viſum fuerit, praedictae tincturae ac ſpiritus nunc maiori, nunc minori quantitate addi poterunt. Iterum caeteroquin iterumque circa pharmaca memorata monendum venit, uſum eorum ſolummodo, lapillis minoribus, ſabulo, materia pituitoſa, aut ſalino-tartarea praeſentibus, locum invenire, grandiori autem calculo inhaerente, vel nihil amplius, ne turbae vix ſedatae revertantur, ſuſcipiendum, vel ea tantum in uſum trahenda eſſe, quae calculum iam compactum ſenſim diſſolvere creduntur.

§. XII.

Quemadmodum emollientia, lubricantia ac demulcentia ſub nephritidis calculoſae, ſabuloſae, et huic quoddammodo analogae ſcorbuticae, rheumaticae, arthriticae &c. curatione primariis indicationibus praecipue ſatisfaciunt, ſic maximum auxilium in nephritide ſtricte ſic dicta ſeu inflammatoria a *venaeſe-*

ctione

ctione et *temperantibus*, *leniterque discutientibus antifebrilibus* exspectandum est. Phlebotomia in brachio institui et interdum quoque, si inflammatio scilicet gravior ac refractaria existat, semel aut bis reiterari debet. Ex antorgasticorum &c. classibus singula quidem huc pertinent, quae in reliquis febribus inflammatoriis prosunt, prae multis nihilominus decocta avenacea et hordeacea cum rasura C. C. aut eboris et radicibus althaeae, scorzonerae, graminis arvensis &c., nec minus serum lactis dulce et acidulum, emulsiones ex aqua endiviae, lactucae, flor. acaciae, boraginis, nymphaeae, amygdalis dulc., sem. quatuor frig. mai. et minoribus, papaveris albi, et nitro dep. sese commendant. Externe discutiendi scopo laudatur camphora, et in principio pariter clysmata, epithemata et cataplasmata emollientia conducunt. Si inflammatio, quod adhuc addendum censeo, in abscessum abeat, facta ruptura, tempestive *mundificantia* et *vulneraria interna* adhibenda sunt, ne ulcus sordidum, difficillime iterum sanabile, inde generetur.

§. XIII.

Multa e vix commendatis remediis, maxime autem *venæſectio in pede* et *temperantia aquea*, *nitroſa* atque *acidula* interna, magnopere etiam in dolore nephritico, a vehementi congeſtione hæmorrhoidali oriundo, prodeſſe conſueverunt, nec contemnendam pariter opem *pediluvia*, *clyſteres mere emollientes*, *ſacculi huius cenſus*, cum lacte cocti et ano ſuppoſiti, itemque *hirudines*, prominentibus venarum nodis adplicatæ, ferunt. Quod reliqua autem emollientia, quæ regioni lumbari adplicari ſolent, attinet, illa in principio ſaltem et ſub maximo doloris ſpasmodici vigore locum inveniunt, deinde vero ab ulteriori eorum uſu abſtinendum erit, ne fibris renalibus nimia inducatur relaxatio, et cruor itaque maiori impetu ad partes debilitatas ruat.

§. XIV.

Ad ulcus ſanandum a ſcriptoribus multa quidem ac varia laudantur, aſt dolendum, quod effectus eorum, præſertim ſi ulcus aliquamdiu perduraverit, et lenta pridem febris illi iuncta ſit, rariſſime voto ac ſpei reſpondeant.

deant. Quicquid interea ſit, medicus officio ſuo perfungi, et congrua pharmaca *demulcentia, mundificantia* ac *conſolidantia* ægro præſcribere tenetur. Spectant ad illa, præter lac aſininum et vaccinum, ſerum lactis, hydromeli, aliaque demulcentia, dudum recenſita, decocta ex rad. glycyrrhizæ, althææ, leviſtici, angelicæ, gentianæ rubræ, caryophyllatæ, anchuſæ, hb. meliſſæ citr., agrimoniæ, chamædryos nob., betonicæ, alchimillæ, flor. millefolii, hyperici, virgæ aureæ, ſem. lini, ſantonico, dactylis, iuiubis, caricis pinguibus &c., electuaria ex melle roſarum ſyrupo dialthææ et de ſymphyto FERNELII, extr. cent. minor., card. bened., ſcordii, chamomillæ vulg., angelicæ, myrrha genuina, balſamo Peruv., croco orientali &c., et pilulæ ex terebinthina lota non minus, quam liquida recenti, aloe roſata aut violata, gummi galbano dep., extractis vix memoratis, balſamo Peruviano, Tolutano et de Copaiva, myrrha genuina, pulvere croci orient., granorum chermes &c. Hiſce nonnulli rhabarbarum, parva doſi, aſt ſæpiſſime, adſumtum, itemque radicem pareiræ bravæ in decocto aquoſo, aut pulvere uſurpandam, ad-

 dunt,

dunt, eademque in renum atque veſicæ ulceribus ſpecifica eſſe affirmant, immo alii aquam calcis, tum vulgaris, tum calcis oſtrearum aliarumque concharum, nec minus æthiopem mineralem et tincturam antiphthiſicam GRAMMANNI valde deprædicant. Aquam calcis vivæ ſubinde exſiccandi fine admitto, æthiopis mineralis vero ut et tincturæ antiphthiſicæ uſum ſuadere nequeo, quoniam prior nunquam ad ſanguinem ac renes penetrat, et poſterior forti fibrarum conſtrictione neceſſariam materiæ ulceroſæ excretionem facile impedit.



CAP. III.

DE ISCHVRIA ET DYSVRIA.

§. I.

DYSVRIA (ex δὺς difficile et ȣ̓ρον, *urina*) et ISCHVRIA (a ἴχω *cohibeo* et ȣ̓ρον,) gradu duntaxat ab invicem differunt: Hæc quippe ſuppreſſionem urinæ omnimodam,

dam, ita ut ne guttula quidem effluere possit; illa vero imminutam saltim, difficilem et plerumque dolorosam eius excretionem denotat.

§. II.

Multa igitur dysuria cum *stranguria* communia habet, et facile adfectus uterque ab incautis, si ad nota differentiae criteria debite respicere negligant, confunditur: Sunt autem haec criteria sequentia: 1) In stranguria urina guttatim, in dysuria autem, si fluat per intervalla, sine interruptione et maiori, quin iusta interdum quantitate, excernitur, 2) in dysuria dolor ardens ac morsicans solummodo inter mingendum, in stranguria post mictionem sentitur, et inter mingendum tantummodo frigus quoddam in urethra percipitur.

§. III.

Ischuria ordinario a practicis in *veram* sive legitimam et *notham* sive spuriam distinguitur. Vera audit, quando plenaria urinae suppressio, vesica plena existente, supervenit; notha ex adverso nuncupatur, quae, vacua vesica et renibus tantum aut ureteribus obstructis, accidit. Vera ex pondere atque dolore tensivo in hypogastrio, nec minus ex

continuo mingendi desiderio magnoque, quanquam irrito, conatu, et conspicuo insuper in regione pubis tumore, quem vesica turgida producit, cognoscitur; spuriam contra adesse, non tantum ponderis, tensionis atque tumoris in loco memorato absentia, sed perceptibilis quoque vesicæ vacuitas testantur. Aeger præterea nullum in hac posteriori mingendi desiderium, nullamque vesicæ irritationem sentit, et nihil quoque inde effluit, quando catheter, cui liberior plerumque aditus patet, per urethram immittitur.

§. IV.

Caussa obstructionis in ischuria non minus, quam dysuria, vel in ipsis viis urinariis, nunc scilicet in renibus aut ureteribus, nunc in vesica, nunc in urethra, latet, vel in alia quadam parte vicina, intestinis v. g., utero &c., quærenda est, et in genere ad *obturationem viarum* sive obstructionem proprie tatem, ab inhærente corpore peregrino ortam, vel ad *constrictionem earundem spasmodicam*, vel *compressionem*, vel *collabescentiam* aut *concretionem*, vel *atoniam*, quin ipsam haud raro *paralysin* redit.

§. V.

§. V.

Inter cauſſas obſtruentes primæ claſſis *calculi*, pelvi, vel ureteribus, vel veſicæ, vel urethræ inhærentes, principem locum occupant. Notari tamen debet, calculos, infundibulo pelvis aut ureteribus impactos, ſolummodo iſchuriam ſpuriam producere; omnimodam ex adverſo urinæ ſuppreſſionem ſive iſchuriam veram ſequi, quando calculus, circa collum veſicæ ſtabulans, eiusdem orificio adplicatur, aut, propter magnitudinem ſuam atque aſperitatem, in urethræ anguſtiis retinetur. Vltima hæc incarceratio frequentius apud nobilioris, quam ſequioris ſexus ſubiecta accidit, quoniam in urethra muliebri una tantum, in virili autem tres anguſtiæ notabiliores occurrunt; facilius tamen apud viros, quam fœminas, canali urinario impactus, detegitur, dum mentulæ contrectatione præternaturalis urethræ diſtenſio, et præcipua torturæ calculoſæ ſedes explorari poſſunt.

§. VI.

Obturationem meatuum urinariorum alio tempore *materia ſabuloſo-pituitoſa*, circa collum et orificium veſicæ coacervata,

 præſtat.

præſtat. Pituita hæc, arenulis ſociata, plerumque naturalis eſt: Dum calculus enim aut ſabulum veſicæ tunicas graviter irritat, mucus, qui ex parvis glandulis excernitur, et parietes internos contra urinæ acrimoniam defendit, ſenſim abſtergitur, vel rectius, ſpasmorum vehementia violenter excutitur, et cum ſabuloſa materia poſtmodum miſcetur. Negari cæteroquin nequit, ſubinde, præſente nimirum ſpiſſitudine ac mucida humorum dyſcraſia, multum quoque pituitæ cum urina in renibus ſecerni, et poſt deſcenſum ſuum in veſicam obſtruentis materiæ molem augere, immo, ſi copioſior, tenacior et acrior fuerit, ſolam quandoque obſtructionis cauſſam materialem conſtituere; uti hoc apud arthriticos, hæmorrhoidarios aliosque obſervare licet. Pituitoſa hæc ſaburra interdum tam craſſa, tam tenax ac glutinoſa eſt, ut in filamenta concreſcat, et pertinaciſſimam orificii veſicae et urethrae obſtructionem concitet *a*).

§. VII.

a) Conf. ZAC. LVSITANVS *Cent. II. Prax. admirand. Obſ. 64.* It. TH. BARTHOLINVS *in Act. H.fn. Vol. V. Hiſt. 2.*

§. VII.

Ad censum causarum, inhaesione sua aut incongrua applicatione naturales lotii canales obstruentium, etiam *grumi sanguinis*, *copiosa ac crassa materia ulcerosa*, nec minus *excrescentiæ scirrhosæ* aut *fungoso-carneæ circa collum vesicæ b*), et *carunculæ*, *in ipsa urethra*

a) FABR. HILDANVS apud virum 80. annorum, post multas tandem ac varias corporis ærumnas extinctum, in vesica *excrescentiam scirrhosam*, magnitudine ovum gallinaceum, duasque uncias pondere æquantem, et ante ipsum collum pertinaciter adhærescentem, invenit. *Cent. II. Obs. 65.* FRANCISCVS *de le* BOE SYLVIVS Amstelodami apud fœminam, fluxus menstrui et urinæ suppressione simul laborantem, tandemque pariter mortuam, *carnem*, ex vesicæ fundo per ipsam urethram excrescentem, eamque obturantem, vidit. *Oper. med. Lib. I. cap. 57. p. 246.* Et TH. BARTHOLINVS denique bina *tubercula scirrhosa*, forma et magnitudine testium, in vesica circa orificium sibi opposita, observavit. Hæc, syringa immissa, cedebant quidem, ast, ea extracta, rursus in pristinum locum revolvebantur, et foramen vesicæ obtegebant. Vid. *Cent. II. Hist. 52.*

urethra natæ, referri merentur; quae causae tamen difficile deteguntur, nisi medicus ad praegressa, ad mictum nempe cruentum, frequentem ac vehementem dolorem renum aut vesicae, a calculo aut acri humore ortum, excretionem materiae ulcerosae cum urina, gonorrhoeam virulentam, intempestive per styptica cohibitam aut inveteratam, aliosque adfectus genitalium venereos probe attendat.

§. VIII.

Altera ischuriae et dysuriae causa primaria atque generica, *spasmus* nempe *gravior*, vel in renibus, vel ureteribus, vel vesica nascitur. Si in vesica sedem habet, nunquam fundum in morbis hisce, sed semper collum et spincterem adfligit: Fundo enim spasmodice adfecto, urinae excretio non imminuitur, sed impetuosior potius, quin magis magisque debilitato sphinctere renitente, involuntaria evadit; sphinctere autem spasmo laborante, foramen vesicae arcte constringitur, et exitus lotio prementi denegatur.

§. IX.

Memorata adfectio spasmodica, sive renes et ureteres, sive vesicam corripiat, variis

rursum

rurſum cauſis, nunc ſcilicet *materiæ ſalinæ acri, rodenti, pungenti, aliove modo irritanti*, nunc *inflammationi*, nunc *exulcerationi*, nunc, quanquam rariſſime, *vermibus* ortum debet. Materia irritans ſalina vel ex ſanguine in renibus aut veſica ſecernitur, et urinae miſcetur, vel in veſica demum generatur. Prius, uti in praecedente dudum capite dixi, apud ſubiecta ſcorbutica, arthritica et venerea ſatis ſolenne eſt, et ſubinde etiam accidit, quando exhalatio cutanea, poſt praegreſſum inprimis vehementem aeris calorem aeſtivum, ſubito imminuitur, et acriores igitur humorum quisquiliæ ad interiora repelluntur, vel faeculenta etiam ac fermentantia potulenta, fructus horaei, praeſertim immaturi, aliaque alimenta ac condimenta acida, ſalſa &c. largius adſumta fuerunt; poſterius vero fieri obſervamus, quoties urina varias ob cauſas iuſto diutius in veſica retinetur, et adhuc magis, ſi aliqua urinae portio, poſt imperfectam emiſſionem relicta, longiores in veſica moras nectere cogitur. Minime praeterea hoc loco praetermittendum erit ſilentio, hoſtilem materiam irritantem non ſemper in ipſa urinae receptacula atque meatus deponi, lotio-

que

que miſceri, ſed in ſolis ſubinde vaſculis ſanguiferis et lymphaticis, tunicas &c. perreptantibus, ſubſiſtere. Saepius eiusmodi decubitus apud homines, ſcorbuto, arthritide, ſcabie, lue venerea, variolis, morbillis, purpura, quin graviori rheumatiſmo laborantes, obſervatur, quando impuritas acrior, iam ad peripheriam corporis, vel loca tamen peripheriae proxima, ſalutariter delata, retropellitur, vel ſponte etiam ad interiora remeat, et renes, ureteres, aut collum veſicae obſidet.

§. X.

De inflammatione et exulceratione renum, qui affectus in antecedente pridem capite expoſiti fuerunt, ſpecialia rurſus afferre ſuperſedeo: Quod veſicæ autem inflammationem et exulcerationem attinet, de illis pauca hoc loco ſubiungam. Inflammatio, cuius praeſentia partim ex complicata febre, caeteriſque conſuetis inflammationum ſymptomatibus, partim ex ardore et tumore infra perinaeum et ſupra pectinem ac pubem, cui frequens deſidendi deſiderium et valde dolorifica, parciſſima et ſaltim guttatim fiens urinae

urinae excretio iuncta reperiuntur, cognoscenda est, saepe a sanguinis circulantis vitio oritur, ac saepe pariter imprudentem calculi sectionem, improvidam ac violentam catheteris intrusionem, nec minus contusiones et ictus pubis aut perinaei et laesiones colli atque spincteris graviores sub sectione fistulae ani, sub partu difficili &c. sequitur. Exulceratio interdum inflammationi, in suppurationem abeunti, succedit, interdum vero calculi asperiores, pulvis cantharidum et alia adsumta caustica illam producunt, immo ulcus prostatarum venereum saepissime, si ob diuturnitatem altiores egerit radices, aut male tractatum fuerit, ad ipsam serpit vesicam et interiorem et exteriorem colli superficiem tandem penitus depascit.

§. XI.

Praesente vesicae ulcere, urina, quae identidem excernitur, ulcerosa quidem materia, vel hac et simul sanguine permixta cernitur: Attamen, quum tale quid etiam sub renum exulceratione contingat, nec inde igitur locus specialis certo pateat, sequentia adhuc notanda veniunt. Si 1) pus exit, ante-

antequam ipsa urina fluat, et dolor praeterea circa collum vesicae, vel in ipsa urethra est, ulcus quoque collum vesicae aut urethram obsidet; sin dolor vero 2) in perinaeo aut pube tyrannidem suam exercet, et ulcerosa materia, pauco saltim lotio permixta, eaque cruda parumque cocta, variegata, valde graveolens, minori quantitate egreditur, ulcus in vesica latet, et quoties denique 3) dolor fixus regionem lumbarem vexat, et materia alba, laevis, vel inodora prorsus, vel magis minusve foetens, lotio, quod lacti ideo haud dissimile prodit, permixta, copiosius emittitur, fundumque post temporariam quietem petit, ruptum abscessum vel ulcus in renibus esse, cognoscitur *a*). Hisce addendum quoque erit, lotium quandoque copiosam ac crassam materiam furfuraceam secum educere, indeque evadere manifestum, vesicam non simplici laborare ulcere, sed totam superficiem internam, vel maximam tamen eius partem, scabie affectam esse *a*).

§. XII.

Praeter caussas spasmi, ipsis organis urinariis inhaerentes, istae pariter annotationem ali-

a) Conf. RIVERIUS *in Prax. med. Lib.* 14. *cap.* 5.

aliquam merentur, quæ has partes solummomodo extrinsecus, aut saltim consensualiter adficiunt; cuius census v. g. sunt *sanguis*, quacunque de causa in abdominis cavitatem effusus, *aqua*, apud hydropicos extravasata ac mora diuturniori valde acris reddita, itemque *materia saniosa* aut *purulenta*, ex ruptis viscerum cæterarumque abdominis partium abscessibus aut ulceribus promanans, *ulcus* et *inflammatio intestini recti a*), aut *cervicis uteri* apud fœminas, nec minus *impuritas acris*, aut *vermiculi, in intestino recto circa anum hospitantes*, *læsiones externæ graviores perinæi, pubis* et *lumborum*, *dysenteria*, *colica vehementior*, et atrociora ac valde dolorifica *molimina hæmorrhoidalia*. Postrema hæc causa, quæ pertinacem sanguinis viscidi in vasis hæmorrhoidalibus stagnationem, adcumulationem, ac violentam per vasa connexa ad vesicam congestionem supponit, creberrime inprimis apud viros, in senio pridem, aut ætate senili proxima constitutos, largis olim hæmorrhagiis

a) Vid. FRID. HOFFMANNI *Med. Systemat.* L. c. p. 402. §. 11.

giis et frequenti venæſectioni adſuefactos, annotatur, et maiori omnino præ multis aliis conſideratione digna exiſtit. Occaſionem geneſi eius diæta lauta, atque vinoſa, vita ſedentaria, exceſſus venerei, neglecta phlebotomia et varia animi pathemata largiuntur. Creſcit in dies, niſi provida ac tempeſtiva feratur medela, et dum atrocius ſævire incipit, præter refractariam dyſuriam et urinæ ardorem, vehementes dolores colici et cardialgici, multaque ſymptomata alia, hypochondriacis ſimillima, oriuntur, quæ habitum corporis ſenſim extenuant, vires conſumunt, tandemque ægrum vita ſpoliant *a*).

§. XIII.

Tertiam iſchuriæ ac dyſuriæ cauſſam genericam, ad *viarum* ſcilicet *compreſſionem* maxime redeuntem, *ureterum*, *colli veſicæ*, *urethræ*, quin *totius* apud viros *mentulæ inflammatio*, nec minus *tumor proſtatarum*, præſertim venereus, *præternaturalis excreſcentia capitis gallinaginis*, *ſteatomata*, *aliaque* du- ra

a) Conf. IO. IUNCKERI *Diſſ. de Dyſuria ſenili, ex motibus hæmorrhoidalibus oriunda.*

ra tubercula, circa collum veſicæ, inter veſicam et inteſtinum rectum, vel apud fœminas inter vaginam uteri et inteſtinum rectum nata *a*), itemque *ſcirrhoſitas ureterum*, et *vaſorum ſanguiferorum in ureteribus* aut *collo veſicæ obſtructio* et *varicoſa intumeſcentia* producunt, immo, iisdem interdum quoque *excrementa alvina*, valde in inteſtino recto coacervata et indurata, *pondus molesque uteri* apud gravidas, et *colli b*) aut *alterius par-*

 tis

a) Vid. IO. HEINR. SCHVLTZII *Diſſ. de Excretione urinæ imminuta et ſuppreſſa* §. 16. et 18.

b) „Inflexa, FEL. PLATERVS *Prax. med.* T. I. „*p.* 442. *ſcribit*, ſeu contorta veſicæ cervice, „ſic ut in inteſtinorum convolvulo accidere diximus, urinam penitus ſuppreſſam fuiſſe in „piſcatore obſervavimus, cui veſica, facta ruptura in inguine, in ſcrotum deſcenderat, ubi admodum diſtenta latebat, nec urinam, vel catħetere immiſſo, reddere potuit, donec chirurgus, inſcius veſicam eſſe, dum ſectionem „tentat, veſica vulnerata urinam profudit, ægroque ſtatim levamen, ſed ſummum periculum „peperit, a quo tamen liberatus, fiſtula illic relicta, per eam urinam, quando vult, extracto „pittacio, quo eam alioquin retinere et foramen „occludere ſolet, emittit &c.

tis a) *vesicæ*, hernia inguinali aut scrotali præsente, *singularis incarceratio* accensenda veniunt.

§. XIV.

Concretio aut *Collabescentia urethræ*, quæ ad notabiles pariter ischuriæ et dysuriæ caussas proximas pertinent, paullo rarioris observationis sunt, et prior plerumque apud infantes recens natos, nec minus apud adultos, qui venereis aliisque refractariis urethræ ulceribus, diu perseverantibus, late serpentibus ac male insuper tractatis, laborarunt, obvia reperitur; posterior autem senibus maxime familiaris est, et ordinario nascitur, quando tunica urethræ interior, ob partium solidarum robur magis in dies magisque decrescens, aut propter quamcunque caussam aliam, valde relaxatur, vel mucus naturalis, qui urethræ parietes obducere, defendere, et collabescentiam impedire debet, nimium abstergitur, aut propter cohibitam se- et excretionem plane deficit: „ Summa enim, BOER-

a) Conferri hic possunt, quæ PLATNERVS in *Inst, chirurg*, §. *793. et 850*. de *Cystocele* retulit.

„BOERHAVIVS *inquit a*), eſt neceſſitas „iſtius muci, ne in dormiente homine, vel „diutius urinam continente, parietes meatus „urinarii collabantur.

§. XV.

Vltimum tandem locum inter magis minusve cohibitæ diureſis cauſſas proximiores *atonia* et *perfecta* aut *imperfecta paralyſis fundi ac corporis veſicæ* obtinent, dum, hac vel illa præſente, tunica muſcularis, lotio exprimendo dicata, ſuo amplius munere vel omnino non, vel minus ſufficienter perfungi poteſt. Valide igitur ſphincter conſtringitur, moles urinæ ſenſim augetur, veſica ulterius diſtenditur, et mediante violenta hac diſtenſione magis magisque debilitatur; unde haud mirandum, quod fundus mirifice expanſus ſuo interdum pondere ſupra collum veſicæ devolvatur, ibidemque, uti IO. HEINR. SCHVLTZIVS in antea allegata *Diſſertatione* §. 23. loquitur, eodem fere modo, quo ſeſe inteſtina ſæpius ſuſcipiunt, intra ſe recipiat;

 piat;

a) In *Prælect. acad. ab ill.* HALLERO *editis Vol. III. p. 275. Not. a.*

piat; deinde premendo ſtrangulet partem intus ſuſceptam, cohibitoque libero humorum progreſſu, ſtaſin ſanguinis, inflammationem, gangraenam, mortem inducat.

§. XVI.

Quamvis haec iſchuriae ac dyſuriae ſpecies, a ſola nimirum veſicae atonia oriunda, ſenili aetati quaſi propria exiſtat *a*), apud iuniora nihilominus ſubiecta cacochymica *b*), ſcorbutica, cachectica, aliaque ſeſe quandoque offert, ſi adaequatae praeceſſerint cauſſae procatarcticae, quarum praecipuae ſunt ſpasmi inſolentiores et frequentiores, a calculo, ſabulo aut alia materia irritante ac lacerante excitati, congeſtiones ſanguinis haemorrhoidales ac menſtruae impetuoſiores, abuſus diureticorum, partus difficilis, iuſto diuturnior urinae adcumulatae retentio, et graves perinaei ac pubis contuſiones. Quod perfectum vero aut imperfectum veſicae ſtatum paralyticum attinet, de illo maxime cogitandum erit, quando

a) Conf. RIVERIUS *Prax. med. Lib. 14. cap. 8.* it. BOERHAAVE *Lib. cit. p. 315.*

b) V. IO. HEIN. SCHULTZII *Diſſ. cit. §. 22.*

quando iſchuria aut dyſuria inveteratæ epilepſiæ, apoplexiæ, luxationi aut fracturæ ſpinarum lumbarium, ſimilibusque dorſi et maxime oſſis ſacri læſionibus ſupervenit, aut protinus iungitur. Veſicæ autem atoniam aut adfectionem paralyticam urinæ recentioni cauſſam largiri primariam, ex ingenti inprimis veſicæ repletione et expanſione, eidemque iuncto valde debili, vel deficiente prorſus mingendi ſtimulo cognoſcere licet. Vrina præterea, quando orificium cathetere referatur, non proſilit cum impetu, ſed lentius, niſi regio pubis manibus comprimatur, per urethram effluit.

§. XVII.

Prognoſis, pro differenti ſuppreſſionis gradu atque duratione, pro diſcrepante cauſſæ obſtruentis genio, et diverſa ſymptomatum atrocitate, magnopere variat. Deteriorem enim ac ſæpe funeſtum eventum iſchuria ac dyſuria portendunt, quando calculi grandiores, duriores, aſperiores, pelvi, ureteribus, orificio veſicæ et urethræ anguſtiis impacti ſunt, aut inflammatio gravior, exulceratio, ſteatomata aliaque dura tubercula,

 ex-

excrefcentiæ fcirrhofæ et fungofo-carneæ circa collum veficæ, nec minus paralyfis aut infignior etiam inveterata veficæ atonia, fingularis veficæ incarceratio herniofa, læfiones fpinæ dorfalis graviores et luxatio vertebrarum lumbarium imperfecta (perfecta enim, dum absque fractura fieri nequit, abfolute lethalis eft) præcipuam obftructionis cauffam fuggerunt. Paullo mitius ex adverfo augurium locum habet, quoties fabulofa faltem aut pituitofa materia, grumi fanguinis, congeftiones fanguinis hæmorrhoidales aut menftruæ, levior atonia veficæ &c., tumor proftatarum venereus eiusdemque originis carunculæ in urethra, excrementa alvina indurata, fpasmi, a materia acri, circa anum ftabulante, et fimilia imminutionem aut plenariam urinæ fuppreffionem producunt. Cavendum tamen, ne dicta absque limitatione accipiantur: Haud raro enim accidit, ut cauffarum memoratarum nonnullæ, etiamfi primo intuitu præcedentibus videantur leviores, vel etiam revera exiftant, fubito augeantur, inque deterius ruant, et morbus itaque funeftum quoque exitum fortiatur.

§. XVIII.

§. XVIII.

Omnimoda lotii ſuppreſſio vulgo poſt diem ſeptimum certiſſime mortem adferre creditur *a*): Attamen, terminum hunc nec abſolutum plane nec univerſalem eſſe, obſervationes docent. Quandoquidem paſſim in ſcriptis medicorum exempla occurrunt, quæ iſchuriam absque patientis interitu diutius et quidem ad diem usque decimum, undecimum, duodecimum, immo decimum quintum perſeveraſſe, et tunc demum feliciter curatam eſſe, teſtantur *b*). Ire interim infitias nequeo, caſus hoſce ad rariores pertinere, et ægros, pertinaci iſchuria laborantes, plerumque, adveniente aut præterlapſo die ſeptimo, extingui. Symptomata, quæ continuæ plurium dierum iſchuriæ ſuperveniunt, ſunt torpor inſignis et hebetudo ſenſuum, remiſſio aliqua doloris, ſomnolentia, odor urinoſus ſudoris et halitus oris, inundationes per inſomnia et pulſus auctus. Senſim ſenſimque hæc ipſa, præſertim torpor ſenſuum

 ac

a) V. RIVERIVS *l. c. p. m.* 245.

b) Conf. BOERHAAVII *Prælect. acad. cum Notis* HALLERI *Vol. III. p.* 287.

ac somnolentia, si omnis irrita fuerit medicatio, increscunt, donec tandem convulsio, lethargus, apoplexia, vitæ finem imponant. Post mortem ventriculi cerebri ordinario liquore, urinæ per omnia simili, repleti inveniuntur; manifesto documento, copiosa salia acria lixivioso-urinosa, quibus sanguis non amplius liberari potuit, largius deferri ad cerebrum, idemque adeo corrumpere, ut tandem lethalis apoplexia necessario succedere debeat.

§. XIX.

Quanquam, habita nimirum speciali caussarum ratione, curatio ischuriæ et dysuriæ diversissima non minus, quam diffusissima existat, arctioribus nihilosecius cancellis hoc loco includi poterit, quoniam in præcedente capite, propter ætiologiam quoad multa simillimam, potissimam pridem partem exposita fuit. Silentio igitur medendi methodum prætermitto, quæ, præsente calculo, aut materia sabuloso-pituitosa, aut inflammatione, aut renum exulceratione, aut congestione hæmorrhoidali &c., observanda est, et istam tantummodo breviter tradam, quam medicus,

cus, præſentibus reliquis cauſſis, antea recenſitis, ſequi debet. Potiores ſunt atonia, paralyſis et exulceratio veſicæ: Si atonia aut ipſa paralyſis veſicæ primario adcuſanda venit, urina catheteris intruſione primum educenda, et deinde *roborantia nervina, ſubadſtringentia* ac *moderate irritantia* in uſum trahenda ſunt. Ex internis tinctura rhabarbari, ſuccini, tartari, antimonii, metallorum, eſſentia pimpinellæ albæ, trifolii fibr., et millefolii, quibus tinctura martis helleborata aliaque quantitate modica addi poteſt, ſeſe magnopere commendant, et multum quoque proſunt electuaria ex rob iuniperi, ſyrupo flor. perſicorum, maſtichino, extracto ligni Guaiaci aquoſo, cardui benedicti, pimpinellæ albæ, pulvere rad. ari, poeoniæ, rhabarbari, granorum chermes, cochinillæ, caſcarilla, cinnamomo, cort. Peruviano, flor. benzoinis, croco orientali, ſulphure antimonii aurato tertiæ præc., regulo antimonii medicinali, croco martis aperitivo STAHLII &c., nec minus pilulæ ex maſſa pilular. de terebinthina, balſamo Peruviano, Tolutano, de Copaiva &c., ut et decocta et infuſa, tam aquoſa, quam vinoſa, ex rad. diptamni albi, pimpinellæ

nellæ alb., caryophyllatæ, anchuſæ, viſco querno, hb. meliſſæ citr., mari veri, veronicæ, chamæpytios, flor. rorismarini, ſalviæ, liliorum convallium, ligno lentiſci, nephritico, flavedine cort. citri, cinnamomo, canella alba, ſem. fœniculi, baccis iuniperi, lauri, cardamomo et ſimilibus.

§. XX.

Internis hiſce per congrua externa ſuccurrendum eſt. Laudantur prae reliquis clyſteres, ex nervinis ac ſtimulantibus, v. g. rad. angelicae, imperatoriae, gent. rubr., hb. menthae, abrotani, matricariae, hyſſopi, ſerpilli, thymi, maioranae, flor. chamomillae Rom., ſalviae, baccis lauri, ſem. apii paluſtris, nigellae Rom., carvi, rutae &c. cum vino parati, et, poſt coctionem, ac percolationem ſaliumque ſtimulantium additionem aliquot guttulis olei deſt. iuniperi, carvi, citri Italici, et pauxillo terebinthinae remixti, nec non linimenta et epithemata humida ex aqua ſclopetaria, ſpiritu matricali, aqua Anhaltina, apoplectica, arthritica, cephalica imp., maſtichina, balſamo vitae, ſpiritu formicarum, ſalis ammoniaci vinoſo &c., itemque ſacculi

vinoſi

vinosi ex herbis aliisque speciebus balsamicis, ut et unguentum santalinum, nervinum, emplastrum de crusta panis, de baccis lauri &c. Recensita remedia nunc regioni pubis aut perinaei, nunc etiam, si gravior vertebrarum lumbarium laesio huic malo ansam dederit, spinae dorsali imponuntur aut illinuntur. ETTMVLLERVS a) aliique in hac ischuriae ac dysuriae specie etiam cataplasmata ex cepa et parietaria, nec minus suppositoria acria et semicupia ex nervinis commendant, quae sua quoque laude haudquaquam defraudanda sunt.

§. XXI.

Oborto abscessu vel aperto pridem vesicae ulcere, non tantum singula remedia interna, quae in antecedentibus contra renum exulcerationem commendata fuerunt, conveniunt, sed multum quoque ad sanationem felicius promovendam sacculi valent ex mentha, melissa, fol. myrti, lauri, flor. rosarum, chamomillae vulg. et Rom., in vino rubro decocti et regioni pubis adplicati. Ne interdum

a) *In Oper. p. 382.*

terdum quoque, inflammatione veſicae praegreſſa et abſceſſu nondum rupto, incluſa materia purulenta mora longiori ulceroſam acredinem ſortiatur, tempeſtive lac tepidum, cum ſpeciebus emollientibus coctum, iniiciendum eſt, ut abſceſſus, cuius formatio ex ſymptomatum exacerbatione et ſenſu quaſi ponderis in perinaei ac pubis regione *a*) cognoſcitur, citius aperiatur, et effuſa materia mature e veſica educatur. Eadem remedia, etiam proficua reperiuntur, quoties grumi ſanguinis, poſt mictum cruentum in veſica relicti, exitum urinae praecludunt, praeſertim ſi iniiciendo decocto emollienti mel roſarum, ſyrupus dialthaeae, aut parum terebinthinae, cum vitello ovi probe ſubactae, addantur.

§. XXII.

Reliquae iſchuriae ac dyſuriae ſpecies, a proſtatarum ſcilicet aut capitis gallinaginis intumeſcentia praeternaturali, tuberculis ſcirrhoſis, excreſcentiis fungoſo-carneis, in veſica natis aut urethra, concretione aut collabeſcentia

a) Conf. FRID. HOFFMANNI *Med. Syſt. T. IV. p.* 410.

bescentia viarum, incarceratione colli vesicae herniosa, excrementis alvi induratis &c. oriundae, aeque, ac calculus vesicae, saepius auxilia chirurgica, quam pure medica, adeoque magis externa, quam interna, remedia, *cataplasmata* v. g., *epithemata*, *unguenta* et *emplastra* emollientia, resolventia, discutientia, roborantia, vel *iniectiones* cathaereticas, abstergentes, purificantes et travmaticas, vel *clysteres* lubricantes, aliaque, ut et ipsas haud raro *operationes manuales* et *instrumentales* ad sui curationem postulant; quare specialem quoque earum medendi methodum uberius hoc loco recensere nolo, sed sciendi cupidos partim ad scripta chirurgorum, partim etiam ad alia huius opusculi capita, in quibus adfectuum memoratorum quamplurimi iterum occurrunt, ablego. Nec opus quoque videtur, ut prolixam dysuriae, apud gravidas ultimis mensibus nonnunquam obviae, curationem tradam, quum sola ferme *fascia lata* ac *mollis*, abdomine laxe adplicata, molemque uteri, nimium vesicae collo incumbentem, blande attollens, paullulumque sustentans, verum remedium praedicari possit.

CAP.



CAP. IV.

DE DIABETE ET INCONTINENTIA VRINAE.

§. I.

DIABETES (a διαβαίνω, *pervado*), alias etiam *Hydrops ad matulam*, nec minus, quanquam admodum improprie, *Cæliaca nephritica* aut *urinalis* dictus, a scriptoribus quibusdam in *verum* et *nothum* distinguitur. Nothus sive spurius appellatur, quando urina, cum celeri virium lapsu, iusto frequentius iustoque largius fluit, ita tamen, ut initio morbi intuitu coloris caeterarumque proprietatum externarum a naturali parum recedat. Verus ex adverso audit, si lotium albicans chylosum, aut potulenta aliaque adsumta liquida parum alterata, adeoque sine singulari coloris sui, saporis et odoris mutatione, excernuntur. Diabetes verus ad morbos rarissimos pertinet, spurius autem paullo saepius, praesertim apud aegros, confirmata hectica laborantes, occurrit.

§. II.

§. II.

Creberrimam et interdum fere indesinentem hanc urinæ excretionem varia molesta et ominosa symptomata, sitis nimirum ingens atque continua, frequens salivæ albidæ atque spumantis exspuitio, ardor mordax viscerum aliarumque partium internarum, lumborum coxarumque intumescentia, virium lapsus, contabescentia universi corporis et febris lenta, quæ tandem in hecticam degenerat, comitantur. Symptomata hæc, morbo perseverante, magis in dies magisque, maxima utplurimum celeritate, augescunt, et memorata inprimis lumborum atque coxarum intumescentia, si æger per breve duntaxat tempus lotii excretionem cohibuerit, subitanea incrementa capit, immo ipsi testes sub spontanea hac retentione temporaria persæpe tumidi evadunt, Vrina in specie notha lotio naturali non adeo quidem absimilis est, tenuior tamen ac multo aquosior reperitur, et, facta interna substantiæ pinguis colliquefactione, partes oleaginosas, quæ superficiei sub guttularum forma innatant, vel pinguem in ea cuticulam gignunt, secum educit, in

ſpecie vera autem, eaque chyloſa, nonnihil dulceſcit.

§. III.

Diabetes ſpurius, qui ſæpius febrium aliarum, que ægritudinum ſymptoma, quam morbum primarium ac ſolitarium, conſtituit, ſubinde ſolam *tubulorum renalium relaxationem nimiam*, aliquando autem, *hanc* et inſimul, uti iſtud in hectica confirmata ſolenne eſt, *diſſolutionem humorum colliquativam* cauſſas proximas agnoſcit; in vero ex adverſo fundamentum præcipuum vel in *mera ſanguificatione vitioſa*, vel in *ſimultanea huius* et *chymificationis* ac *chylificationis depravatione eminentiori* quærendum eſt. Ad vitioſam nempe ſanguificationem culpam præcipue redundare, iudicari oportet, quando lotium albicans atque ſubdulce chyloſum excernitur, ad valde imminutam vero aut plane abolitam digeſtionem ac chylificationem, quoties adſumta potulenta aliaque liquida, quoad externas proprietates parum vel nihil immutata, per urinæ canales exeunt, licet penitus cæteroquin negari nequeat, quod in hac æque, ac præcedente ſpecie vera, aliqua pariter ætiologiæ pars ad renalium tubulorum atoniam redeat.

§. IV.

§. IV.

Præter plura alia, quæ chymificationis, chylificationis et ſanguificationis negotium directe aut indirecte pervertere, ſolidis eminentem flacciditatem inducere, et diſſolventem ac colliquativam ſanguini acrimoniam ingenerare valent, inſolentior maxime atque frequentior dolor nephriticus, febres chronicæ, nimius coitus venereus, labor immodicus, moeror diuturnior et abuſus diureticorum ad cauſas procatarcticas referri merentur: Immo experientia docuit, potum largiorem vini, præſertim Rhenani, ut et intemperantiam circa potulenta aquea tepida et quævis fermentata huic malo nonnunquam occaſionem dediſſe.

§. V.

Diabetes, ſive ſit verus ſive nothus, morbus gravis atque periculoſus eſt, qui rarius, immo, ſi poſt febres diuturniores aliasque ægritudines chronicas acceſſerit, nunquam curatur, nec diu etiam tolerari poteſt, dum vires ocyſſime proſternit et tabem corporis febremque hecticam, poſt breve tempus funeſtam, adducit. Strictius tamen hæc

ipſa de graviori tantum diabete intelligenda ſunt: Quod leviorem enim attinet, ille diutius interdum absque vitæ iactura perſeverare poteſt. Cavendum quoque, ne largiores urinæ evacuationes criticæ, quæ interdum in febribus et adfectibus hydropicis contingunt, morbumque minuunt, aut plane tollunt, cum diabete confundantur.

§. VI.

Curandi fine in diabete idiopathico non tantum *roborantia*, *amara* et *balſamica*, *auſteris* atque *auſteriuſculis adſtringentibus* mixta, ad fibrarum laxitatem corrigendam, ſed etiam, propter ſanguinis fervorem et acrimoniam, *temperantia* ac *demulcentia* neceſſaria ſunt, et præ reliquis itaque, pro meo quidem iudicio, decocta, hordeacea et avenacea cum rad. ſcorzoneræ, graminis, tuſſilaginis et raſura cornu cervi aut eboris, emulſiones amygdalinæ, ſerum lactis dulce, aut chalybeatum, aut leviſſime aluminatum *a*), pilulæ ex gummi

a) RICHARDVS MEAD *in Monitis ſuis atque Præceptis medicis* ſerum lactis aluminatum, tanquam ſingulare et efficax in diabete remedium, commendat: „Vnicum tantum, *l. c. p. 92. in-*

mi galbano, hederæ, ſucco acaciæ, extracto angelicæ, millefolii, cardui bened., pulvere cinnamomi et croco martis, electuaria ex ſyrupo cort. aurantiorum, meliſſæ, coralliorum, myrtino compoſito, extractis vix memoratis, rhabarbaro leniter toſto, nuce moſchata, et croco quodam martiali aut pauxillo terræ Iaponicæ, et cortex denique Peruvianus, cum ſyrupo quodam ad electuarii, vel cum ſacharo, ſemine fœniculi, et cardamomo minori ad morſulorum formam redactus, nec minus, ſi præcipuum nempe vitium in prima culina lateat, infuſum rhabarbari, ligni ſantali flavi et cardamomi minoris, cum vino Canarienſi paratum, commendari merentur. Sedulo tamen apud individua explorandum erit, an calida atque diſſolvens acrimonia ſanguinis, an partium ſolidarum flacciditas præcipue adcuſanda ſit, quo poſtea inde clarius

 pateat,

„*quit*, illis, quæ de cura ibi (*in alio ſcilicet Tra*„*ctatu*) dicta ſunt, remedium adiungam, hoc eſt „*ſerum aluminatum*, quod ex *lactis paullulum cocti* „libris quatuor et *aluminis* drachmis tribus con„ficitur. Si huius enim quarta libræ pars ter „minimum die bibatur, ad profluvium iſtud ſi„ſtendum plurimum valet.

pateat, an temperantia, an vero roborantia necessaria magis atque proficua sint: Immo explorandum est, an primae viae cruditatibus scateant, quo haec pariter vitiosae chymificationis et chylificationis caussa materialis per lenissima laxantia rhabarbarina tempestive subtrahi possit. In diabete mere symptomatico multa ex praedictis persaepe etiam locum inveniunt, simul tamen ad morbum primarium respiciendum, simulque, quae illi validius medentur, in auxilium vocanda erunt.

§. VII.

INCONTINENTIA VRINAE adfectus praecedenti analogus est, ac modo continuum lotii stillicidium, modo periodicam duntaxat urinae, maiori aut minori quantitate in vesica collectae, excretionem involuntariam denotat. Prior species *gravior* atque *perfecta*, posterior *levior* atque *imperfecta* appellari, et haec rursus in *nocturnam*, in dormientibus tantum ex prava consuetudine contingentem, et *nocturno - diurnam*, adeoque vere morbosam, dividi meretur.

§. VIII.

§. VIII.

Incontinentia urinæ nocturno-diurna ac vere morbosa vel *paralyſin* aut *diſſectionem*, *lacerationem*, *rupturam*, *ſphincteris veſicæ*, vel *eminentem* ſolummodo *atoniam* eius, cui apud infantes nonnullos *ſolito ſaltim maior fibrarum teneritudo* iungenda eſt, cauſſam agnoſcit. Paralyſis et reliquæ memoratæ fibrarum ſphincteris læſiones graviores incontinentiam urinæ perfectam generant, flacciditatem vero ſeu atoniam eminentiorem imperfecta ſaltim ac periodica ſequitur.

§. IX.

Inter cauſſas procatarcticas, quæ hanc vel illam ex allegatis cauſis incontinentiæ proximis producunt, prægreſſi inſultus apoplectici et epileptici graviores aut ſæpius recurrentes, calculi veſicæ aſperiores et anguloſi, lithotomia ſiniſtre inſtituta, apoſtemata veſicæ, læſiones ſphincteris cum intruſo cathetere, violentiæ, collo veſicæ ſub partu difficili, aut lapſu, aut ictu externo illatæ, inſolentiores congeſtiones hæmorrhoidales et fiſtulæ ani, ad collum usque veſicæ ſerpentes, præcipue militant, nec raro etiam accidiſſe compertum habemus, ut ſola diuturna

ac valde coacta urinæ, largius collectæ, retentio ingentem sphincteris atoniam, quin veram quandoque paralysin, post se reliquerit.

§. X.

Prognosis non minus, quam facilior aut difficilior curationis successus, aut irrita prorsus medicatio unice in hoc affectu ab indole caussæ proximæ et ægri ætate pendent. Incontinentia enim urinæ nocturna, apud infantes perversæ tantum consuetudini adscribenda, crescente ætate auctoque fibrarum robore, utplurimum sponte cessat, et, præter *congruum regimen diæteticum circa potulenta*, *moralia* duntaxat *auxilia*, *prudentes* nempe *castigationes verbales* atque *reales*, exposcit; sin diutius vero perduret, et in puerilem ulterius atque iuvenilem ætatem protracta, vesicæ quoque vitium et præternaturalem sphincteris imbecillitatem subesse ostendat, eadem remedia, tam interna, quam externa, quæ incontinentiæ nocturno-diurnæ, a morbosa sphincteris atonia aut vera paralysi oriundæ, opitulantur, in usum trahenda sunt. Ad interna nimirum quævis *roborantia*, in antecedentibus contra *diabetem*, et alibi

alibi pariter contra *epilepſiam* et *paralyſin* laudata, pertinent, inter externa vero *unguenta nervina* ex unguento ſantalino, nervino, pinguedine caſtorei, balſamo Peruviano, oleo nucis moſchatae expreſſo, pulvere baccarum lauri, croci et oleis deſtill. ſuccini, lavendulae, rorismarini, menthae, maioranae &c., *linimenta* ex ſpiritu liliorum convallium, lavendulae, rorismarini, vini crocato, aqua Anhaltina, apoplectica, cephalica imp., maſtichina, et balſamo vitae, *ſacculi vinoſi* ex rad. imperatoriae, angelicae, herba menthae, maioranae, foliis roſarum rubr., cort. granatorum, ſemine nigellae Rom. &c., nec minus *decocta aquoſa* ex rad. gentianae rubrae, caryophyllatae, herba meliſſae, ſcordii, flor. chamomillae Rom., hyperici &c., non extrinſecus tamen, ut priora, pubi ac perinaeo adplicata, ſed tepide ac parva copia veſicae iniecta, ſeſe prae reliquis commendant. Circa interna tamen adſtringentia et calidiora balſamica notandum venit, minime illa locum invenire, quando, laeſione ſub partu facta, lochia adhuc fluunt, aut, praeſente haemorrhoidum obſtructione, impetuoſae cruoris congeſtiones ad veſicam ſphincteris atoniam efficiunt,

ciunt, aut ſpasmi inſolentiores, a calculo excitati, nondum remiſerunt, ſed in primo caſu commodum medelæ tempus exſpectandum, in binis poſteriorihus autem talia roborantibus et adſtringentibus præmittenda eſſe, quæ tollendis primum aut mitigandis adfectibus memoratis ſpecifice inſerviunt: Nec ſilentio etiam prætermitti oportet, *travmatica* inprimis et varia pariter *auxilia chirurgica*, alibi videnda, neceſſaria inveniri, ſi fibræ ſphincteris, externa quadam violentia illata, diſſectæ, diſruptæ, aut dilaceratæ fuerint, vel fiſtulæ ani, aut ulcera veſicæ ſphincterem lædant.



CAP. V.

DE MICTV CRVENTO.

§. I.

MICTVS CRVENTVS non tantum intuitu primæ ſcaturiginis, quæ apud alia individua in renibus, apud alia in veſica aut urethra eſt, ſed quoad colorem pariter ac conſiſtentiam ſanguinis excreti differt, quippe

quippe qui modo purus, floridus atque perfecte fluidus, modo obſcurior grumoſus et in vermiculares haud raro moleculas condenſatus, modo urinæ perfecte atque tenuiter immerſus, modo cum ulceroſa materia mixtus, reperitur. Si purus, atque perfecte fluidus exit, eruptionis locus in veſica aut urethra quærendus eſt; ſin ſub alio autem colore aliaque conſiſtentia excretus fuerit, ex ſede doloris cæterisque ſymptomatibus diiudicandum erit, an primum in pelvi renali, an demum in veſica aut urethra e vaſis ſanguiferis emanaverit.

§. II.

Cauſſa proxima incongruæ huius hæmorrhagiæ vel ad *nimiam tubulorum renalium dilatationem*, vel ad *corroſionem*, aut *dilacerationem* aut *rupturam vaſorum ſanguiferorum* in renibus aut veſica aut ultimo lotii meatu redit, Nimiam tubulorum renalium dilatationem impetuoſæ congeſtiones menſtruæ, et adhuc magis atque frequentius, præſertim apud ſubiecta virilis ſexus ſenilia aut ſenio proxima, congeſtiones hæmorrhoidales, nec minus, præſente inprimis plethora,

thora, abusus exagitantium diureticorum, crebrior ac largior potus spirituosorum, motus corporis vehementior aut succussatorius sub cursu, saltatione, equitatione &c., iracundia gravior et quævis alia efficiunt, quæ sanguinem in renibus accumulare, aut valde in toto corpore expandere ac commovere, vel etiam, ut libidinis intemperantia, tubulos renales nimium relaxare valent; producendæ erosioni autem ac corrosioni, aut lacerationi aut rupturæ vasorum sanguiferorum lotium acrius, pulvis cantharidum et alia adsumta venena caustica, calculi grandiores angulosi et asperiores, sub equitatione, vectura &c. valde commoti, lapsus vel ictus in regionem lumbarem, contusio pubis aut perinæi, improvida ac violenta catheteris sub statu colli vesicæ varicoso intrusio et similia præ reliquis apta et adæquata reperiuntur, immo ulcera urethræ venerea et carunculæ aliquam hoc loco annotationem merentur.

§. III.

Mictio cruenta in genere quidem ad ominosas affectiones pertinet, et facillime, si excretio cruoris largior sit, aut sæpius, uti hoc

hoc apud ſenes hæmorrhoidarios ſtatis plerumque periodis fieri conſuevit, recurrit, renum aut veſicæ exulcerationem, tabemque corporis exitialem, aut hydropem, aut febres viſcerum inflammatorias aliaque prava pathemata producit, periculum nihilominus atque eventus pro diſcrepante cauſſarum genio variant. Minus enim periculum hic morbus portendit, quando, præſertim apud iuniora ſubiecta, plethoræ commotæ, aut vulgari cruoris orgaſmo, diæta ſpirituoſa, iracundia, motu corporis vehementiori &c. ſuſcitato, et inde tantummodo naſcenti nimiæ tubulorum renalium dilatationi, vel ulceri urethræ, vel ſuperficiariæ ſaltim ac leviori fibrarum lacerationi, tranſitoria calculi aſperioris actione pelvi, aut ureteribus, aut veſicæ, aut urethræ inductæ, originem debet, et ſanguis præterea pauca quantitate et citra ſuſpecta ſymptomata excernitur. Secus iudicandum, et deterior, quin ſæpe exitialis, eventus metuendus erit, ſi ſanguis magna copia effluit, aut mictio cruenta cum febre accidit, aut crebro et cum variis atque inſolentioribus imi ventris adfectibus ſpasmodico-dolorificis revertitur, ac magnam virium de-

deiectionem relinquit, si refractaria apud senes fluxus hæmorrhoidalis obstructio, vel ulcera renum aut vesicæ, vel graviores violentiæ externæ huius mali genitores existant. Tacitus quoque præterire nequeo, mictum cruentum subinde febribus exanthematicis supervenire, et certum plerumque mortis insecuturæ signum esse.

§. IV.

In paroxysmo, h. e., durante cruenta urinæ excretione, *tranquillitas animi*, *quies corporis* et remedia *antorgastica* atque *demulcentia*, v. g. emulsiones refrigerantes, nitro remixtæ, serum lactis dulce et acidulum, decocta refrigerata hordeacea et avenacea cum rad. scorzoneræ, althææ, graminis, tussilaginis, glycyrrhizæ, et rasura cornu cervi aut eboris, aqua vulgaris, nitro et sale acetosellæ modice impraegnata, lac ovillum &c. maxime conducunt, et iisdem quoque, si sola hæmorrhagiæ sistendæ nondum suffecerint, interdum *leniora adstringentia* martialia, aliaque sub diabetæ curatione indicata, addi, nec minus

nus *venæſectio*, pro cauſſæ procatarcticæ diverſitate, modo in pede, modo brachio, evacuandi aut revellendi fine, adminiſtranda, ut et, urgente congeſtione hæmorrhoidali et alvi obſtipatione, *clyſmata* in auxilium vocari debent. Circa adſtringentia tamen probe tenendum erit, uſum eorum magnam poſtulare circumſpectionem, et apud hæmorrhoidarios, aut ſpasmo nephritico præſente, nullum plane locum invenire, quoniam obſtructiones augent, aut, mictu cruento repente cohibito, exulcerationi renum occaſionem ſuggerunt.

§. V.

Cohibita penitus aut valde tamen imminuta mictione ſanguinolenta, de cauſſæ efficientis ſublatione aut mitigatione cogitandum erit, immo ſæpe neceſſe eſt, ut iſta, quæ tollendæ aut mitigandæ cauſſæ apta iudicantur, antorgaſticis ac demulcentibus initio ſtatim iungantur, vel uſui eorum interponantur; ſicuti hæc de *travmaticis* maxime et *antiſpasmodicis* valent,

quo-

quorum priora, violentia quadam externa organis urinariis illata, posteriora autem, præsente vehementi renum aut vesicæ affectione calculoso-spasmodica, simul cum prædictis in auxilium vocari debent.



SECTIO



SECTIO IV.

DE MORBIS PARTIVM GENITALIVM VTRIVSQVE SEXVS.



CAP. I.

DE HERNIIS SCROTALIBVS.

§. I.



HERNIAE SCROTALES vel *veræ* ſunt vel *ſpuriæ*: Ad priores ſola *Oſcheocele* pertinet; poſterioribus autem *Hydrocele*, *Sarcocele* et *Ramex* ſive *Cirſocele* accenſentur. Origo herniæ ſcrotalis veræ ſive Oſcheoceles (ab ὄσχεος, *ſcrotum* et κήλη, *tumor*) maximam dudum partem ex præmiſſa herniarum abdominalium deſcriptione pa-

 tet,

tet, et frequens inprimis atque facillimus herniæ inguinalis apud pueros iuvenesque ac viros in ſcrotalem tranſitus eſt. Si inteſtinum enim, ad inguinis inferiora pridem devolutum, ulterius in tunicam teſtis vaginalem deſcendit, ſcrotum in latere alterutro cum maiori aut minori dolore in tumorem attollitur, eidemque, incarceratione aut inflammatione ſuperveniente, ſingula pathemata, quæ cæteras hernias veras comitari ſolent, complicantur. Cauſæ procatarcticæ a cauſſis occaſionalibus præcedentium herniarum *a)* minime differunt, nec ſingulare pariter diſcrimen circa medelam occurrit; quare dicta etiam hoc loco repetere nolo, ſed paucis tantummodo addo, in bubonocele et oſcheocele ſubinde veſicæ urinariæ partem ſimul cum epiploo et inteſtinis, vel etiam ſolam, per annulum muſculi obliqui proceſſum ſpermaticum intrare, rariſſimumque hoc herniæ genus, quod ex lotii ſuppreſſione cognoſcitur, *Cyſtocelen* appellari *b*).

§. II.

a) Vid. *Part. I. Sect. I. cap. 10. §. 11. 12.* It. *Tom. præſ. Sect. I. cap. 3.*

b) Conf. PLATNERI *Inſtit. chirurg. §. 793. et 850.*

§. II.

Herniam ſcrotalem veram, ab inteſtinis nempe, vel ab hiſce et aliqua omenti parte, in tunicam vaginalem delapſis, oriundam, haud raro *Hydrocele*, *Sarcocele*, et *Cirſocele*, ſive hernia ſpuria *aquoſa*, *carnoſa*, ac *varicoſa* mentiuntur, licet hi tumores, ſicuti ex ipſa ſtatim denominatione intelligitur, alias rurſum cauſſas aliamque originem habeant. Hernia aquoſa nimirum ſive Hydrocele (ab ὕδωρ, *aqua* et κήλη, *tumor*) ab humore ſeroſo, inter tunicam vaginalem et albugineam ſeu teſtis propriam, vel ſubinde etiam, quanquam longe rarius, inter erythroideam et vaginalem collecto, producitur. Accidit autem præternaturalis memorati humoris collectio, 1) quando teſticulus ſub equitatione velociori, ſub præcipiti equi lapſu, ſub ictu illato, et varia occaſione alia violentius premitur, comprimitur, aut plane contunditur, adeoque venæ quædam lymphaticæ rumpuntur, aut dilacerantur, 2) quando venæ lymphaticæ, quæ liquidum paucum ac tenue, ex eiusdem cognominis arteriolis humectandi fine ſenſim in tunicam vaginalem emiſſum, denuo reſorbent, vel ipſæ venæ ſanguiferæ

ab inhærente materia viſcida, aut premente corpore externo, omento v. g. aut inteſtinis, per proceſſum ſpermaticum, præſente bubonocele aut oſcheocele, devolutis, a tumido itemque et indurato teſticulo, a vinctura arctiori, curandi fine hernia vera inguinali aut ſcrotali laborantibus adhibita &c., obſtruuntur, et prædicta igitur liquidi humectantis reſorptio et liberior humorum circulantium regreſſus ſufflaminantur, et 3) quando aqua apud ægros hydropicos ex abdominis cavitate per memoratos proceſſus ad tunicam vaginalem deſcendit. Patet cæteroquin ex cauſſis adductis, hydrocelen modo ſolam adeſſe, modo ſimul cum hernia vera naſci.

§. III.

Tumor hic, qui plerumque, uti ſupra pridem dixi, unum duntaxat ſcroti latus occupat, dolore caret, nec alia quoque ſingularia pathemata, ſi ſolitarius eſt, pediſſequas habet. Si minor exiſtit, ac digito premitur, humor circumfluit, et tumor in loco preſſo nonnihil cedit, nihil tamen retro ad abdomen compellitur, ſed tumor, preſſione ceſſante, protinus reſurgit: Sin valde autem increverit,

rit, uteris repleti et arcte adſtricti inſtar digito renititur, teſticulus tactu amplius percipi nequit, et humor, ſi adhuc ſincerus limpidusque exiſtat, nec, corruptione ſuborta, craſſior pridem, fæculentus ac luridus evaſerit, per tunicas valde diſtentas et extenuatas transparet. Scrotum rugoſum eſt, et mentula minor redditur atque contractior, ita ut interdum ſub tumore fere deliteſcat, et ſignis hiſce hydrocele ab hydrope ſcroti, in quo omnia reperiuntur contraria, facile diſtinguitur.

§. IV.

Medicamenta *diſcutientia*, cuius cenſus ſunt ſacculi balſamici vinoſi fortiter camphorati, epithemata ex ſpiritu vini crocato, camphorato, matricali &c. et ſimilia, parum contra hunc tumorem valent, ſed citius ac certius auxilium ab *Operatione chirurgica* a) exſpectandum eſt, licet hæc quoque voto ac ſpei non ſemper perfecte ſatisfaciat, quo-

 niam,

a) Vid. *Heiſters Chirurgie p. m. 665.* Item PLATNERI *Inſtit. Chirurg. rat. §. 861. ſeqv.* ZACHARIAE VOGELS *Abhandlung von Brüchen.*

niam, priſtina exundationis cauſſa perſeverante, intra breve tempus nova rurſus humoris collectio accidit.

§. V.

Sarcocele (a *σάρξ*, *caro* et *κήλη*, *tumor*) duplicis generis eſt: Altera nimirum, quae frequentius occurrit, tumorem teſticuli durum atque ſcirrhoſum ſupponit; altera vero naſcitur, quando teſticulo, aut arteriis veniſque, a quibus teſticulus dependet, carnes praeternaturaliter accreſcunt. Prior ſpecies non confundi debet cum tumore teſtis inflammatorio: Hic enim poſt praegreſſas graviores teſticuli laeſiones ſubito oritur, ac protinus ardorem magnumque dolorem comites adducit; ſarcocele ex adverſo ſenſim ad eminentiorem magnitudinem perducitur, et initio atque per longum quandoque tempus dolore penitus caret, donec apud ſubiecta cacochymica, praeſertim neglecta aut ſiniſtre tractata, peſſimam cancri naturam ſortiatur: Vnde ex incipiente etiam dolore punctorio atque ardente incipientis depravationis cancroſae ſignum deſumitur.

§. VI.

§. VI.

Sarcocele, praesertim crebrior species prima, violentias, testiculo ictu, plaga, pressione, contusione &c. illatas, immo ordinarias quandoque herniae verae caussas procatarcticas haud raro quidem sequitur, frequentius nihilominus apud subiecta, venerea lue infecta, et post suppressam inprimis gonorrhoeam virulentam, generatur, immo interdum accidit, ut tumor testis inflammatorius sponte, aut adhuc saepius sub cura sinistra, in scirrhosum degeneret. Accidit quoque, ut medicamenta nimis reprimentia, testiculo ex caussa leviori tumefacto adplicata, indurationi scirrhosae occasionem suggerant.

§. VII.

Persaepe memorati testium tumores, si adhuc recentiores sint, nec valde dudum induruerint, tum *internis catharticis sanguinemque purificantibus*, sub gonorrhoeae virulentae curatione allegatis, tum *externis emollientibus* ac *resolventibus* feliciter rursum discutiuntur: Monendum tamen, pro diverso indurationis gradu, modo emollientia, v. g.

cataplasmata et epithemata ex ſpeciebus emollientibus, cum lacte coctis et camphoræ pulvere remixtis &c., modo reſolventia, v.g. emplaſtrum de gummi ammoniaco, diaphoreticum MYNS. &c., cum vel ſine camphora, præſtantiora non minus, quam tutiora eſſe. Nonnulli diſcutientes quoque ſacculos vinoſos laudant, at, magis hos ipſos ſeſe in tumore teſtium inflammatorio, quam ſcirrhoſo, commendare, certum eſt. Si nihil cæteroquin medicamentis prædictis efficitur, teſticulus induratus, ſi nullum dolorem moveat, in quiere ſua relinqui, vel ſubinde etiam, oriente videlicet dolore et cancroſæ corruptionis ſignis adparentibus, penitus exſcindi debet; quemadmodum plura de hac operatione apud vix allegatum HEISTERVM *a*), PLATNERVM *b*) aliosque chirurgiæ ſcriptores videnda ſunt.

§. VIII.

Ramex ſive Cirſocele (a *κιρσὸς*, *varix*, et *κήλη*, *tumor*) eſt varicoſa vaſorum ſpermaticorum

a) *L. c. p. m. 664.*
b) *L. c. §. 856. ſequent.*

maticorum ad teſtes per inguina deſcendentium intumeſcentia, quæ adeo nonnunquam increſcit, ut nonſolum inguina, ſed ipſum quoque ſcrotum impleantur. Subinde malum ad ipſos teſtes extenditur, et venæ ſpermaticæ circum circa in ſuperficie cum nodoſis hinc inde dilatationibus intumeſcunt, non aliter, ac ſi teſticuli lumbricis aut funiculis paſſim obvoluti eſſent. Proxime hi tumores a ſubſiſtente et magis paullatim magisque adcumulato ſanguine craſſo, viſcido ac congrumato oriuntur; hinc cachectici etiam, ſcorbutici et omnes illi, qui victu duro conſtanter utuntur, nec minus literati, qui vitam ſedentariam amant, et ſtudiis aſſiduis corpus debilitant, iisdem præ reliquis obnoxii deprehenduntur. Frequentius præterea apud libidinoſos naſcitur, qui concubitum nimis concupiſcunt, nimiumque venereis cogitationibus indulgent; immo læſiones externæ et vincturæ arctiores ſub herniæ veræ curatione huic morbo occaſionem quandoque præbent.

§. IX.

Malum recens et a ſolo humorum vitio ortum, adhibitis congruis medicamentis,

 ſimul-

ſimulque obſervata convenienti diæta, cui hoc loco *potum*, inprimis *temperatum* atque *ſufficientem*, *victum tenuem*, *motum corporis blandum crebrioremque*, *moderamen in ſtudiis* et *abſtractionem a cogitationibus venereis* acceſeo, facile interdum tollitur. Ad medicamenta interna *laxantia*, *incidentia ſalina*, *infuſa theiformia* ex abſtergentibus ſaponaceis et lenioribus balſamicis, *aquæ minerales*, *mercurialia*, *antiſcorbutica*, *leniora diaphoretica* ac *diuretica*, et quævis ea ſpectant, quæ ſanguinem diſſolvere, attenuare ac depurare valent; inter externa autem epithemata *diſcutientia* aquoſa et vinoſa ex rad. imperatoriæ, herba ſcordii, ſalviæ, hyſſopi, abrotani, flor. chamomillæ Rom., ſem. carvi, nigellæ Rom., baccis iuniperi, croco, camphora &c., nec minus emplaſtra, contra ſarcocelen commendata, præ cæteris laudari merentur. Quando morbus iam inveteravit, et venæ infarctæ calloſam fere duritiem adquiſiverunt, allegata remedia parum amplius vel nihil efficiunt, ſed unice, ſecundum quorundam conſilia, ad methodicam turgidarum venarum *inciſionem a)* confugiendum eſt; cui

a) Vid. HEISTER *l. c. p. m. 674.*

cui ancipiti auxilio PLATNERVS tamen parum favet: „Autores, *inquit a)*, multi „ſunt, incidendas eſſe tumidas induratasque „venas, et ſanguinem concretum ex iis edu„cendum, vulnera vero iterum ad ſanitatem „perducenda. Sed hoc vix ſine periculo „fieri poterit, niſi remiſſiores laxioresque „venæ fuerint. Nam in aliis, quæ occallue„runt, ſectio non ſine periculo eſt. Me„tuendum etiam, ne ex vulnere relicta ci„catrix venas magis devinciat prohibeatque, „quominus ſanguis in eas permanare ſine „impedimento poſſit.

§. X.

HYDROPS SCROTI, qui modo ſymptoma hydropis abdominalis aut leucophlegmatiæ eſt, modo morbus ſimplex ac ſolitarius, ab hydrocele facile per ſigna manifeſta diſtinguitur. In hydrope enim ſcrotum ordinario circum circa tumidum cernitur, in ſuperficie ubivis æquale, ſine ulla ruga, ac ſolito præterea albidius et tam molle eſt, ut digito prementi facillime cedat, et eo remoto tardius ſeſe attollat. Tumor quoque

a) *L. c. §. 876.*

quoque raro in ſolo ſcroto ſubſiſtit, ſed ſimul ad cutem glandis extenditur, ita ut urethræ apertura paullulum quandoque occludatur. In hydrocele pleraque, uti in antecedentibus pridem dictum fuit, plane diverſa reperiuntur: Tumor nimirum plerumque in unico duntaxat latere obſervatur, ſcrotum rugoſum eſt, nec tantum digito prementi fortius renititur, ſed protinus etiam preſſione ceſſante reſurgit, et mentula denique adeo brevis atque contracta eſt, ut vix conſpici queat.

§. XI.

Interdum hic tumor cum pueris naſcitur, interdum vero, et longe quidem frequentius, apud iuniores et adultiores, poſt fortes ſcroti preſſiones, compreſſiones et frictiones diuturnas ſub equitatione, ſub vincturis arctioribus &c., ſubito generatur, et unice ab *humore ſeroſo* oritur, qui, propter *vaſculorum adducentium rupturam*, aut *reſorbentium ac reducentium obſtructionem*, in tunica celluloſa, cuti et tunicæ muſculoſæ, quam *δάρτον* vocant, interiecta, præternaturaliter adcumulatur, et totam poſtea telam celluloſam

losam inflat. Subinde, licet rarius, loco humoris crassioris rarior materia flatuosa dictas cellulas replet atque distendit, et tunc igitur hic affectus *Emphysema scroti* dicitur.

§. XII.

Eventus in hydrope scroti triplex est: Nunc enim humor, hactenus subsistens atque coacervatus, denuo per vascula absorbentia ad sanguinem regreditur, nunc vero sibi ipse, præsertim si sub quiete diuturniori acrior factus fuerit, aperturas facit, ac paullatina per scroti tunicas exsudatione consumitur, nunc denique neutrum accidit, et humor itaque *methodica scroti scarificatione*, quam chirurgiæ doctores describunt *a*), necessario educendus est. Resorptionem sive regressum humoris ad sanguinem, qui optimus solutionis modus est, præter *laxantia* quædam, *resolventia* ac *depurantia* interna, valide inprimis *activa discutientia* et *aperitiva* externa promovent, quibus cataplasmata et epithemata ex rad. angelicæ, imperatoriæ, gentianæ rubræ, iridis Florent., bryoniæ, armoraciæ, herba

a) Vid. HEISTER *l. c. p. m.* 671.

herba maioranae, ferpilli, mari veri, satureiae, salviae, rutae, rorismarini, hyssopi, scordii, agrimoniae, flor chamomillae Rom., sem. apii palustris &c., cum vino rubro aut vino adusto coctis, nec minus tepida aqua calcis vivae, cum spiritu vini simplici, aut camphorato, aut crocato, aut spiritu matricali remixta, et emplastrum de cumino aut diaphoreticum prae reliquis accenseri merentur. Circa emplastrorum tamen adplicationem adhuc commemorare expedit, alutam aut linteum, quae emplasticam massam excipiunt, hinc inde parvis foraminibus instructa esse debere, ut humor, foras fortassis penetrans, libere emanare possit.



CAP. II.

DE PHIMOSI, PARAPHIMOSI, BVLLA CRYSTALLINA, PRIAPISMO, ET SATYRIASI.

§. I.

PHIMOSIS (a φίμος, *nexus*, *obthuramentum*, vel etiam a φιμόω, *obthuro*, *capistro*

piſtro ita dicta, et PARAPHIMOSIS (a *παρὰ*, *prope*, *ſupra*, et *φιμόω*) cognati praeputii ac balani tumores ſunt. In phimoſi enim praeputium tumidum totam glandem, magis pariter minusve tumidam, contegit, et tam arcte conſtringitur, ut nulla arte reduci, nec ipſum quandoque lotium effluere poſſit: In paraphimoſi autem praeputium retractum adeo circa coronam balani corrugatur ac coarctatur, ut verſus apicem glandis et urethrae orificium deduci ſeu protrahi nequeat.

§. II.

In noſtris regionibus hi tumores apud adultos rariſſime citra veneream infectionem naſcuntur, ſed *illato* utplurimum *virulento eiusmodi miaſmati* ſuam originem debent, ac modo, et quidem frequentiſſime, *inflammatorii* ſunt, modo, licet longe rarius, inflammatione carent, et propius ad *oedematis* aut *ſcirrhi* naturam accedunt. Si tumor inflammatorius eſt, pars tumida valde rubet, calet, dolet, et digito prementi aegre cedit: Sin vero oedematodes aut ſcirrhodes exiſtit, nec dolor, nec rubor, nec calor inſolitus adeſt,

adeſt, et oedematodes, ſi digito premitur, facillime cedit, foveolamque impreſſam diu retinet, ſcirrhodes ex adverſo valde durus eſt, et digito prementi fortiter renititur.

§. III.

Perſæpe affectum utrumque *ulcuſcula* (*chancres*), nunc *pauca* atque *diſcreta*, nunc *numeroſiora* ac *confluentia*, quæ dorſum et balani partem convexam, aut coronam eius occupant, vel circa præputium corrugatum, aut in margine eius, aut in frenulo, aut paſſim in præputii protracti ſuperficie interna generantur, præcedunt aut complicantur. Vlcuſcula hæc interdum in paraphimoſi viſui perfecte patent, in phimoſi autem ſub deducto præputio latent, et obſcure ſaltim ex perpetuo dolore ardente ac morſicante, vel ſubinde etiam paullo clarius ex pauco humore acri ichoroſo, ſponte aut ſub partis tumidæ compreſſione ex relicta præputii apertura emanante, cognoſcuntur. Non eandem præterea apud ſubiecta diverſa indolem obtinent, ſed pro differenti humoris ſubſiſtentis atque erodentis virulentia, *benigniora* aut *maligniora* reperiuntur: Illa, quæ rotunda

tunda utplurimum, parum callosa et in fundo albicantia sunt, nec rubra etiam, nec extuberantia labia habent, non adeo alte penetrant, et pus laudabile fundunt; hæc vero, quæ figuram irregularem angulosam, coloremque in cavitate livescentem, atro-purpureum, quin plane nigrum, et labia valde dura, callosa, prominentia, rubra ac valde inflammata obtinent, latius altiusque serpunt, et loco veri puris ichorem seu saniem tenuem acerrimamque emittunt *a*). Haud raro quoque fit, ut in specie inflammatoria, (cui interdum, si gravior est, vera febris iungitur), nec minus in oedematoide in balano, præsertim circa coronam, nec non in præputii corrugati aut protracti margine multæ vesiculæ pellucidæ, limpido humore morsicante repletæ, exoriantur; immo subinde fit, ut in oedematoide unica tantum vesica magna sese attollat, quæ totam glandem obtegit, ac vulgo BVLLA CRYSTALLINA appellatur.

§. IV.

a) Conf. IOH. ASTRVC *Tract. de Morbis venereis Lib. III. cap. 7. p. 276.*

§. IV.

Nunquam in morbis hisce cum congrua medela cunctandum est, quoniam neglecti facile, praesertim, si valde inflammatorii, aut valde pridem ulcerosi sint, in gangraenam et sphacelum abeunt. Conveniunt autem interne, quoties scilicet tabo venereo natales debent, *resolventia sanguinemque purificantia*, v. g. purgantia ex mercurio dulci et extracto catholico aut panchymagogo Crollii, decocta ex rad. glycyrrhizae, sarsaparillae, saponariae, ligno sassafras, Guaiaco, semine foeniculi &c., mixturae ex tincturis antimonii, lignorum, succini, trifolii fibrini, pimp. albae, liquore cornu cervi succinato &c., pilulae ex terebinthina lota, gummi ammoniaco, extracto scordii, trifolii fibrini, chamomillae vulg., balsamo Tolutano, Peruviano, mercurio dulci, sulphure antimonii aurato et similibus, externe autem *epithemata*, *cataplasmata* ac *fotus* ex rad. althaeae, flor. malvae, sambuci, meliloti, chamomillae vulgaris &c., cum lacte coctis, et camphora pulverisata nonnihil impraegnata, nec minus, si descripta emollientia nondum suffecerint, cataplasma ex bolo Armena,

vul-

vulgari vino adusto et camphora, cuius insignem efficaciam in phimosi venerea plus vice simplici expertus sum, adhiberi debent. Prædictis purificantibus atque discutientibus internis subinde etiam, inflammatione nimirum valde ingravescente, pulveres ex lap. cancrorum, nitro et camphora aut sulphure antimonii aurato, nec minus decocta avenacea et hordeacea, aliaque potulenta refrigerantia interponenda sunt, immo, vera inprimis febre accedente, *vena* in pede aut brachio, vel etiam, si mentula videlicet ex inflammatione vehementer intumuerit, ipsa *vena* colis, quæ per tergum eius fertur, incidi debet. Irritis quandoque singulis, quæ exposui, auxiliis, sola præputii protracti aut retracti *incisio* superest, cuius methodica tamen administratio ex libris chirurgicis a) discenda erit. Præterire pariter nequeo, gangræna pridem exorta, species mollientes cum saturata aqua calcis vivæ coquendas, et iisdem insimul amara quædam saponacea et balsamica, v. g. radicem aristolochiæ, iridis Florentinæ, herbam scordii,

 absinthii,

a) Vid. PLATNERI *Instit. chirurg.* §. 879. 880. 885.

abſinthii, rutæ, abrotani, flores chamomillæ Romanæ &c., addenda eſſe; Nec inutile etiam eſt, chirurgum ulcuſcula paſſim enata paullo ſpecialius reſpicere, eademque non tantum decocto emolliente diligenter eluere, ſed identidem quoque dilutiori atque ſubtepida mucilagine ſeminis pſyllii et cydoniorum, cui pauxillum liquaminis myrrhæ, aut mellis roſati, aut balſami Peruviani admixtum eſt, inungere.

§. V.

SATYRIASIS, et PRIAPISMVS nonnullis ſynonyma ſunt, alii vero inter hunc et illam diſcrimen faciunt. Satyriaſin enim aut *Satyriaſmum* vocant, quando penis continenter cum laſciva quadam palpitatione ac multa libidine vividaque veneris concupiſcentia erigitur; Priapiſmus ex adverſo, itemque *Tentigo veretri*, *Tetanus mentulæ* ipſis audit, quando involuntaria, diuturna ac valde rigida colis erectio, citra voluptatis ſenſum, citra rei venereæ appetentiam, et cum anxio potius dolore tenſivo, accidit *a*).

§. VI

a) Conf. MARTINI SCHVRIGII *Spermatologia c. 3. p. 10.*

§. VI.

In affectu utroque, uti ego quidem opinor, *acrimonia humorum*, qua partes nerveae musculorum erigentium et totius substantiae colis cavernosae plus iusto vellicantur, praecipue adcusanda venit: In priapismo tamen haec ipsa copiosior, potentior et cum sanguinis crassitie coniuncta est; in satyriasi autem parcior, torpidior, atque dilutior, existit, et sanguis simul ac fluidum nerveum largius atque impetuosius in mentulam influere videntur. Hinc priapismus etiam frequentius apud arthriticos, rheumaticos et scorbuticos nascitur, nec raro pariter purgantium acriorum, cantharidum aliorumque mere ac fortiter stimulantium usum sequitur; satyriasis ex adverso saepius apud homines, qui lascivis cogitationibus nimium indulgent, et interdum quoque apud maniacos observatur. Non parum quoque suppositam caussam materialem sic dicta *Chorda venerea* confirmat. Nam licet coles in hoc affectu minime quidem secundum lineam rectam sive in longum extendatur, sed potius arcus instar incurvetur, in clara tamen luce positum est, spasmodicam hanc ac valde doloro-

ſam penis contractionem arcuatam unice a vehementibus ſtimulis, quos illatum, et in cavernoſa penis ſubſtantia quieſcens, miaſma acre venereum nervis inprimit, derivandam eſſe.

§. VII.

Curatio partim ad *caſtitatis ſtudium* et *potum victumque tenuem* ac *temperatum*, partim ad *venæſectionem* et *uſum edulcorantium, laxantium* et *diaphoreticorum* redit. Edulcorantia, diluentia, demulcentia, aliaque paſſim ſub plurium ægritudinum curatione, et fuſius inprimis in Capite generali de *Morbis ex acrimonia*, recenſita leguntur, nec ignota etiam laxantia et diaphoretica ſunt. Notari tamen debet, pulveres nitroſo-camphoratos, et decocta purificantia, quae ſimul antiſpasmodica quædam et nervina recipiunt, ſeſe præ multis aliis commendare, et laxantibus quoque, ſi virus venereum corpus intravit, mercurium dulcem addendum eſſe. Externe in priapiſmo et chorda fotus tepidi *emollientes* ad imminuendam rigiditatem nimiam proſunt: Cavendum tamen, ne uſus eorum nimium protrahatur, et ceſſanti igitur ſpasmo atonia, quin paralytica quædam relaxatio, ſuccedat.

CAP.

* * * * * * * * * * * * * * * * * *

CAP. III.

DE GONORRHOEA ET POLLVTIONE NOCTVRNA.

§. I.

GONORRHOEA (a γόνη, *genitura* et ῥέω, *fluo*) vulgo in *benignam* et *virulentam* dividitur. Benigna ſive *vera* eſt involuntarius, frequens, quin fere nonnunquam perpetuus, puri et illibati ſpermatis effluxus. Datur quoque, præter ordinariam, adhuc alia quædam ſpecies benigna, in qua ſemen ſolummodo, membro erecto, aut ſub difficili ſaltim ac valde laborioſa alvi deiectione, nunquam autem, membro pendulo, aut citra memoratam veſicularum ſeminalium compreſſionem, effluit.

§. II.

Liquidum ſeminale, quod in benigna hac ſpecie, invito patiente, emittitur, ordinario, uti dixi, ſanum et illibatum, adeoque acre-

acredinis prorſum et coloris peregrini expers eſt, nec urina etiam ſub tranſitu ſuo per urethram ullum roſionis ſenſum excitat. Si effluxus quoque parcus ac ſaltim periodicus eſt, et ciborum appetentia viget, corpus minime debilitatur, nec alia ſingularia pathemata ſentiuntur: Secus vero de ſtillicidio largo, creberrimo aut fere continuo iudicandicandum erit. Propter nimiam enim ſpirituoſi huius liquidi iacturam, vires admodum deiiciuntur, vultus expalleſcit, oculi concavi fiunt, adpetitus valde imminuitur, languet animus, vigor memoriæ decreſcit, et multa alia moleſta ſymptomata, viſus nimirum hebetudo, vertigo, palpitatio cordis et dorſi atque lumborum dolores ſuperveniunt.

§. III.

Cauſſa benigni huius fluoris proxima vel in ſola *veſicularum ſeminalium*, vel in *harum* non minus quam *teſtium cæterorumque organorum genitalium atonia* conſiſtit, quam frequentes inprimis ac vividæ cogitationes venereæ, laſcivæ membrorum genitalium irritationes, intemperantia circa coitum, et ſub-

ſubinde etiam prægreſſi morbi chronici, nec minus moeror, curæ, ſtudia aſſidua et ſimilia inducunt. Si atonia memorata ſolummodo in veſiculis ſeminalibus reperitur, morbus utplurimum facilius tollitur; ſin iunctim vero ipſi pariter teſtes ſimili imbecillitate laborant, et prædicta igitur ſymptomata, quæ, ſola præſente veſicularum ſeminalium laxitate, rarius notantur, accedunt, curatio eius multum perſæpe negotii medentibus faceſſit.

§. IV.

Curatio tum *tenui* ac *temperata diæta*, tum *pharmacis temperantibus*, *lenioribus nervinis* et *ſubadſtringentibus* expedienda eſt. Ex cenſu igitur alimentorum nimis ſalſa, aromatica, acria, mellita aliaque dulcia fermenteſcibilia, ſpirituoſa, decoctum coffee, choccoladæ, muſtum et ſimilia, quæ ſtimulant, aut ſeminis orgaſmum excitant, vitari, et loco potus ordinarii aqua ſimplex frigida, infuſum theæ orientalis, ſerum lactis acidulum, et decocta hordeacea atque avenacea, vel puriora, vel cum radice graminis cocta et nitro dep. ac ſale acetoſellæ modice impræ- gnata, adhiberi, ac ſimul pulveres ex coralliis

rubris, nitro, ſale acetoſellæ, rad. poeoniæ, viſco querno et croco martis, vel potiunculæ ex iisdem pulverulentis et aquis refrigerantibus, nec minus infuſa theiformia et decocta ex rad. anchuſæ, caryophyllatæ, herba agrimoniæ, meliſſæ citr., flor. anſerinæ, bellidis ſylv., rorismarini, flavedine corticis citri &c., emulſiones ex aqua flor. nymphææ, boraginis, lactucæ, cichorii, graminis, ſem. cannabis, quatuor frigidorum maiorum et minorum, nitro dep. &c., mixturæ ex tinctura violarum, roſarum, papaveris rhoeados, et pauxillo tincturæ martis pomatæ aut terræ Iaponicæ, immo morſuli ex ſacharo et pulvere corticis Peruviani in uſum trahi debent: Nec inutilia quoque ſunt *laxantia leniora* ex rhabarbaro, ſub pulveris forma et citra additamentum identidem exhibito. Externe unguentum comitiſſæ et epithemata ex herba ſcordii, rutæ, ſalviae, maioranae, flor. chamomillae Rom., hyperici, roſarum rubr., et cort. granatorum, cum vino rubro coctis, regioni pubis et interdum ipſi etiam ſcroto adplicari poſſunt.

§. V.

§. V.

A gonorrhoea benigna POLLVTIO NOCTVRNA, quae apud iuvenes ac viros plethoricos, otiosos ac lauta atque vinosa diaeta utentes persaepe accidit, gradu non minus, quam tempore fluxus differt. In gonorrhoea enim involuntaria seminis excretio diurno - nocturna, in pollutione autem, sicut adiectum vocabulum protinus ostendit, solummodo nocturna est, nec vigilantibus quoque, sed dormientibus sub insomnio venereo supervenit. Nullam prorsus vel non adeo tamen singularem medelam haec fluxio postulat: Si enim rarius contingit, corpori minime nocet, nec ullis igitur remediis indiget; sin crebriori autem recursu suo corpori debilitatem inducat, iustumque gonorrhoeae succedentis metum suscitet, *victu tenui, potu refrigerante aquoso*, et *paullo largiori nitri solius*, vel *huius etiam et salis acetosellae usu*, quibus apud plethoricos *venaesectio periodica* iungenda est, cohiberi debet.

§. VI.

GONORRHOEA NOTHA, eaque VIRVLENTA *a*), apud nobiliores non minus,

a) Scriptorum aliqui *nothae* pariter *gonorrhoeae*

minus, quam sequioris sexus homines crebro occurrit, rarissimeque *scorbutica*, sed utplurimum *venerea* est; hinc, intuitu indolis, caussae et curationis, a gonorrhoea benigna vere seminali longe recedit. Nam liquidum, quod indesinenter aut per intervalla ex urethra elabitur, ac sano semine nunc spissius paullulum, nunc tenuius ichorosum est, initio flavescit, deinde, nisi tempestiva medela feratur, viridescit, immo aliquando subfuscum plane colorem induit, et tam corruptum atque acre existit, ut urethram valde erodat, et hac igitur ratione vehementi dolori ardenti ac morsicanti, quem patientes post quamcunque inprimis urinae excretionem in urethra, praesertim prope glandem, persentiunt, occasionem praebeat. Silentio caeteroquin hoc loco minime praetermitti debet, liquorem memoratum in virulenta hac specie venerea non semper mere caustico-mucidum, aut caustico-ichorosum, aut putridulo-ulcerosum

benignae, quam etiam *catarrhalem* vocant, mentionem faciunt, eamque a sola eminenti prostatarum laxitate derivant; at, rarius hanc speciem medicis obviam fieri, certum est.

fum exiftere, fed, propter veficularum feminalium irritationem, fubinde etiam, praefertim fi glandula proftata virus venereum copiofius recepit, fpermate vero remixtum effe.

§. VII.

Vix memorata effluentis liquidi virulenti diverfitas a gradu morbi differenti atque duratione praecipue dependet. Initio enim, poft primum nempe miafmatis venerei fub impuro concubitu introitum, nondum ulcus aut ulcera adfunt, fed glandulæ urethræ mucofæ, tum minores, tum maiores COUPERI ac LITTRII, quin ipfa proftata, quibus virus fefe largius inprimis infinuare confuevit, copiofum duntaxat, acre atque corruptum humorem ferofo-lymphaticum, æque fere, ac glandulæ narium pituitariæ in coryza, emittunt, deinde autem, fi morbus negligitur, aut effluxus materiæ præmaturo ftypticorum ufu cohibetur, humores quiefcentes, taboque infecti, maiori in dies corruptela depravantur, maioremve fortiuntur acredinem, et dictas igitur glandulas, quin totum hinc inde urethræ tractum non

non erodunt tantum, corrodunt atque exulcerant, ſed ſæpe quoque ſæpius unius aut plurium caruncularum geneſi occaſionem ſuggerunt. Immo interdum fit, ut illatum virus venereum in ipſa ſubſtantia penis cavernoſa pertinacius ſubſiſtat, et partem eius in ulcus malignum, quod ulterius poſtmodum ſerpendo apud alia individua verſus urethram, apud alia verſus priapi ſuperficiem progreditur, convertat: Vnde minime etiam mirandum eſt, quod materia ulceroſa non ſemper per urethram emittatur, ſed ſubinde quoque inter mobilia penis integumenta et ſubſtantiam cavernoſam prodeat, et facile hac ratione tumidam præputii ac balani, quin totius quandoque mentulæ, inflammationem excitet.

§. VIII.

Malum recens ac nondum ulceroſum plerumque, cura tamen rite ac tempeſtive inſtituta, ſatis facile tollitur: Sin neglectum vero aut ſiniſtre tractatum inveteraverit, ac valde pridem ulceroſum exiſtat, ulcusque altius inprimis ad ipſam glandulam proſtatam penetraverit, perſæpe admodum rebelle deprehen-

prehenditur, nec raro fiſtulam inſanabilem, cuius praeſentia ex pauco liquore limpido, poſt perfectam fluxus ulceroſi ceſſationem ſub penis compreſſione, vel identidem quoque citra illam ex urethra guttatim emanante, cognoſcitur, relinquit. Vt nihil dicam de tumore teſtium inflammatorio aut ſcirrhoſo, de bubonibus ſeu intumeſcentia glandularum inguinalium inflammatoria pluribusque aliis ſymptomatibus venereis et completa lue Gallica, quae creberrime ſuccedere aut protinus complicari ſolent, quando virus, cura procraſtinata, altius in corpus penetrans, univerſam humorum maſſam contaminat, aut humoris excretio, venenato miaſmate nondum eiecto, nec ulcere etiam perfecte purificato, adſtringentibus (quod delictum medicaſtri creberrime committunt) ſiſtitur.

§. IX.

Curando huic morbo medicamenta *cathartica ſanguinemque purificantia*, quibus, praemiſſis tamen praemittendis, modo *travmatica*, modo *roborantia* atque *ſubadſtringentia* iungenda ſunt, maxime inſerviunt. Ex purgantium claſſe pilulae ex extracto catho-

lico

lico aut panchymagogo CROLLII et mercurio dulci, initio medelae et pro re nata saepius postmodum exhibendae, sese prae reliquis commendant, inter purificantia autem mixturae ex tincturis antimonii, succini, ess. lignorum, trifolii fibrini, scordii, pimpinellae alb., liquore C. C. succinato &c., decoctum saturatius ex rad. glycyrrhizae, sarsaparillae, saponariae, ligno Guaiaco, sassafras et semine foeniculi, morsuli antimoniales KVNCKELII, et pilulae ex terebinthina lota, gummi ammoniaco dep., balsamo Peruviano, Tolutano, myrrha genuina, extracto scordii, cardui bened., trifolii fibr., chamomillae vulg., mercurio dulci, sulphure antimonii aurato, et oleo dest. ligni sassafras, propter saepius confirmatam energiam suam, praecipue laudari merentur, immo, eminentiori inflammatione praesente, pulveres ex absorbente quodam, nitro et camphora egregie utplurimum prosunt. Pleraque ex praedictis purificantibus etiam virtutem travmaticam ac roborantem obtinent, unde alia ulterius atque alia huius census recensere supervacaneum duco: Quod subadstringentia vero attinet, quae admodum caute, nec prius, quam virulentia

penitus

penitus extincta et humore parcius rursum effluente, et mitissimo, tenui, ac limpido reddito, adhibenda sunt, illis crocum martis aperitivum STAHLII, corallia rubra, grana chermes, tincturam martis pomatam et corticem Peruvianum maxime accenseo. Externe, nisi forsan complicata gravior glandis, praeputii, aut totius priapi inflammatio fotus et epithemata *emollientia* postulet, non adeo multa requiruntur remedia, sed saepius tantum in urethram iniecta tepida aqua calcis vivae, cui interdum modica portio mellis rosarum, tincturae balsami Peruviani, aut essentiae myrrhae aquosae, et pauxillum salis ammoniaci misceri possunt, corruptam materiam eluere et ulcus purificare valet. Non penitus quoque, depuratione peracta, et insigni glandularum &c. laxitate superstite, externum sachari saturni usum reiicio, at exigua tamen quantitate istud liquoribus iniiciendis addendum esse arbitror. Si caruncula denique, quae urinae et materiae corruptae effluxum valde utplurimum impedit, in urethra enata fuit, quantocyus illa adplicatis lenioribus *cathaereticis*, v. g. unguento Aegyptiaco, pauxillo mercurii dulcis aut praecipitati rubri

remixto, nec minus pulvere ex radice ariſtolochiæ rotundæ, tutia ppta, antimonio crudo, et mercurio dulci, recenti tamen amygdalarum oleo humectato paullulum ac temperato, ſimilibusque, quæ apici ſeu alteri extremitati tenuis candelæ ceraceæ illinuntur, abſumi debet.

§. X.

Gonorrhoea gravior et *inveterata ſcorbutica*, quam ſupra ad malignas pariter ſive virulentas gonorrhoeas retuli, raro, uti pridem monui, occurrit, nec facile etiam, licet a contagio non plane immunis ſit, per contagium propagatur, quoniam humor acris atque corruptus venereo miaſmate paullo mitior reperitur, et patientes præterea propter univerſi corporis ægritudinem parum ad concubitum inclinant. An virulenta cæteroquin gonorrhoea, venereæ per omnia ſimilis, apud homines ſponte nonnunquam, h. e., citra ullam infectionem veneream, naſci poſſit, ſicuti nonnulli defendere, ſuſtinent *a*), certo nondum adſerere audeo.

a) V. *Promtuarium Hamburgenſe* P. *XVII.* p. 133 *ſeqv.* It. F. B. V. LINDERN *Speculum veneris cap.* 3.

audeo, ſed, dolum potius aut prægreſſæ infectionis ignorationem ordinario ſubeſſe, credo.



CAP. IV.

DE IMPOTENTIA VIRILI.

---

§. I.

IMPOTENTIA VIRILIS duplex eſt, altera nimirum *Impotentia coeundi*, altera *Impotentia generandi*. Hæc ſæpius liquoris genitalis, illa ſæpius mentulæ vitia cauſſas proximas agnoſcit: Sæpius tamen, dico, non ſemper; inter poſteriora enim multa occurrunt, quæ nonſolum congreſſui decenti, ſed ipſi etiam ſobolis procreationi impedimento ſunt.

§. II.

Ad vitia *colis* atque *ſcroti*, quæ coitum vel plane impediunt, vel vario tamen reſpectu difficillimum, imperfectum, aut adeo

 incon-

incongruum reddunt, ut semen emitti, aut debite ad minimum immitti nequeat, praeter situm mentulae in loco plane insolito et inconvenientem illius perforationem, deficiens quoque eiusdem erectio, nec minus gravior paraphimosis aut phimosis cum arcta praeputii et balani cohaesione, aut omnimoda orificii urethrae clausura, nimia itemque praeputii angustia naturalis et inde oriens capistratio, vel excedens etiam eiusdem longitudo *a*), tortuositas magna sive curvatura priapi, vel connata, vel spasmo vehementi aut alia laesione inducta, nimia porro

a) In Aegypto, Arábia, pluribusque calidioribus Asiae et Africae regionibus creberrime insolita prorsus praeputii longitudo apud pueros observatur, quae, testantibus scriptorum nonnullis, persaepe tanta existit, ut penitus ad coitum futurum, nisi circumcidantur, inepti fiant; unde multi etiam, circumcisionem apud gentes hasce olim non religioso tantum, sed medico pariter respectu susceptam esse, et hodienum suscipi, non absque solidis rationibus statuunt. Conf. IO. FRID. BAVERI *Diss. de Caussa foecunditatis gentis circumcisae in circumcisione quaerenda*, §. 18.

porro eiusdem membri craſſities aut nimia brevitas, vel ingens atque ſpasmodica verſus abdomen cum magna corrugatione et abbreviatione retractio, ut et grandior oſcheocele, hydrocele atque ſarcocele, auctior hydrops ſcroti et plura alia, quæ fuſius apud MARTINVM SCHVRIGIVM a) et ſingulos *Medicinæ forenſis* ſcriptores videri poterunt, ſpectant; vitiis *liquoris genitalis* autem, quorum uberior quoque recenſio et explicatio in libris memoratis quærenda eſt, *defectus* maxime, *inertia nimiaque aquoſitas*, et *ulceroſa aliaque corruptio eius* accenſeri merentur.

§. III.

Cauſſæ, tum allegatæ variæ conformationis vitioſæ, tum cæterorum quoque coitus regularis impedimentorum, partim ad pravam matris gravidæ imaginationem et multiplices alias embryonis in utero deliteſcentis læſiones redeunt, nec hoc igitur loco ulteriori explanatione indigent, partim hinc

a) In *Spermatologia hiſtorico-medica* Cap. 10. p. 451. *ſequ.*

inde ſub ſpeciali affectionum prædictarum aliarumque tractatione recenſitæ leguntur: Quod reliquas vero attinet, quæ priapo erigendi impotentiam, aut ſeminis prolifici defectum inducunt, vel huic poſteriori corruptam qualitatem conciliant, de iis longum quidem catalogum ſubiungere poſſem; verum, ne circa momentum, alibi ſtrictius evolvendum, prolixior ſim, atoniam duntaxat aut veram paralyſin membri virilis, inediam itemque diuturnam, moerorem aliasque anxias animi ſollicitudines, aſſidua ſtudia profunda, prægreſſam libidinis intemperantiam, prægreſſas evacuationes immodicas, hæmorrhagias v. g., diarrhoeas colliquativas, ſudores enormes &c., nec non morbos præſentes aut antecedentes, ſuccos vitales magnopere ſuffurantes, phthiſin nempe, febres malignas, hydropem &c., ut et vulnera capitis, cirſocelen, defectum et ſcirrhoſam teſtium indurationem, irrita ac valde torminoſa molimina hæmorrhoidalia et gonorrhoeam ulceroſo - virulentam nominaſſe ſufficiat.

§. IV.

§. IV.

Ex præmiſſa ætiologia cuivis facillime patebit, non prognoſin tantum, ſed medendi quoque methodum, ob maximam cauſſarum diverſitatem, mirifice variare, et aliam impotentiæ virilis ſpeciem tranſitoriam, aliam perennem, aliamque rurſus curabilem, aliam incurabilem eſſe. Nam ſi connata aut adſcititia conformationis vitia tanta reperiuntur, ut nulla arte tolli poſſint, ſi morbi quoque chronici et rebelles, phthiſis v. g. confirmata, hydrops adultior, perfecta teſtium induratio ſcirrhoſa &c., radicalem vel omnem haud raro medelam reſpuentes, adſunt, nihil plane ſperandum eſt; ſecus ex adverſo iudicare et rediturae potentiae ſpem concipere licet, quando phimoſis tantum, paraphimoſis, chorda venerea, gonorrhoea virulenta, atonia aut levior mentulæ paralyſis, hydrops ſcroti, herniæ, penuria fluidi nervei cæterorumque ſuccorum laudabilium, ſeminis aquoſa aut viſcida inertia et morbi ſimiles, qui ope artis medicæ aut chirurgicæ ſæpiſſime iterum ſanantur, impotentiam coeundi aut generandi producunt.

§. V.

De curatione impotentiae, quae, tanquam merum duntaxat symptoma, phimosi, paraphimosi, chordae venereae, gonorrhoeae virulentae, herniis, hydropi scrotali aliisque morbis iuncta reperitur, nihil hoc loco afferam, sed illam solummodo, quam caussae posteriores, atonia nempe ac levior priapi paralysis, penuria succorum laudabilium et seminis inertia, postulant, quaeque intuitu internorum medicaminum parum differt, breviter exponam. Duplici autem haec ipsa indicatione, *spirituum* nempe *aliorumque succorum laudabilium restitutione*, et *roboris in solidis reductione* atque *augmento* nititur. Primae indicationi non tantum *analeptica alimentosa*, hinc inde saepius dudum recensita, iuscula v. g., ex carne vitulina, gallinarum, caponum, cancrorum fluviatilium &c., cum pineolis, pistaceis, amygdalis dulc. excort., et flavedine corticis citri, mace aliisque mitioribus aromatibus in PAPINI lebete parata, ova sorbilia recentia, lacticinia, placentae amygdalinae, panis mellitus, ostreae, cochleae, dactyli carnosi, choccolada, vinum dulce Hispanicum aut Canariense &c., sed

strictius

ſtrictius quoque *ſic dicta aphrodiſiaca*, quae feminis orgaſmum intendunt ac modice ſtimulant, cinnamomum v. g., macis, cardamomum minus, nux moſchata in India condita, zingiber itidem in India conditum, crocus orientalis, electuaria ex ſyrupo cinnamomi, corticis citri, ſucco granorum chermes, brodio nucis moſchatae, et zingiberis cond., ſpeciebus aromat. roſ., diaxylaloes, diambrae, diacinnamomi, dianthos, oleo citri Italico, electuarium diaſatyrionis, ſtomachicum cum cinnamomo, rotulae ſtimulantes Mynſ., confectio alkermes et ſimilia dicata ſunt; obtinendae alteri autem quaevis *roborantia nervina*, tam interna, quam externa, mixturae v. g. concentratiores ex eſſ. ligni aloes, meliſſae, cort. citri, aurantiorum, cinnamomi et tinctura martis pomata, pilulae ex gummi galbano dep., myrrha genuina, balſamo Tolutano et Peruviano, extracto cardui bened., pulvere cinnamomi, croci et oleo deſt. rorismarini, caryophyllorum &c., electuaria ex praedictis ſyrupis et ſpeciebus aromaticis, morſuli ex ſacharo, flavedine corticis citri, cinnamomo, granis chermes et cortice Peruviano, nec minus pro externo

uſu *linimenta* ex ſpiritu formicarum, liliorum convallium, lavendulæ, rorismarini, aqua cephalica imp., aqua maſtichina, balſamo vitæ &c., quibus coles æque ac regio pubis ſubinde inunguntur, inſerviunt. Circa internorum cæteroquin ſtimulantium uſum paucis adhuc notandum venit, modice illa, præſertim apud ſubiecta macilenta, nec prius quoque, quam ſufficienti ſuccorum laudabilium quantitate reſtituta, exhibenda eſſe, ne, deficiente materia ſeminis, priapiſmum doloroſum, aut mictum cruentum excitent, vel alio modo corpori noceant.



CAP. V.

DE DEFECTV, SVPPRESSIONE ET EMANSIONE FLVXVS MENSTRVI.

---

§. I.

Differentia quædam DEFECTVM, SVPPRESSIONEM et EMANSIONEM FLVXVS MENSTRVI intercedit: *Defe-*

ctus

ctus nimirum dicitur, quando apud virginem, quae menstruam hanc cruoris excretionem per muliebria antea nondum experta est, varia quidem ad illam molimina, dolores nempe tensivi in dorso, osse sacro, regione pubis et abdomine, quibus, irrito naturae conamine, sese graviora tandem pathemata, vehementiora v. g. ventris tormina, intumescentia atque durities abdominis, nausea atque conatus vomendi, palpitatio cordis, respiratio difficilis, cephalalgia, odontalgia, vertigo, pallor faciei, lassitudo omnium membrorum aliaque plura associant, sine optato tamen, uti dictum, excretionis successu oriuntur: *Suppressio* vero audit, quoties apud virginem aut foeminam non gravidam fluxus memoratus, qui antea pluries dudum aut semel ad minimum adfuit, solito tempore erumpere rursus desinit, et post brevius itaque aut longius intervallum symptomata praedicta sequuntur: *Emansio* denique appellatur, si fluxus hic, vel nonnaturaliter et per novem duntaxat menses apud gravidas, vel naturaliter atque constanter apud foeminas, senio proximas, cessat.

§. II.

§. II.

Suppressio non minus, quam defectus fluxus menstrui proxime a *magis minusve refractaria obstructione* oritur, quam arteriolae uteri seroso-lymphaticae, quae sanguinem abundantem ex arteriis strictius ita dictis post sufficientem sui dilatationem recipere, transmittere, et in caveam matricis effundere debent, patiuntur, quamque modo *spasmus insolentior* aut tamen *rebellis*, modo *sanguis crassus*, *viscidus*, *mucosus*, *densus*, *grumosus* et *similis vitiosae qualitatis humores seroso-lymphatici* efficiunt. Nec reticeri quoque oportet, humorum crassitiei *partium solidarum atoniam* saepissime iunctam esse, eamque multum pariter ad formandam, conservandam, et augendam obstructionem memoratam tam directe, quam indirecte conferre.

§. III.

Spasmus uteri modo sanguinis ac lymphae vitiis stipatus est, modo citra illa exoritur, adeoque simplex saltim ac solitarius existit: Hunc terror inprimis et magna aut subitanea abdominis pedumque refrigeratio, illum iracundia gravior, et retentae aut denuo

nuo ex corporis ſuperficie retropulſæ et refractarie poſtmodum in uteri vaſculis ſubſiſtentes impuritates ſcorbuticæ, purpuratæ, ſcabioſæ, rheumaticæ, arthriticæ &c. excitant. Cauſſæ procatarcticæ tum atoniæ partium ſolidarum, tum craſſitiei, lentoris, ac muciditatis multo adhuc numeroſiores ſunt, et moeror maxime, curæ, triſtitia, vita ſedentaria, ſomnus nimius, defectus potus ſufficientis, eſculenta craſſa, viſcida, dyſpepta, acida rudiora &c., intemperies aeris humida, crebrior tranſpirationis cutaneæ ſuppreſſio, frequens puerperium, lactatio diuturna, neglecta adſveta venæſectio periodica, abuſus ſudoriferorum et purgantium fortiorum, diarrhoeæ criticæ intempeſtive cohibitæ, et febres intermittentes præmaturo adſtringentium uſu ſuppreſſæ accenſeri merentur.

§. IV.

Obſtructio catameniorum, a ſpasmo duntaxat ſolitario oriunda, interdum ſatis facile tollitur: Sin geneſin vero ſuam eminentiori partium ſolidarum atoniæ, et viſcidis aut mucido-acribus humoribus debet, et ſuppreſſio præterea valde dudum inveteravit,

vit, ad morbos admodum refractarios spectat, et multas rursum ac varias aegritudines alias, quarum nonnullae necem patientibus haud raro inferunt, hydropem videlicet, chlorosin, haemoptysin, vomitum mictumque cruentum, phthisin pulmonalem, hecticam, vel subinde etiam epilepsiam, apoplexiam, catarrhum suffocativum &c. producit.

§. V.

Curatio huius obstructionis, sive defectus audiat sive suppressio, pro indicato distincto caussarum genio, differt. Si spasmus enim solitarius citra singularia humorum vitia culpam sustinet, sola saepius *pediluvia*, *insessus uterini*, *semicupia*, *clysmata emollientia*, *venaesectio in pede*, et pro interno usu *iuscula* avenacea tenuiora, *decocta* tepida hordeacea et avenacea cum radice graminis, althaeae &c., *pulveres* ex lap. cancrorum, tartaro solubili, succino et nitro depurato, *electuaria*, parcius tamen exhibita, ex oleo amygdalarum dulcium recentissimo, pulvere rhabarbari et pauxillo croci, aliaque mitiora relaxantia et antispasmodica sufficiunt. Eadem quoque, praesente simul spasmo et biliosa acrimonia,

acrimonia, poſt graviorem iracundiam in ſanguinem translata, adhiberi poterunt, ita tamen, ut emollientia parcius, nitroſa ex adverſo aliaque temperantia largius in uſum trahantur.

§. VI.

Aliter rurſus medela adornari debet, quando retentæ aut retroactæ impuritates acres aut mucido-acres in uteri mæandris quieſcunt, vel atonia partium ſolidarum eidemque ordinario iuncta craſſities, viſcoſitas, denſitas, coagulum, grumoſitas ſanguinis obſtructionis cauſſæ exiſtunt. In caſu enim priori, præter *venæſectionem in pede, laxantia mitiora* et quamplurima *diaphoretica, diuretica, antiſcorbutica ſanguinemque purificantia* reliqua, interne nimirum decocta et infuſa theiformia ex rad. glycyrrhizæ, ſcorzoneræ, althææ, ſaponariæ, ſarſaparillæ, ligno Guaiaco, ſaſſafras, herba meliſſæ citr., hederæ terreſtris, veronicæ, flor. rorismarini, flavedine cort. citri, et ſem. foeniculi, nec minus, expellendi fine, morſuli antimoniales et pulveres ex lap. cancrorum, ſale de Seignette, borace Veneta, nitro dep. et camphora

aut

aut sulphure antimonii aurato optimo, externe vero *pediluvia*, *insessus uterini*, et *balnea uteri vaporosa balsamica* ex rad. levistici, imperatoriae, herba menthae crispae, rorismarini, abrotani, herba et flor. matricariae, flor. chamomillae Rom. calendulae, baccis lauri, iuniperi, sem. nigellae Romanae &c. prosunt: In casu posteriori autem non tantum *venaesectio in pede* et *cathartica*, mercurio dulci largius remixta, aut salsa amara, sed *potentiora* etiam *attenuantia*, *purificantia*, *roborantia*, tandemque, praeparatione nimirum peracta, *emmenagoga validiora*, v. g. pulveres ex salibus mediis, nitro, borace Veneta, succino, cinnamomo, radice irid. Florent., croco orientali, sulphure antimonii aurato &c., pilulae ex gummi ammoniaco, galbano, myrrha genuina, aloe violata, extractis amaris et mercurio dulci, pilulae Becherianae et Stahlianae, mixturae, ex terra foliata tartari, floribus salis ammoniaci, extr. angelicae, chamomillae vulg., cent. minoris &c. cum vino paratae, posteaque cum essentia succini, croci, rhabarbari, pimpinellae albae, tinctura antimonii &c. remixtae, infusa vinosa ex rad. angelicae, galangae, diptamni albi, canella alba,

cinna-

cinnamomo, flor. rorismarini &c., huiusque commatis plura, nec minus pro externo usu prædicta *balnea uteri vaporosa balsamica*, ut et, eminentiori nempe fibrarum laxitate præsente, *suffimigia* ex gummi anime, elemi, tacamahaca, benzoe, baccis iuniperi, herba sicca rorismarini &c. generaliter commendanda veniunt.

§. VII.

Circa præmissa cæteroquin probe adhuc notari oportet, *remedia pellentia* non statim initio curationis, sed primis viis debite prius purgatis, debitaque humorum resolutione, edulcoratione, aliave præparatione peracta, exhibenda esse. Idem monitum circa *derivatoriam* pariter *venæsectionem in pede* valet, quippe quæ paucis duntaxat diebus ante solennem antea fluxus suppressi eruptionem, vel in defectu post sufficientem demum resolventium usum institui debet. Sed loquor solummodo de venæsectione derivatoria: Nam *evacuatoria*, quæ saltim ad plethoram imminuendam et symptomatum atrocitatem mitigandam necessaria reperitur, initio protinus et ante

pharmacorum calidiorum atque exagitantium usum administrari potest ac debet.



CAP. VI.

DE FLVXV MENSTRVO NIMIO ET ANOMALO.

§. I.

FLVXVS MENSTRVVS duplici respectu NIMIVS dicitur. Primo nimirum, quando sanguis, iusto quidem tempore erumpens, nimia quantitate nimioque impetu excernitur, ac corpori proinde maior aut minor imbecillitas inducitur, et deinde, si fluxus hic, licet quoad menstruum suum reditum itidem regularis sit, nimis diu protrahitur, et hoc pacto modo corpori plus sanguinis, quam citra magnam sui debilitationem amittere potest, detrahitur.

§. II.

Imminentem immodicum hunc catameniorum fluxum non tantum varia pathemata,

mata, ſiccitas v. g., oris, reſpiratio difficilis, anxietates praecordiales, dolores abdominis, praeſertim circa os ſacrum, tenſivi ac conſtrictorii, gravitas artuum, laſſitudo totius corporis, ebullitiones ſanguinis, vagae horripilationes ac phlogoſes &c., praecedunt, ſed multa etiam eundem, ſi impetuoſior ſit aut diutius perduret, aut ſaepius recurrat, ingens videlicet virium deiectio, proſtratio adpetitus, pallor faciei, vertigo, animi deliquia, dolores perennes lumborum, abdominis ac pubis, palpitatio cordis &c., ſequuntur, immo, malo rebelli exiſtente, tandem ſumma ſpirandi difficultas, tabes corporis univerſalis, febris lenta et hectica exitioſa, vel ſubinde etiam hydrops aſcites aut leucophlegmatia ſuperveniunt.

§. III.

Cauſae proximae interdum cum vix explanatae ſuppreſſionis cauſſis multa communia habent, interdum vero differunt. Apud alia enim ſubiecta *venarum uteri reducentium*, aut *viſcerum imi ventris obſtructio*, apud alia *inſignior vaſculorum excernentium laxitas*, et apud alia denique *plethora commota*, aut *ſimplex ſaltim, aſt valde ſimul vehemens cruoris*

 rare-

rarefactio adcusanda est. Nec penitus praeterea ignorari debet, *magnam vasorum uteri erosionem* nonnunquam, licet rarius, praecipuam nimii effluxus causam constituere, eamque utplurimum abortum difficiliorem, vel molae grandioris exclusionem, vel diuturniorem, nunc totalem, nunc partialem, placentae post partum retentionem ac corruptionem putredinosam subsequi.

§. IV.

Generandis commemoratis caussis proximioribus, praeter ea, quae in antecedente pridem capite inter procatarcticas obstructionis causas relata fuerunt, iracundia inprimis et aliae vehementiores animi commotiones, speculationes venereae vividiores, motus corporis excedens, potulenta spirituosa largius hausta, alimenta, aromatibus calidioribus, aliisque additamentis acribus nimium condita, neglecta adsueta plethorae ventilatio periodica, clysmata atque suppositoria acriora, purgantia, sudorifera et fortiora inprimis emmenagoga, nec non balnea emollientia, frequentius antea, scopo vario, usurpata, nec minus coitus nimius, praegressus partus diffi-

cilis

cilis et crebrior abortus famulantur: Vt nihil de inquinatione humorum ſcorbutico-purpurata dicam, quae haud raro non occaſionalis ſolum, ſed efficiens pariter rebellis fluxus immodici cauſſa evadit.

§. V.

Curatio partim *venæſectione revulſoria in brachio* et *pharmacis temperantibus*, partim *reſolventibus* atque *aperitivis* expedienda eſt. Temperantia, aquea ſcilicet, acidula, et nitroſa, ſpecialius pridem in *Cap. generali de Hæmorrhagiis* §. 10., et ſub plurium aliarum aegritudinum medela recenſita occurrunt; ex claſſe reſolventium et aperientium vero illa tantum, quae tuto ac blande operantur, nec ullum ſub actione ſua ſanguinis orgaſmum excitant, ſalia nimirum media, cum terreis abſorbentibus, radice poeoniae, nitro &c. ad pulveris, vel cum hiſce etiam et aquis deſtillatis atque ſeminibus quatuor frigidis maioribus aut minoribus ad emulſionis, vel ſaltim, ſeminum additione omiſſa, ad potiunculae formam redacta, ſeligenda ſunt. Hiſce interdum, ſi atonia nempe atque laxitas vaſculorum uteri excernentium cauſſam prae-

cipuam conſtituit, vel cruoris etiam eruptio nimis impetuoſa atque rebellis eſt, *tonica* quaedam et *adſtringentia*, v. g. corallia rubra ppta, ſpecies de hyacintho, crocus martis aperitivus STAHLII, tinctura coralliorum, martis pomata &c. addi, vel interponi debent. Monendum tamen, circa adſtringentium uſum maxima circumſpectione opus eſſe, ne, refractaria forſan imi ventris viſcerum obſtructione praeſente, ſanguis, poſt ſubitaneam fluxus cohibitionem tum egredi amplius tum libere regredi neſciens, gravia pathemata concitet, aut novum magisque periculoſum in loco plane incongruo, pulmonibus v. g., ventriculo &c., exitum quaerat. Ceſſante fluxu, a praedictorum temperantium et aperientium adſumtione non ſtatim deſiſtendum eſt, ſed illa adhuc aliquamdiu uſurpanda et per intervalla leniores quoque pilulae abſtergentes ex gummi ammoniaco depurato, et extracto rhabarbari atque chamomillæ vulgaris in uſum trahendae ſunt.

§. VI.

A fluxu menſium, tam nimio, quam ſuppreſſo, FLVXVS eorum ANOMALVS differt,

fert, et ita nuncupatur, 1) quando ſanguinis eruptio nullum amplius ordinem ſervat, ſed nunc ſolito citius, bis ſcilicet intra menſtruum ſpatium aut tertia ſaltim hebdomade elapſa, nunc ſolito tardius, poſt quintam videlicet aut ſextam demum hebdomadem, redit, et 2), quando ſanguis hac vice iuſto parciori, altera iuſto largiori, et alia rurſus ſufficienti quantitate excernitur. Cauſſae huius anomaliae, quae partim ex morbis praegreſſis, partim ex complicatis pathematibus et ſanguinis excreti qualitate cognoſcendae ſunt, cum fluxus nimii et ſuppreſſi cauſſis conveniunt, adeoque eandem pariter medendi methodum eademque remedia ad ſui ſublationem poſtulant.



CAP. VII.

DE FLVORE ALBO.

§. I.

Flvor albvs, alias etiam *Gonorrhoea muliebris*, itemque *Leucorrhoea*

(a λευκὸν, album et ῥέω, fluo) dictus, est periodica aut plane indesinens humoris seroso-pituitosi, albidi, vel subflavo- aut viridiusculo-albicantis, nunc, instar albuminis ovorum, viscidioris minusque acris, nunc tenuioris magisque erodentis, per muliebria excretio.

§. II.

Merito hic fluor in *nonnaturalem* atque *perfecte præternaturalem*, et hic rursus in *vulgarem benigniorem* et *graviorem scorbuticum* dividendus est. Nonnaturalis interdum apud foeminas plethoricas, senio dudum proximas, cessanti fluxui sanguinis menstruo succedit, nec perpetuus itaque, nec vagus, nec irregularis, sed menstruus regularis est, et catameniorum vices subire videtur: Præternaturalis ex adverso sive vere morbosus, qui ordinario cum mensium imminutione aut plenaria obstructione coniunctus est, et viduis inprimis, sterilibus, habitusque cachectici, et phlegmatici temperamenti subiectis familiaris deprehenditur, persæpe, apud iuniores æque ac seniores foeminas, partim ab *uteri imbecillitate* et *eminentiori arteriolarum excernentium*

tium ſeroſo-lymphaticarum nec non *glandularum vaginæ laxitate*, partim a *ſanguinis* ac *lymphæ craſſitie* et *ingenti muciditate*, quibus, ſi ſcorbuticus exiſtit, *copioſa* ac *magna acrimonia* ſociata eſt, proxime oritur.

§. III.

Ad cauſſas procatarcticas ſingula quidem referri poſſunt, quæ fluxum menſtruum minuere, ſupprimere, aliove modo turbare valent, ſpecialius tamen hoc loco frequens refrigeratio pedum et abdominis, diuturna habitatio in loco humido-frigido, eſculenta craſſa, viſcida, nimium ſalſa ac fumo indurata, potus parcior, vel etiam nimius liquidorum tepidorum, infuſorum v. g. theiformium, decocti coffee, choccoladæ &c., vita ſedentaria, moeror, triſtitia, aliæque animi ſollicitudines diuturnæ, coitus excedens, abuſus balneorum emollientium, purgantium fortiorum et emenagogorum, frequens abortus, prægreſſus partus difficilis, dyſcraſia humorum ſcorbutico-purpurata, et cachexia nominari merentur.

§. IV.

Fluor albus benignior, præſertim periodicus, propter temperatiorem humoris effluentis indolem, non adeo ſingularia incommoda parit, difficile nihilominus curatur, et tandem quoque, ſi patientes diætæ regulas ſpernant, et ſucci ideo maiorem ſucceſſive acredinem contrahant, deterior, et, æque ac gravior ſcorbuticus, continuus ac valde moleſtus evadere poteſt. Nam, humoribus acrioribus redditis, et corrupti liquoris effluxu citra intermiſſionem accidente, non pudenda ſolum valdopere eroduntur, et magnus præcipue dolor ardens ac morſicans ſub lotii excretione et poſt eam percipitur, ſed, ob nimiam quoque liquidi ſeroſo-lymphatici iacturam, totum corpus adeo debilitatur, ut ſingula membra inſignem laſſitudinem ſentiant. Accedunt quoque pallor faciei, oculi triſtes ac concavi, inappetentia ciborum, dolores pubis, dorſi atque lumborum, inflatio abdominis, intumeſcentia pedum, et ipſius nonnunquam uteri aut vaginæ prolapſus, coeundi præterea deſiderium decreſcit, aut penitus extinguitur, et concipiendi potentia minuitur, aut plane perit, im-

mo

no haud raro accidit, ut malum hoc, irrita prorsus medela et magis in dies magisque invalescente humorum corruptione, tandem in cachexiam et hydropem intercutaneum, aut ascitem, aut hecticam atque phthisin pulmonalem transeat.

§. V.

Ad sanandum hunc morbum initio curae ea maxime, quae corpus probe purgant, et praedicta sanguinis ac lymphae vitia, mucilitatem nempe et acrimoniam vulgarem aut scorbuticam corrigunt, requiruntur, deinde autem roborantia necessaria sunt. Quare medelae exordium, si magna scilicet plethora adest, cum *phlebotomia in pede* fieri, posteaque *laxantia* et *cathartica*, v. g. radix ipecacoanhae, rhabarbarum, infusa aquosa ex manna, rhabarbaro, et sale de Seignette, pilulae ex extracto catholico aut panchymago Crollii cum mercurio dulci &c., et, hisce praemissis, ac saepius per intervalla, si necesse fuerit, interpositis, *attenuantia, abstergentia, temperantia*, et *sanguinem purificantia*, pilulae nimirum ex terebinthina lota, gummi galbano et ammoniaco depurato, myrrha genuina,

nuina, aloe violata aut rosata, balsamo Tolutano et Peruviano, extr. cardui benedict. cent. minoris, trifolii fibrini, scordii, chamomillae vulgaris, angelicae, pulvere cort. cascarillae, croco, sulphure antimonii aurato &c. electuaria ex syrupo de erysimo LOBELII, de hyssopo, rob iuniperi, extractis amaris, pulvere rhabarbari, cascarillae &c., morsuli antimoniales KVNCKELII, tincturae diffusiores ex extractis amaris, terra foliata tartari et vino, mixturae concentratiores spirituosae ex tinctura antimonii, lignorum, scordii, succini, trifolii fibrini, enulae, pimpinellae albae &c., ut et eiusdem virtutis decocta et infusa, tam vinosa, quam aquosa theiformia, alibi saepius commendata et specialius descripta, in usum trahi debent.

§. VI.

Depuratione peracta, purificantium usus non penitus quidem cessare debet, iisdem tamen *roborantia* quaedam *potentiora* et *subadstringentia*, quorum aliqua dudum mentio in capite antecedente facta fuit, circumspecte addenda aut interponenda sunt. Externe praeterea roborandi scopo *suffimigia*

ex

ex succino, gummi elemi, tacamahaca, olibano, mastiche, baccis iuniperi, herba rorismarini &c. conveniunt, nec apud ea pariter subiecta, quae propter continuum materiae acrioris effluxum de magna ac valde dolorosa pudendorum erosione conqueruntur, *demulcentia*, v. g. unguenta ex oleo infuso liliorum alb., chamomelino, verbasci, mucilagine seminis psyllii &c., epithemata, ex rad. althaeae, liliorum alborum, flor. malvae, sambuci, chamomillae vulgaris &c., cum lacte coctis, parata, ac tepide partibus erosis adplicata, aliaque huius census plura, negligenda sunt.

§. VII.

Cum hactenus exposito fluore albo, strictius aut proprie ita dicto, GONORRHOEAM VIRVLENTAM VENEREAM, quam multi etiam *Fluorem album malignum* vocant, medicum minime confundere oportet. Nam haec posterior unice *concubitu impuro* contrahitur, et ab *exulceratione vaginae uteri* &c. oritur, adeoque non originis captum ac caussae intuitu, sed valde pariter quoad genium, symptomata atque curationem a fluore albo vulgari differt, et sequentibus

tibus inprimis criteriis dignoſcitur. In virulenta nimirum gonorrhoea venerea humor initio ſtatim ſeroſo-ulceroſus, valde cauſticus et ſubflavi, ſubviridis, quin interdum fuſci prorſus coloris eſt, nec unquam, ipſa etiam purgatione menſtrua ſuperveniente, promanare deſinit, in fluore albo vulgari autem initio et per ſatis longum ſubinde tempus ſolummodo albicans, viſcidior, ſeroſo-lymphaticus, erodentisque acredinis expers reperitur, et adveniente ac durante excretione ſanguinis menſtrua ſemper fluere ceſſat, poſteaque redit. In gonorrhoea virulenta praeterea pathemata, ſupra §pho IV. memorata, fluori albo nunquam complicantur, ſed eorum loco ingens pudendorum eroſio, atque exulceratio, inflammatio labiorum, nympharum atque clitoridis, quin tanta nonnunquam orificii vaginae inflammati conſtrictio, ut *phimoſis muliebris* vocari mereatur, accedunt. De curatione nihil addo, quoniam quoad methodum non minus, quam medicamenta, tam interna, quam externa, virulentae gonorrhoeae virilis curationi ſimillima eſt.

CAP.

* * * * * * * * * * * * * * * * *

CAP. VIII.

DE
ASSIONE HYSTERICA, ET FVRORE VTERINO.

§. I.

PASSIO HYSTERICA, *Malum hysteri-cum*, *Hysteralgia* (ab ὑςέρα, *uterus* et λγέω, *doleo*) eſt affectus uteri, meſenterii t partium connexarum ſpasmodico-dolo-ificus, qui, cauſſæ formalis non minus, quam aterialis intuitu, cum paſſione hypochon-riaca maximam partem convenit, et eadem roinde pathemata, multo tamen utpluri-ıum acerbiora, comites adducit *a*).

§. II.

Inter ſymptomata, eaque frequentiora, ræter tormina uteri ac ventris inferioris, cru-

a) Scriptorum medicorum permulti nullum plane diſcrimen inter paſſionem hyſtericam et hypochondriacam faciunt: At, aliquam omnino differentiam adeſſe, certo certius eſt, quoniam

cruciatibus colicis valde utplurimum ſimilia, obſtructio aut ſegnities alvi, murmura in inteſtinis ſeu borborygmi frequentes, cum magno nonnunquam eiulatu coniuncti, dolores dorſi tenſivi ac lancinantes, diſtentio hypochondriorum, profunda umbilici ſub torminibus retractio, ſenſus globi cuiusdam, ex imo ventris verſus ventriculum adſcendentis, anxietates præcordiales, ſpasmi cardialgici, inflatio ventriculi, ructus creberrimi, cum rugitu quodam aut vomendi conatu erumpentes, pulſatio cordis fortior aut vera palpitatio, reſpiratio difficilior et ſingularis in vertice frigoris ſenſus militant, nec raro etiam vertigo, tinnitus aurium, cephalalgia gravior, nunc vulgaris latioris ambitus, nunc arctis limitibus circumſcripta et ſub clavi hyſterici nomine nota, nec minus inverſio aut rotatio oculorum, ſtrangulatio ſeu præfocatio in gutture cum ſpirandi ac degluțiendi difficultate, ſingultus rebellis, vomitus actuales, inappetentia vel adpetitus vagus aut plane abſurdus, frigus notabile, per ſpinam dorſi

in adfectu priori uterus ſemper compatitur, quin morbum primarium ſolus perſæpe ſuſtinet.

dorsi primo assurgens, ac sese protinus per totum corpus diffundens, æstus corporis sanguinisque ebullitio, frigus plerumque excipiens, mesenterii atque intestinorum in aliquo imi ventris loco in diversæ magnitudinis globum contractio, impedita, dolorosa, nephritidemque calculosam mentiens, urinæ excretio, &c. accedunt, immo interdum vomitus cruentus, gravissima animi deliquia, cum pallore faciei cadaveroso, sudore frigido, et pulsu vix amplius aut ne vix perceptibili, aut horum loco motus convulsivi in facie et artubus, aut perfecta epilepsia, aut mentis alienatio cum furore, aut apoplexia, aut catarrhus suffocativus aliaque superveniunt, quæ nonsolum ægrotantium ærumnas augent, sed morbum subinde etiam ad exitum funestum deducunt.

§. III.

Maxime hoc malum foeminis plethoricis, melancholico-cholericis, vitæ sedentariæ deditis, et iracundiæ aliisque animi adfectibus valde obnoxiis, familiare deprehenditur, ac proxime a *vehementi uteri, mesenterii et partium connexarum contractione*

ſpasmodica dependet, quæ apud ſubiecta quamplurima *craſſitiei*, *viſcoſitati*, *ſtagnationi*, *adcumulationi*, *ac ſtaſi cruoris*, *indeque naſcentibus vaſorum uteri*, *meſenterii*, *hepatis*, *lienis*, *inteſtinorum* &c. *infarctibus*, quin *plenariis* hinc inde *obſtructionibus*, vel apud nonnulla etiam *humoribus acribus irritantibus*, nunc in ipſis partium dictarum vaſculis ſanguiferis atque lymphaticis refractarie ſubſiſtentibus, nunc ſaltim cum craſſiori colluvie flatulenta in inteſtinorum canale ſtabulantibus, vel interdum denique, apud ſubiecta videlicet admodum ſenſibilia, *vehementioribus* tantum *commotionibus patheticis* ortum debet.

§. IV.

Numerus cauſſarum procatarcticarum, quæ generandis cauſſis proximis, tam formalibus, quam materialibus, directe aut indirecte famulantur, ampliſſimus quidem eſt, hoc loco nihilominus vix opus eſſe videtur, ut ſingulæ recenſeantur, ſed potiores ſaltim, quibus vita ſedentaria, alimenta rudiora, viſcida, fermenteſcibilia, acriora, atque flatulenta, defectus potus ſufficientis, potulenta nimium ſpirituoſa, iracundia, terror, crebriores cogi-

cogitationes libidinofæ, pedum aut totius corporis refrigeratio, inconveniens abdominis compreſſio per thoraces arctiores, imminutio, ſuppreſſio, aut anomalia, fluxus menſtrui ſegnities, ſiccitas et obſtructio alvi, retentæ aut retroactæ impuritates ſcorbutico-purpuratæ, ſcabioſæ, arthriticæ &c., immo ſubinde certi odores balſamici, v. g. zibethi, moſchi, roſarum, ambræ &c., accenſeri merentur, nominaſſe ſufficiat.

§. V.

Prognoſis, ſive periculum, ſive durationem et curationis ſucceſſum ſpectes, magnopere inprimis pro differenti cauſſæ materialis ſede atque indole variat. Si irritans enim ſimulque flatulenta materia ſolummodo in inteſtinis hæret, doloroſa hæc affectio citius utplurimum atque facilius tollitur, et colica magis, quam vera paſſio hyſterica dicenda eſt: Sin refractariæ autem uteri, meſenterii, hepatis atque lienis obſtructiones aut magni infarctus cauſſam primariam conſtituant, vel acres etiam impuritates vellicantes in ipſis partium dictarum vaſculis perti-

 nacius

nacius subsistant, plus medentibus negotii facessit, aut sublata tamen facillime recurrit, et hoc posterius quoque apud subiecta valde sensibilia de illa specie, quae solis animi adfectibus supervenit, ac plus plerumque terroris, quam periculi habet, affirmandum est.

§. VI.

Curatio, sub qua attente inprimis ad negotium menstruum et animi adfectus totamque diaetae conditionem respiciendum est, duplici indicatione generali, primum nempe *insolentioris spasmi dolorifici* et deinde *caussae efficientis sublatione* aut *mitigatione*, nititur. Ad spasmum doloremque sopiendum *insessus* maxime *balneaque uteri vaporosa* et *clysmata emollientia*, immo interdum, ad plethoram minuendam sanguinemque spissum ventilandum, *venaesectio in pede*, nec minus ex internorum censu *antispasmodica* et sic dicta *specifica anthysterica*, v. g. iuscula avenacea tenuiora, cum flor. chamomillae vulg. aut rad. althaeae cocta, liquor anodynus mineralis, aut longe adhuc praestantior spiritus nitri dulcis rite paratus, nunc solus,

ſolus, nunc eſſentia croci, meliſſæ, flor. chamomillæ Rom., cort. citri et aurantiorum, caſtorei, aſæ foetidæ &c. modice remixtus, pilulæ itemque ex gummi ammoniaco, galbano, ſagapeno, aſa foetida, extracto chamomillæ vulg., millefolii, pulvere croci, oleo caieput &c., immo iracundia prægreſſa, aut notabiliori ſanguinis ebullitione præſente, pulveres et potiunculæ temperantes ac reſolventes ex abſorbente quodam, nitro, et ſale de Seignette aut tartaro ſolubili, commendanda ſunt. Probe tamen circa uſum allegatorum medicaminum notari debet, iuſcula avenacea, pulveres et potiunculas temperantes et ſpiritum nitri dulcem ſolitarium in paroxyſmo huius morbi ſemper tutum invenire locum, reliqua calidiora autem, pilulas nempe et tincturas ſpirituoſas, materia fervida snbilioſa aut magno ſanguinis orgaſmo aliove ſtatu calidiori præſente, vel plane non, vel caute admodum ac doſi valde refracta, exhibenda eſſe.

§. VII.

Sedato penitus paroxyſmo, aut valde ad minimum ſpasmi atque doloris inſolentia

mitigata, de cauſſis efficientibus radicaliter tollendis medicum cogitare et in hunc finem ea in uſum trahere oportet, quae humores viſcoſos attenuant, mixtam et ſubſiſtentem acredinem temperant, impuras quisquilias e corpore educunt, et uteri non minus, quam caeterorum viſcerum infarctus atque obſtructiones expediunt. Hiſce, quae pluries dudum in hoc compendio expoſita leguntur, congrua diaeta iungenda et ſedulo inprimis proſpiciendum eſt, ut animi tranquillitas ſervetur et inordinati adfectus eius, quantum fieri poteſt, vitentur.

§. VIII.

FVROR VTERINVS, graece *Nymphomania* (a *νύμφη*, *nympha* et *μανία*, *furor*), ut et *Hyſteromania*, (ab *ὑστέρα*, *uterus* et *μανία*) dictus, eſt inſanum, anxium ac plane nonnunquam inſatiabile coeundi deſiderium, ab aſſidua ac vehementi partium genitalium, praeſertim clitoridis, irritatione proxime dependens.

§. IX.

Memorata aſſidua ac vehemens partium genitalium irritatio utplurimum quidem a con-

continuo largiſſimoque lymphæ vaginalis, nimium ſpirituoſæ aut *acrioris, adfluxu* oritur, ſubinde nihilominus, ſicuti obſervationes teſtantur, *tumida* pariter *clitoridis inflammatio*, quæ veram quandoque *Cercoſin* mentitur, et plerumque cum febrili ſanguinis commotione coniuncta reperitur, inſanæ huius cupiditatis venereæ cauſſa exiſtit. Occaſionem cæteroquin cauſſis hiſce, præſertim prioribus, quæ frequentiores ſunt, cogitationes libidinoſæ, impudica genitalium irritamenta, potus largior ſpirituoſorum, eſus crebrior dulcium fermenteſcibilium et acrium naturæ volatilioris, abuſus aphrodiſiacorum atque aromatum et ſimilia ſuggerunt, immo levior humorum dyſcraſia ſcorbutica, paſſio hypochondriaco-hyſterica et fluxus menſtrui anomaliæ e cauſſarum procatarcticarum cenſu non penitus excludendæ ſunt.

§. X.

Exſtinguendis nimiis hiſce igniculis venereis, præter *remedia moralia*, *victumque tenuem ac potum aqueum refrigerantem*, *antaphrodiſiaca*, *antorgaſtica*, *acidula* et inſtar omnium *nitrum depuratum*, largiſſime atque

 fre-

frequentius exhibitum, inserviunt, et in certis quoque casibus *venæsectio* et quævis ea, quæ inflammationibus, acrimoniæ humorum scorbuticæ et menstrui fluxus vitiis medentur, in auxilium vocanda sunt. Vt nihil de *legitimo matrimonio* dicam, quod, malo nondum ad manifestum furorem evecto, virginibus viduisque svaderi potest.



CAP. IX.

DE PROLAPSV VTERI ET VAGINAE.

§. I.

PROLAPSVS VTERI, alias etiam *Procidentia uteri*, et *Hysterocele* (ab ὑστέρα, *uterus*, et κήλη, *tumor*) appellatus, vel *perfectus*, *completus*, *verus*, *externus* est, vel *imperfectus*, *incompletus* ac *saltim internus*. Perfectus, qui rarius tamen occurrit, ac penitus, quanquam contra experientiæ testimonia, a chirurgorum nonnullis negatur, audit, quando uterus

uterus extra genitalium limites prominet, et tumorem carnoſum, mobilem ac paullo duriorem, in quo hians orificium cum cervice conſpicitur, format: Imperfectus vero dicitur, ſi uterus ſolummodo vaginam intrat, et in parte eius anteriori obſervabilem, praecedente tamen molliorem, tumorem efficit.]

§. II.

Subinde haec procidentia cum *uteri inverſione*, ſubinde vero *citra eandem* accidit. Si citra inverſionem fit, uterus eodem, quo in corpore haerere conſuevit, ordine prolabitur, et cervix cum conſpicuo orificio ſuo locum anteriorem occupat; ſin autem cum inverſione contingat, fundus uteri per orificium ſuum, valde tunc temporis patulum, tranſit, ac citra aperturam in apice ultra genitalia propendet. Poſterior haec ſpecies nunquam, niſi ſtatim aut brevi poſt partum, naſcitur, et propendens itaque tumor carnoſus ſanguinem exſudat.

§. III.

A prolapſu uteri PROCIDENTIA VAGINAE, quae longe ſaepius obſervatur, minusque

minusque periculum habet, notabiliter differt, et facile etiam a peritis distinguitur. In prolapsu uteri enim orificium eius cum cervice, uti dictum, in apice tumoris conspicitur, in procidentia vaginae ex adverso nulla in apice tumoris apertura orbicularis seu foramen regulare in conspectum venit, et tumor praeterea comparative mollior paullulumque rugosus existit.

§. IV.

Procidentia vaginae a *sola insigniori tunicarum huius partis relaxatione*, prolapsus uteri imperfectus autem a *simili ligamentorum uteri*, praesertim *latorum*, *vitio*, et perfectus denique a *violenta prorsus eorundem ruptura*, nunc *solitaria*, nunc *simul cum laxato ruptove circa pelvim perinaeo coniuncta*, oritur: Quibus substantiae non minus quam vinculorum vitiis ac laesionibus directe aut indirecte producendis omnis nisus corporis fortior et vehemens abdominis compressio sub ponderum graviorum sublatione, sub saltu aut lapsu, praesertim retrorsum facto, sub scybalorum duriorum excretione, in partu difficili &c., violenta itemque placentae, ab utero nondum penitus solutae, quin erronea

ipsius

ipsius uteri extractio, quies debita post partum neglecta, crurumque nimia divaricatio et iactitatio, moles aquarum in abdomine apud asciticas, usus nimius unguentorum ac balneorum ad emolliendam vaginam ultimo mense ante partum, fluor albus diuturnus, status uteri tumido-scirrhosus molesque inde cum pondere aucta, ut et sarcomata grandiora, utero aut vaginæ adnata, partesque memoratas ob pondus suum e situ naturali expellentia, præ reliquis famulantur.

§. V.

Quando adfectus hi adhuc recentes sunt, et a sola tunicarum et vinculorum uteri aut vaginæ relaxatione dependent, perfecte nonnunquam, si patientes debitum præceptis medici obsequium præstent, tolluntur; Sin rupturam vero ligamentorum caussam agnoscant, aut diu neglecti fuerint, plenaria curatio in casu priori nunquam, in posteriori non facile speranda est, sed cura saltim palliativa locum habet, et summe etiam necessaria est, ne incommoda, ob partem prolapsam continuo foras propendentem, augeantur, aut ipsa mors subsequatur. Neglecta enim tempestiva repositione, spretisque reliquis auxi-

auxiliis, partes prolapſæ non tantum opus coniugale liberioremque urinæ excretionem et greſſum impediunt, ſed facile quoque intertriginoſæ et ulceroſæ evadunt, tetrumque odorem ſpirant, vel ſcirrho etiam aut inflammatione et ſubſequente gangræna ac ſphacelo, poſt breve tempus lethifero, corripiuntur.

§. VI.

Curatio tribus indicationibus, nimirum *partis prolapſæ repoſitione*, *repoſitæ in ſitu naturali retentione*, et *nova tunicarum atque vinculorum corroboratione* nititur. Repoſitio, ſi procidentia videlicet recens et pars prolapſa adhuc mollior atque ſincera eſt, nunquam diu, propter inflammationis metum, differenda, ſed quantocyus, tepido fotu emolliente præmiſſo, vel etiam citra illum, blandâ digitorum preſſione procuranda eſt: Sin pars prolapſa autem ob negligentiam iam diu foras pependerit, et inflammatio dudum, aut exulceratio, aut alia corruptio acceſſerit, repoſitio non ſtatim locum habet, ſed prædicta ſymptomata per adplicata prius fomenta, aut unguenta *diſcutientia*, *emollientia*, *demulcen-*

tia,

tia, aliaque congrua remedia, quantum fieri poteſt, corrigenda ſunt.

§. VII.

Repoſitione feliciter peracta, ægram aliquamdiu in lecto reſupinam, cruribusque paullulum elevatis atque contractis, quin faſcia deligatis, decumbere oportet, et protinus quoque, commodo prius *peſſo* ſive *retinaculo* adplicato, remedia *ſubadſtringentia* ac *roborantia*, et quidem interne, niſi imminens forſan aut præſens fluxus menſtruus aut prævia eius ſuppreſſio obſtet, mixturæ ex eſſentia travmatica WEDELII, tinctura martis pomata aut cydoniata, eſſ. balſami Peruviani, cinnamomi &c. externe autem *ſuffitus* ex gummi tacamahaca, anime, olibano, maſtiche, floribus hyperici et granatorum, *fomenta tepida* ex herba alchimillæ, rorismarini, maioranæ, ſalviæ, flor. hyperici, fol. roſarum rubr. et cort. granatorum, cum vino rubro coctis, nec minus *emplaſtra*, baſi lumborum et inferiori ſpinæ dorſalis parti imponenda, v. g. emplaſtrum ſantalinum, oxycroceum, nervinum, de tacamahaca, quibus exaltandæ virtutis gratia balſamus Peruvianus,

nus, Tolutanus et olea deſtillata nervina addi poterunt, in uſum trahi debent. *Retinacula*, quae per aliquod ſaltim tempus, vel etiam, ſi morbus perfecte amplius curari nequeat, extra lectum conſtanter in vagina detinenda ſunt, quoad formam quidem varia reperiuntur, optimi tamen *circuli* ſive *annuli* cenſentur, qui ex ſubere aut oſſe balaenae, cera alba obductis, confecti ſunt, quoniam leviores exiſtunt, et ſanguinem menſtruum libere effluere permittunt. Hiſce etiam *peculiare illud inſtrumentum* addi debet, quod figuram coni detruncati habet, et ex meris circulis ferreis mediocriter craſſis in talem figuram coaptatis, conſtructum eſt *a*).



CAP. X.

DE STERILITATE MVLIEBRI.

§. I.

STERILITAS MVLIEBRIS eſt impotentia concipiendi apud iuſtae aetatis mulieres,

a) Plura de hoc inſtrumento in GOELICKII

lieres, viri ſani ac bene conſtituti conſuetudine familiari utentes.

§. II.

Cauſæ ſterilitatis ſive impedimenta conceptionis multa omnino ac varia ſunt, et ſpecialius inprimis hoc loco magnus torpor venereus et congreſſus invitus cum nauſeâ vel citra ullam tamen appetentiam, ingens orificii uteri interni laxitas, aut diſtortio, aut fortis a nimia pinguedine compreſſio, fluor albus diuturnior, ſuppreſſio refractaria aut magna anomalia fluxus menſtrui, obſtructio tubarum Fallopii connata, vel a tumore, aut ſpasmo, aut inhærente viſcida materia dependens, hydrops, tumor ſcirrhoſus et carcinomata uteri, hydrops, ſcirrhus, aut exulceratio ovariorum, prægreſſus abuſus balneorum, fotuum aliorumque medicaminum adſtringentium, cachexia gravior, et morbi hectici pluresque alii, vires ſuccosque vitales valde ſuffurantes, immo ſubinde, uti multi quidem credunt, ovulorum immaturitas nominari

Diſſ. de Artificio novo reſtituendi precidentiam uteri veram videri poſſunt.

minari merentur, nec illa etiam, quae congressui omnimode vel magis tamen minusve, ut cercosis, aut nimia clitoridis intumescentia et elongatio, capistratio orificii vaginae inflammatorio-venerea, nimia vaginae arctitudo relativa, occlusio uteri connata, aut ab humore admodum viscoso, aut vehementi spasmo inducta, prolapsus vaginae atque uteri &c., obstant, silentio prorsus hoc loco praetermittenda sunt. Paucis caeteroquin circa caussas relatas adhuc notandum venit, earum nonnullas adeo utplurimum absconditas esse, ut apud vivas mulieres nunquam, nec semper quoque post mortem, sectione forsan instituta, certo pateant, adeoque sub investigatione unice nonnunquam dubiis coniecturis locum relictum esse.

§. III.

Prognosis iisdem difficultatibus premitur, quibus diagnosis causarum quoad partem involuta est, et medicus proinde apud individua nonnulla certo praedicere nequit, an sterilitas adhuc curabilis, an incurabilis existat: Vnde facillime pariter intelligitur, curationem non semper cum effectu et sufficienti

cienti ratione institui posse, sed eandem subinde, quod ingenue fatendum, mere empiricam fieri. Nolo igitur caussarum singulas, quas in praecedente §pho adduxi, specialius rursum attingere, quoniam earum nonnullae, uti hydrops v. g., scirrhus et exulceratio ovariorum, obstructio tubarum Fallopii &c., vel plane latent, vel etiam, ut graviora uteri carcinomata, insanabiles sunt, aliae autem, ut fluor albus, fluxus menstrui anomaliae, cachexia et varia congressus impedimenta, iam alibi pertractatae leguntur, sed paullo fusius tantum laxitatis orificii uteri et venerei torporis medelam hoc loco exponam. Prius vitium, quod saepe caussa existit, ut semen praemature et ante aurae foecundantis separationem ex utero rursus effluat, non adeo multa postulat remedia, sed interne, praemisso *laxante rhabarbarino*, medicamenta quaedam *nervina* v. g. mixturae ex ess. cinnamomi, melissae, cort. citri, aurantiorum, ligni aloes, millefolii, cort. cascarillae, castorei, succini, tinctura antimonii tartarisata aut acri &c., externe autem *suffimigia*, infundibuli ope ad uterum admissa, ex succino, gummi tacamahaca, elemi, anime, lacca, benzoes,

olibano, maſtiche, herba ſiccata rorismarini, flor. lavendulæ, baccis iuniperi &c., ſufficiunt: Corrigendo torpori venereo autem et maiori concupiſcentiæ excitandæ, præter choccoladam, vinum generoſum ac dulce Hiſpanicum aut Hungaricum, et quævis eſculenta, copioſum atque laudabilem chylum ſuppeditantia, ſic dicta *aphrodiſiaca*, v. g. electuaria ex ſyrupo cort. citri, cinnamomi, brodio nucis moſchatæ aut zingiberis in India cond., confectione alkermes c. m. et a., electuario diaſatyrionis et ſtomachico cum cinnamomo, ſpeciebus diambræ, dianthos, aromat. roſat., diaxylaloes, diacinnamomi, oleo deſtill. rorismarini, thymi, caryophyllorum, cinnamomi &c., nec non morſuli aut rotulæ ex ſacharo, pulvere cardamomi, piperis albi, cubebarum, zingiberis, canellæ albæ, rad. galangæ, macis, croci orientalis, granorum chermes &c., rotulæ ſtimulantes MYNS. et ſimilia, provide tamen ac modice uſurpata, inſerviunt, immo, *blandas* lumborum atque coxarum *frictiones* cum pannis aſperioribus aut teneris ſcopulis ſetaceis, nec non *modeſtas flagellationes* earundem partium cum urticis ſcopo nonnunquam ſatisfeciſſe, ſcriptores teſtantur.

CAP.



CAP. XI.

DE MOLA.

§. I.

Molae, quae ſubinde apud fœminas loco foetus in utero naſcuntur, ac veræ haud raro graviditatis ſuſpicionem movent, vulgo in *veras* ſeu *ſtricte tales* et *ſpurias* diſtinguuntur. Molæ veræ ſunt maſſæ fibroſo-carneæ, aut fungoſæ, oſſibus tamen penitus deſtitutæ, in quibus parvulus et adhuc integer embryo deliteſcit, aut quædam ad minimum corrupti reliquiæ cernuntur; ſpuriæ ex adverſo audiunt, quando in maſſis memoratis nulla prorſus embryonis incluſi veſtigia reperiuntur.

§. II.

Præter molas fibroſo-carneas et fungoſas, quæ ſolenniores ſunt, interdum quoque *aquoſo-membranaceæ ſpuriæ*, nec minus

 ſan-

ſanguineæ, tam *veræ*, quam *ſpuriæ*, occurrunt, quarum priores meras veſicas grandiores membranaceas, humore aqueo repletas, ſiſtunt, poſteriores vero ex coagulato ac nigricante cruore concretæ inveniuntur. Circa ſanguineas haſce neceſſario cæteroquin adhuc monendum venit, illas, ſi parvulus embryo ipſis incluſus ſit, maiori iure ad abortus, quam veras molas, referendas eſſe: Nec ignorari quoque oportet, molas, (ſi veſiculares exceperis, quæ ordinario rotundæ aut ſubrotundæ ſunt), non ſemper formam eandem, ſed modo orbicularem, modo oblongam, modo animali cuidam haud diſſimilem, &c. obtinere, ac valde pariter magnitudinis intuitu, quæ modo ovum gallinaceum, modo anſerinum, modo caput infantile æquat, quin ſuperat, diſtinctas eſſe.

§. III.

Secundum plerorumque medicorum placita *ovuli foecundatio imperfecta, a ſeminis virilis vitio*, vel *morboſa uteri conſtitutione*, vel *aliqua etiam ipſius ovuli labe* dependens, ſolita quidem atque præcipua molæ veræ cauſſa cenſetur, credo nihilominus, *præmaturam*

turam quoque *puſilli embryonis mortem* unice nonnunquam adcuſandam eſſe, immo credo, ſubinde, quanquam rarius, apud fœminas virginesque valde libidinoſas ſub vehementi atque protracto oeſtro venereo, citra ullum congreſſum, ovulum maturum ob ovario avelli, et, inde ad cavitatem uteri detruſum, molæ veræ geneſi primam occaſionem largiri poſſe. Quod molas ſpurias vero attinet, illæ plures et a præcedentibus diſtinctas cauſſas agnoſcunt, ac modo *excreſcentiæ cuidam uteri carnoſæ* aut *fungoſæ*, modo *cruori*, poſt fluxum lochialem aliamve uteri hæmorrhagiam *remanenti* poſteaque *coagulato*, modo *relictæ* poſt partum *placentæ portioni*, modo *copioſæ in utero ſaburræ viſcoſæ* &c. originem debent.

§. IV.

Initio molæ nulla certa atque diſtincta ſui criteria præbent, ſed fœminæ, molam geſtantes, cum gravidis eadem prorſus pathemata experiuntur, ceſſat quoque fluxus menſtruus et venter ſenſim intumeſcit: Deinde autem, elapſis ſcilicet quatuor menſibus, aliqua ſymptomatum diſparitas obſervatur.

 Nam,

Nam, mola praesente, tumor ventris conta-ctu paullo durior est, et magis, quam apud gravidas, versus inferiora vergit, pubemque et inguina pondere suo fortius ac saepe cum dolore premit, immo interdum massa globosa in uteri et lumborum regione tactu percipitur. Post quartum praeterea mensem, quo foetus sese identidem absque gravidae molestia movere incipit, vel nullus omnino motus, vel saltim tremulus ac palpitans in utero sentitur, et massa ponderosa, nisi arctius forsan uteri lateribus adcreta sit, pro vario corporis motu modo dextrorsum, modo sinistrorsum provolvitur, totaque in latus, in quod patiens decumbit, delabitur, in mammis porro, solito apud gravidas tempore, nullum lac observatur, viresque sensim magis deiiciuntur, respiratio difficilior evadit, et maiores per intervalla dorsi inguinumque dolores superveniunt. Haud raro nihilominus, ut verum ingenue fatear, et foeminas et medicos signa memorata fallunt, praesertim si mola et embryo vivus, uti interdum fieri consuevit, iunctim in utero haereant, et molae igitur ac verae graviditatis criteria invicem commisceantur. Durat tunc incerti-

tudo

tudo hæc, donec tandem fœtus ſolus, vel ſimul cum mola, excluditur.

§. V.

Apud ſubiecta iuniora ac vegeta molæ minores mobilesque facilius, citius, et poſt paucos plerumque menſes a natura, præviis doloribus et hæmorrhagia, eiiciuntur, rariſſimeque vel nunquam ultra annuum ſpatium in utero commorantur, apud annoſiora vero atque debilitata pertinacius, per duos ſæpe pluresve annos, hærent, quin plane nonnunquam, præſertim ſi utero arctius adnatæ, aut dudum grandiores factæ fuerint, cum iisdem commoriuntur. Quando mola ſimul cum fœtu in utero deliteſcit, non tantum prædicta ſymptomata moleſta fluxusque uteri heteroclitos excitat, ſed fœtum quoque, nutrimentum ſuffurando, debilitat, adeoque ipſius haud raro abortus cauſa evadit.

§. VI.

Circa curationem molarum medicus cautiſſime procedere, ac plus ſæpe ipſi naturæ, quam arti ſuæ committere debet. Si clarius enim aut obſcurius ex ſignis adductis

constat, molam simul cum foetu in utero hospitari, expellentia nullum prorsus locum inveniunt, sed consuetum partus tempus tranquilliter exspectandum, et, fœtu demum excluso, de molæ, subinde in utero remanentis, eductione cogitandum erit: Sin sola autem mola adsit, nec sponte post tertium aut quartum mensem a natura exturbetur, *leniora emmenagoga*, cuius census pilulæ sunt ex gummi sagapeno, ammoniaco, myrrha genuina, aloe violata, extracto cent. minoris, pulvere croci, sulphure antimonii aurato optimo, oleo cinnamomi &c., pilulæ itemque Stahlianæ et Becherianæ, nec minus electuaria ex syrupo de cinnamomo, rob iuniperi, pulvere iridis Flor., rhabarbari, croci orient., succini et sulphure antimonii aurato, mixturæ ex spiritu nitri dulci rite parato, eff. succini, croci, cinnamomi &c., identidem exhiberi, et *balnea* quoque *uteri emollientia* in auxilium trahi possunt. Nec statim quoque post molæ eiectionem a medicamentorum usu desistendum est, sed aliquamdiu adhuc, ad uterum repurgandum, *laxantia mitiora* et *blanda purificantia balsamica* adhiberi debent.

CAP.



CAP. XII.

DE ABORTV.

§. I.

ABORTVS, a *Partu præcoci* probe discernendus, præmaturam ac violentam fœtus nondum vitalis exclusionem denotat, et, propter maximam auxilii medici diversitatem, necessario in *imminentem*, *fientem* et *factum* dividendus est.

§. II.

Primis præcipue graviditatis mensibus, et frequentius quoque apud primiparas, quam apud felices pridem plurium liberorum matres, abortus accidit, eumque imminere hæmorrhagia uteri, initio placida, posteaque magis magisque increscens, refractaria, colicisque doloribus haud dissimilia, ventris tormina, et subinde etiam, dimidio scilicet gestationis tempore dudum elapso, motus fœtus debilis, aut plane iterum cessans, vel in-

ſto etiam impetuoſior teſtantur; non prætermitti tamen debet adfectuum animi, læſionum externarum et morborum praecedentium conſideratio, quoniam ſingula hæc multum lucis circa diagnoſin cauſæ proximæ fœnerantur, et medicum pariter de periculi magnitudine certiorem reddunt.

§. III.

Magna cauſſarum, abortum directe ſuſcitantium, multitudo atque varietas eſt, nec ſola igitur ſanguinis abundantis neglecta ſubtractio, aut præmatura etiam, iuſto crebrior iuſtoque largior venæſectio, ſed gravior quoque iracundia, terror vehemens, adſumta emetica, purgantia et emmenagoga potentiora, diæta vinoſa, ſternutatio frequens, vomitus morboſus aut tuſſis vehementior, ſublatio ponderum graviorum, violenta abdominis percuſſio aut concuſſio, lapſus, ſaltus, ſaltationes, inconveniens pedum divaricatio, dyſenteria aliique fluxus alvini valde torminoſi aut diuturni, vel ſaltim torminoſi ac valde ſpaſtici deiiciendi conatus, et clyſteres acriores inter illas militant, immo veneris incontinentia, mœror diuturnus, dolor nephriticus,

phriticus, cachexia, fluor albus, phthiſis pluresque morbi neceſſarium embryoni nutrimentum ſuffurantes, febres acutæ, obſtructio aut ruptura funiculi umbilicalis, mors embryonis, ingrati odores candelæ aut ellychnii ſebacei extincti, inſolita uteri anguſtia naturalis &c. iisdem accenſeri merentur.

§. IV.

Abortus perſæpe quidem *blanda corporis requie, animi tranquillitate, tempeſtiva venæſectione revulſoria in brachio* et *largo nitri aliorumque temperantium uſu* præcavetur, apud ſingula tamen individua hæc procedendi methodus et auxilia commendata minime, ob maximam cauſarum expoſitarum diverſitatem, ſufficiunt, immo venæſectio ſubinde, magna ſcilicet ſanguinis iactura prægreſſa, viribusque per morbos antecedentes valde dudum exhauſtis, nullum plane locum invenit, ſed *aneleptica* potius, *confortantia, aliaque, quæ morbis complicatis ſpecifice medentur,* neceſſaria inveniuntur. Nec reticendum quoque erit, in illis caſibus, in quibus hæmorrhagia uteri cum torminibus vehementibus perdurat, et nulla amplius fœtum retinendi

nendi ſpes ſupereſt, vel fœtu iam extincto, (quod factum eſſe, horror matris ſæpius et per breviſſima intervalla recurrens, nec minus plenaria motus embryonis ceſſatio præcipue oſtendunt), excluſionem iniecto *clyſtere paullo acriori*, exhibitis *blandis pellentibus* et *obſtetricio auxilio* promovendam eſſe, ne fœmina, enormi cruoris profuſione debilitata, in gravia animi deliquia incidat, tandemque ſuccumbat. Facto etiam abortu et hæmorrhagia excedente adhuc continuante, infelix puerpera non ſtatim relinquenda, ſed ea, quæ immodico fluxui lochiali vulgo auxiliantur, et quævis alia, quæ viribus refocillandis inſerviunt, et reliqua ſymptomata urgentia mitigant, in uſum trahi debent.

* * * * * * * * * * * * * * * * * *

CAP. XIII.

DE PARTV DIFFICILI ET RETENTIONE PLACENTAE VTERINAE.

---

§. I.

PARTVS DIFFICILIS, græce *Dyſtocia*, a δύς, *difficile*, et τίκτω, *pario*, dictus,

dictus, rarius paullo opem medici, stricte talis, sed frequentius obstetricis exercitatæ, aut chirurgi, obstetriciæ artis debite periti, auxilia, manuum aut instrumentorum ministerio ferenda, postulat, et duplici respectu ita adpellatur, nimirum 1), quando exclusio fœtus maturi ex utero summe dolorosa est, et deinde 2), quando nimis diu protrahitur.

§. II.

Causæ dystociæ vel apud *matrem parturientem*, vel apud *fœtum nascendum*, vel apud *obstetricem* quærendæ sunt, immo interdum ad duo simul aut cuncta subiecta nominata redeunt. In *matre parturiente* culpa hæret, si 1) nimis torpide agit, verosque ad partum dolores ex adsueta quadam mollitie nisu decenti adiuvare negligit, 2) si, morbis prægressis valde debilitata, spontanea inspiratione validiori ac diuturniori, indeque pendente uteri compressione, parum auxiliari valet, 3) si veri ac necessarii ad partum dolores vel nimis languidi sunt, vel plane deficiunt, et si 4) denique viæ intuitu fœtus transituri, propter ætatem immaturam

nimiumque iuvenilem, aut nimis provectam, vel propter intumescentiam vaginae inflammatoriam, vel uteri prolapsum, vel scybala indurata, intestino recto impacta, nimium angustae sunt. Apud *foetum nascendum* vero vel insolita magnitudo eius, vel vitiosa aut plane monstrosa conformatio, vel situs perversus, vel ingens imbecillitas, aut ipsa mors adcusandae veniunt, et quod tandem *obstetricem* attinet, illa partum difficilem reddere aut difficultatem augere valet, quando nimis imperita, aut nimis timida, aut nimis audax atque festinans est, gravidamque, natura exclusionem nondum serio moliente, ad praematuros foetum egerendi conatus adigit, et adeo eam hac ratione debilitat, ut, supervenientibus postmodum genuinis ad partum doloribus, naturae spontaneo suo nisu amplius succurrere nequeat.

§. III.

Ex caussis praemissis facile, uti mihi quidem videtur, unicuique patebit, an medicus huic vel illi parturienti ex fonte pharmaceutico opitulari possit, an totum potius aut praecipuum tamen auxiliandi negotium opera

ra manuali aut congruo et circumſpecto inſtrumentorum uſu expediendum ſit. Auxilia poſteriora hoc loco exponere ſuperſedeo, et ſciendi cupidos ad Libros, in quibus tota ars obſtetricia fuſius atque ſeorſim traditur, ablego, circa remedia pharmacevtica autem monere neceſſum duco, medicamina, quæ nonnunquam ad partum facilitandum poſtulantur, triplicis generis eſſe, et alia viis mediate et immediate emolliendis ac lubricandis, alia deficientibus genuinis ac neceſſariis ad partum doloribus excitandis, torpidisque augendis, et alia confortandæ debili parturienti inſervire. Ad *emollientia* ac *lubricantia*, quæ, partu proxime inſtante, immo ſubinde, neceſſitate nimirum urgente, ſub ipſo partu difficili adhibentur, clyſteres emollientes, balnea uteri vaporoſa ex floribus chamomillæ, meliloti, ſambuci &c., et unguenta ex oleo infuſo liliorum alb., chamomelino &c. ad *pellentia* vero pulveres ex borace Veneta, ſuccino ppto, cinnamomo, et croco orientali, ſpiritus nitri dulcis rite paratus, vel ſolus, vel eſſentia croci, aut cinnamomi, aut pimpinellæ modice remixtus, pulvis parturientium Off., oleum cinnamomi, ad unam

alte-

alteramque guttulam sachari frustulo instillatum, ut et enemata, ex emollientibus et stimulantibus parata, spectant, et *confortantibus* tandem, praeter externa quaedam balsamica volatilia, naribus admovenda, potiunculae ex aqua cinnamomi borraginata, melissae, flor. liliorum convallium, foeniculi, confectione alkermes completa, et pauxillo, praesertim aestu maiori absente, elaeosachari cinnamomi, aut citri Italici, nec minus generosum vinum malvaticum, parciori tamen quantitate vel per se, vel cum intincto pane sacharino oblatum, prae reliquis accenseri merentur.

§. IV.

Allegata remedia pellentia et confortantia huiusque commatis alia minime pariter utilitate et effectu carent, quando *secundinae*, post foetus exclusionem, vel propter arctiorem in aliquo loco adcretionem, vel propter maximam parturientis imbecillitatem ac iusto citius atque omnimode cessantem uteri contractionem, vel propter negligentiam aut imperitiam obstetricis, moras in utero longiores nectunt, et futura sua

cor-

corruptione putredinosa miseræ puerperæ febres putridas aliosque pravos morbos minantur: Probe tamen circa usum horum pellentium notandum erit, calidiora, forti dudum uteri hæmorrhagia præsente, prorsus exulare et mitiora duntaxat, pulveres v. g. ex borace Veneta, nitro, sale de Seignette et pauxillo radicis ari pptæ aut iridis Florentinæ, nec non infusa theiformia ex radice saponariæ, herba melissæ citrariæ, flor. matricariæ et rorismarini, ut et purum spiritum nitri dulcem, cuius egregiam efficaciam plus vice simplici in partu difficili et placentæ retentione expertus sum, immo externe, nisi impetuosior hæmorrhagia obstet, suffitus ex myrrha, succino, gummi benzoino, herba sabinæ, rorismarini &c. in auxilium trahi debere.

§. V.

Interdum, quod paucis adhuc commemorandum est, sub partu difficili, fœtu nimirum grandiori existente, viisque valde angustis, fœdum vulnus, *Ruptura* nempe *Perinæi*, oritur. Vulnus hoc, quod subinde, si totalis ruptura facta fuerit, efficit, ut vagina

uteri et inteſtinum rectum in parte anteriori unum quaſi foramen continuum forment, citam medelam expoſcit, quae ita in genere adornanda eſt, ut labia cruenta, ad tumorem inflammatorium praecavendum, vino temperate calido, in quo butyrum maiale ebullivit, aliquamdiu foveantur, poſteaque, citra ullam cunctationem ad ſe invicem adducta, linteis, emplaſtro ad hernias aut contra rupturam Off., vel alio etiam conglutinante ex radice conſolidae maioris, maſtiche, ſanguine draconis, ſarcocolla, reſina pini, bolo armena, farina volatili, pompholyge et albumine ovorum obductis, et anſulis ſive ligamentis, uti moris eſt, inſtructis, firmentur, et tertio denique, ut puerpera vulnerata poſt deligationem per decem aut plures dies quieta, corpore ſupino cruribusque elevatis et faſcia initio conſtrictis, in lecto decumbat, omniaque alvum obſtruentia et concoctu difficilia alimenta, nec non tuſſim, vomitum, aut ſternutationem excitantia, maxima cura evitet; quemadmodum haec et ſimilia in *Libris chirurgicis* caeterisque, qui fuſius de *Arte obſtetricia* agunt, uberius videnda ſunt.

CAP.



CAP. XIV.

DE DOLORIBVS POST PARTVM ET FLVXV LOCHIALI, TAM SVPPRESSO, QVAM NIMIO.

§. I.

Apud ſanas vegetasque primiparas DOLORES POST PARTVM ordinario leniores et interdum vix ſenſibiles, apud provectioris vero ætatis fœminas, quæ plures pridem fœtus enixæ fuerunt, multo vehementiores ac diuturniores ſunt, quoniam paullatina uteri contractio, quæ poſt fœtus atque placentæ excluſionem, ad naturalem huic parti magnitudinem reſtituendam et ſanguinis lochialis excretionem promovendam, neceſſario fieri debet, apud ſubiecta priora, ob maius naturæ robur atque vivacitatem, validior atque celerior, apud poſteriora autem, ob antea dudum aut ſub partu difficili contractam imbecillitatem eminentiorem, tardior longe atque languidior re-

 peritur.

peritur. Minime cæteroquin hoc loco ignorari oportet, interdum alias plane cauſſas, quæ irregularem atque ſpasmodicam uteri partiumque vicinarum contractionem efficiunt, *pertinacem* v. g. *alvi obſtructionem, flatusque, inteſtinis copioſius incarceratos*, vel *nimis parcum*, aut *plane rurſus ſuppreſſum*, aut *iuſto* etiam *impetuoſiorem fluxum lochialem*, vel *ſanguinis excernendi in maſſas grandiores coagulum*, vel *fruſta placentæ in utero relicta*, vel *abdominis refrigerationem, neglectamque eiusdem ligaturam decentem* et ſimilia dolores hoſce, qui in regione hypogaſtrica et pubis, nec raro etiam in lumbis eorundemque baſi atque in dorſo præcipue ſentiuntur, diuturniores, fortiores ac penitus præternaturales reddere, et adeo nonnunquam intendere, ut veros ad partum dolores atrocitate propemodum ſuperent, et animi deliquia, ſuffocationem hyſtericam, aliaque ſymptomata comites adducant.

§. II.

Dolores poſt partum moderati atque ordinarii, h. e., a ſola uteri contractione paullatina oriundi, poſt paucos dies ſponte ceſſant,

sant, et patienter proinde tolerandi sunt, vehementiores ex adverso atque praeternaturales, specifica causa explorata, modo *enemate emolliente* et *paregorico, iusculisque pinguibus* avenae excorticatae, gallinarum, carnis vitulinae &c., modo *carminativis temperatioribus*, exhibito nimirum spiritu nitri dulci solitario, aut essentia flor. chamomillae Rom., melissae, cort. citri &c. modice remixto, modo *lenioribus pellentibus* aut *temperantibus*, quae turbatum fluxum lochialem rursus ad ordinem redigunt, et specialius ex mox sequentibus discenda erunt, mitigari atque compesci debent. Non contemnendi quoque in genere usus *calidi sacculi discutientes* ac *roborantes balsamici* sunt ex radice angelicae, galangae, zedoariae, herba melissae, abrotani, rorismarini, matricariae, flor. chamomillae vulgaris et Romanae, lavendulae, sambuci, semine carvi, baccis lauri &c., ventri impositi, immo, *unguenta* ex oleo infuso castorei et chamomelino et oleis destill. carvi, maioranae, menthae, macis, succini &c. desideratum quandoque auxilium ferunt.

 §. III.

§. III.

Poſt fœtus atque placentæ excluſionem FLVXVS SANGVINIS LOCHIALIS ſequitur, qui, ſi rite ſuccedit, et intra iuſtos quantitatis limites conſiſtit, puerperas, cæteris tamen paribus, et congruo inprimis ac temperato regimine diætetico obſervato, ſoſpites præſtat, nec ullis ideo medicamentis turbandus eſt: ſin nimius vero evadat, aut iuſto parcior ſit, aut plane rurſus ſupprimatur, tunc promtam medici opem poſtulat, quoniam nimius vires ſuperſtites, ſæpe ad animi usque deliquia, exhaurit, ſuppreſſus vero nimiumque parcus ſummas anxietates, palpitationes cordis, et ſuffocationes hyſtericas excitat, febresque continuas inflammatorias, purpuratas, petechiales, aliasque periculoſas ac ſæpe funeſtas accendit, et viam ad numeroſiſſimas ac varias ægritudines alias, ſicuti in utraque huius opuſculi parte hinc inde retuli, ſternit. Vt nihil de notabili abdominis tumore dicam, qui utplurimum remanet, ita, ut tales fœminæ poſtmodum ſemper fere gravidæ eſſe videantur.

§. IV.

§. IV.

Ad caussas, quae proxime aut remote nimium lochiorum fluxum producunt, vel eidem tamen occasionem largiuntur, neglecta inprimis apud gravidas valde plethoricas venaesectio, regimen puerperae nimis calidum, potus vini, vini adusti, cerevisiae calidioris, decocti coffee saturatioris &c., esculenta acria, aut calidis aromatibus condita, nimia adsumtio dulcium, tumultuaria ac frequens corporis post partum in lecto iactitatio, iracundia, relictum placentae frustum, eiusdemque tenacius adhaerentis avulsio violenta, usus pellentium et exagitantium sub partu difficili largior et similia referenda sunt; inter caussas autem fluxus iusto parcioris aut rursus suppressi magna sanguinis crassities, viscositas aut grumositas, refrigeratio pedum et abdominis, potus frigidus, adsumta alimenta crassa ac viscida, terror et neglecta conveniens ventris post partum ligatura locum praecipuum occupant.

§. V.

Sub medela sedulo cavendum, ne fluxus nimius praematuro adstringentium usu

 repente

repente cohibeatur, immo, si fieri potest, nec summa urget necessitas, a stypticis potentioribus prorsus abstinendum, et praecipuum potius curationis negotium *animi tranquillitate, corporis quiete, diaeta totoque regimine temperato* et *antorgasticis remediis*, emulsionibus v. g. et potiunculis ex aqua dest. cichorii, lactucae, endiviae, flor. boraginis nymphaeae &c., sem. quatuor frigidis maior. et minoribus, amygdalis dulcibus, coraliis rubris, nitro dep. &c., quarum posterioribus, iubente necessitate, species de hyacintho, vel aliquot grana croci martis aperitivi Stahlii, vel parum tincturae martis pomatae aut cydoniatae addi poterunt, immo nonnunquam in auxilium quoque vocata *venaesectione revulsoria in brachio* expediendum est. In statu contrario, fluxu nimirum iusto parciori aut penitus rursum ac praemature suppresso, *resolventia* et *leniora pellentia*, v. g. pulveres ex absorbente quodam, borace Veneta, tartaro solubili, sale de Seignette, arcano tartari, nitro, rad. irid. Florent., succino, croco et sulphure antimonii aurato optimo, mixturae ex spiritu nitri dulci, essentia croci, succini, pimpinellae albae &c., pilulae Becheri atque Stahlii

Stahlii huiusque censu alia conducunt: Nec tacendum pariter, *suffitus uterinos*, capite praecedente §. IV. laudatos, nec minus *venaesectionem in pede*, et *enemata nonnihil acria* multum ad fluxum hunc augendum aut revocandum conferre. Circa venaesectionem tamen adhuc monendum duco, illam paullo rarius locum invenire, et apud illas duntaxat puerperas suadendam esse, quae tempore gestationis phlebotomiam, licet valde plethoricae fuerint, penitus neglexerunt.





SECTIO V.
DE
MORBIS OSSIVM, ARTICVLATIONVM ET ARTVVM.



CAP. I.
DE
RHACHITIDE.

§. I.



Rhachitis, quæ in valde depravata nutritione, eamque subsequente vitiosa, quin fere nonnunquam monstrosa, plerarumque partium solidarum conformatione præcipue consistit, seculo decimo sexto in mediterraneis Britanniæ tractibus primum innotuit, deinde vero in Germaniam pariter cæterasque Europæ borealis regiones transiit, et nostro ævo apud infantes, quibus propria est, primo utplurimum aut

ut secundo aetatis anno, tam saepe nascitur,
t novitatem suam plane amiserit, nec inter
ariores amplius aegritudines referri possit.

§. II.

Tanta symptomatum huius mali et
nultitudo et varietas est, ut uberiori omnino
escriptione indigeat. Incipiente enim hoc
norbo nutritio corporis valde imminuitur,
t magis in dies cum viribus decrescit; hinc
utis flaccida redditur, et partes carnosae, si
aciem, quae solito utplurimum plenior atque
oridior est, exceperis, aeque, ac apud he-
icos, ubivis extenuantur ac consumuntur,
orpus, procedente aetate, exigua saltim in-
rementa capit, et tantopere languet ac tor-
et, ut pueri etiam adultiores facti, ob sum-
nam imbecillitatem, gressus movere et ince-
ere nequeant. Dentes tardius erumpunt,
paullo post eruptionem suam plerumque
igri fiunt, vacillant, et rursus, ac saepe fru-
ulatim, excidunt. Venter multum intu-
nescit, digitoque pressus renititur, caput ad
nsolitam paullatim atque deformem magni-
udinem increscit, frons valde protuberat,
uturae cranii, multum inter se diductae, tar-
de

de committuntur, offa hinc inde mirifice augefcunt, et epiphyfes inprimis prope articulos, praefertim in carpis, et (paullo minori tamen incremento) in talis tumidae evadunt atque nodofas protuberantias formant. Similes tumores ac nodi fub morbi progreffu etiam in extremitatibus coftarum generantur. Pectus in lateribus deprimitur, in parte anteriori autem attollitur, et acuminatum quafi ac carinatum redditur, refpiratio valde utplurimum difficilis evadit, ita ut ipfius quandoque fuffocationis periculum oriatur, et tuffis haud raro aliaque pulmonum vitia accedunt. Malo fub incunabulis fuis neglecto, adeoque magis paullatim magisque ingravefcente, fpina dorfi diftorquetur, et gibbera fiunt, tibiae antrorfum incurvantur, immo, quanquam multo rarius, fibulæ etiam et offa ulnæ, humeri, radii ac femoris fimilia malæ conformationis vitia contrahunt, et, aucta tandem pravi humoris corruptela atque acredine, fic dicta pædarthrocace nafcitur, febrisque lenta fupervenit, quæ, irrita quavis medela, carnes viresque fuperftites confumit, et finem morbo exitialem adfert.

§. III.

§. III.

Aperto post mortem corpore, glandulæ meseraicæ ac singulæ propemodum aliæ conglobatæ tumidæ, duræ atque scirrhosæ, ossa ex adverso admodum mollia reperiuntur, ventriculus et intestina longe ultra dimensionem naturalem distenta sunt, et hepar, lien et viscera reliqua tumida, pulmones infarcti, inflati, purulenti, scrophulosi ac pleuræ adnati, cerebrum muco passim repletum ac mole mirifice auctum (unde apud ægros hosce maior forsan pro modo ætatis ingenii acies atque docilitas), et venæ iugulares carotidesque arteriæ solito ampliores cernuntur.

§. IV.

Quanquam, testantibus recensitis symptomatibus, ossa et reliquæ partes solidæ in hac ægritudine potissimum pati videntur, originalis nihilominus et præcipua postmodum caussa efficiens in vitiosis humoribus, præsertim lymphaticis, quærenda est. Hi initio quidem *viscidi saltim* ac *valde tenaces acidoque largius remixti* sunt, deinde autem, si malum negligitur, *virosam* prorsus *acre-*

dinem

dinem, immo paſſim *fœdam* ſub diuturniori ſua quiete *putrilaginem* contrahunt; unde haud obſcurum eſt, cur nutritio ſub ipſis ſtatim mali primordiis decreſcat et inaequalis fiat, cur omne corporis robur pereat, et glandulæ ac viſcera obſtruantur, cur oſſa, quibus viroſus acerrimusque humor in hoc adfectu præcipue infeſtus deprehenditur, non tantum inſolito et inæquali incremento augeſcant, ſed tandem quoque mollia evadant, ac peſſima carie prope articulos corrumpantur, et cur reliqua denique pathemata, quæ, æque ac memoratorum quampluríma, PLATNERVS perſpicue ac ſolide explicuit *a*), oriantur.

§. V.

a) „Ex his omnibus autem, *in Inſtit. chirurg.* „*§. 1070.*, *ſcribit*, manifeſtum fieri arbitror, ſuc„cum illum, quo omne corpus, et oſſa etiam, „ali debent, in his ex crudo vitiatoque chylo „confectum corrumpi. Oſſa igitur, quæ omni „cæteroquin acido liquantur, molliora fiunt et „intumeſcunt, et, quia caput ex oſſibus com„ponitur, illud etiam, pro modo reliqui cor„poris, plurimum augeſcit, ita ut eius mole „ſpina non parum prematur. Huius vertebræ, „quæ mediæ perforatæ ſunt, ſi intumeſcunt, et

§. V.

Praeter expositam pravam humorum qualitatem, cuius genesi et incremento lac matris aut nutricis crassum, vel ad praecipitationem citamque acescentiam admodum proclive, crebriores itemque potiones nocturnae acescentes aut sacharo edulcoratae, pultes nimium pingues ac glutinosae, aliaque esculenta cruda, crassa, ac pro tenera infantis aetate iusto valentiora, repletio ventriculi nimia

„a capite premuntur, medullam premunt cerebro commissam, nec non nervos, qui ab hac „per tenuia cava utrinque inter duos processus „pervia educuntur. Cum vero hi nervi ad „musculos potissimum pertineant, hi naturali „robore defecti emacrescunt. Igitur, dum ossa „increscunt et tumidiora fiunt, ossium vero „vincula, vel sic dicta ligamenta, etiam infirma „sunt, musculi breviores atque extenuati ossa „adducunt et inflectunt. Hoc primum in spina incidit, quae in variam partem inclinata „gibberis non unam speciem ostendit Etiam „a pectoralibus musculis et serrato antico maiori pectus, ipsumque sternum, multum proiicitur, a musculis, abdominis pectus inferiora „versus adducitur, et in dorso gibber nascitur, „vel κύφωσις. &c. &c.

nimia, neglecta corporis mundities, verminosa colluvies in intestinis, dispositio parentum, praesertim matris, ad scorbutum aut cachexiam, et similia multum favent, *magna* pariter *systematis nervosi caeterarumque partium solidarum atonia*, et saepe etiam *venarum* ac *glandularum meseraicarum*, nec non *hepatis*, *lienis*, *pancreatis* &c. *obstructiones* et *indurationes* in hoc morbo considerandae veniunt. Nam licet solidorum imbecillitas potissimam quoque partem deficienti nutritioni succedat, frequenti nihilominus experientia comprobatur, infantes, a parentibus imbecillibus, aut diuturna aegritudine varia magnopere debilitatis, genitos, crebro in hunc morbum incidere, et connatam igitur dudumque praeexistentem imbecillitatem symbolum suum ad mali ortum, nisi semper, saepius tamen, conferre. Nec ultimo etiam ignorandum est, subinde leviorem parentum aut nutricis infectionem veneream concurrere, virusque, ad tenellos translatum, praesentem pridem humorum corruptionem rhachiticam adeo exaltare, ut paedarthrocace deterior cito nascatur.

§. VI.

§. VI.

Raro quidem hic affectus mortem pa-
tientibus per ſe adfert, perſæpe nihilominus
in tabem corporis, exulcerationem pulmo-
num aliorumque viſcerum, et exitialem hy-
dropem aſcitem degenerat. Valde cætero-
quin refractarius eſt, et, ſi ante annum quin-
tum non tollitur, aut rebelles dudum viſce-
rum ac glandularum obſtructiones et indura-
iones adſunt, nunquam poſtea perfecte cu-
atur, ſed patientes, niſi eos interdum ci-
ius interimat, per totum reliquum vitæ
patium valetudinarios reddit. Quo citius
tiam poſt nativitatem oritur, eo utpluri-
num pertinacior atque periculoſior exiſtit,
uoniam infanti maior adhuc imbecillitas na-
uralis eſt, et maior pariter diſpoſitionis in
tero contractæ ſuſpicio naſcitur. Solvitur
nterdum, ſi nondum invaluerit, diarrhoea
pontanea, raro ſudoribus, et ſubinde etiam
ruritus et ſcabies eidem ſupervenientes me-
lelam egregie adiuvant.

§. VII.

Plus plerumque *victus bonus* et *con-*
ruum in genere *regimen diæteticum*, quam

decantata ſpecifica aliorumque remediorum farrago, ad curandum hunc morbum valent, non negligi tamen debent, quæ neceſſaria iudicantur, et partim ex *evacuantium*, *attenuantium*, *temperantium*, ac *purificantium*, partim ex *roborantium* claſſe deſumenda ſunt. Reſpectu diætae eſculenta levia, evpepta, ſicciora, non pinguia, mitioribus aromatibus nonnihil condita, et ſæpius atque minori quantitate ingeſta, nec minus aer ſiccus ac moderate calidus, veſtitus mundus et ſiccus, frequens corporis motus, geſtatione, vectione in rheda et blanda concuſſione procurandus &c., conveniunt, ex prædictorum vero medicaminum cenſu *lenia emetica* et *iterata laxantia* ex radice ipecacoanhæ et rhabarbaro, pulveres deinde ex lapidibus cancrorum, radice iridis Florentinæ, rhabarbaro, ſale de Seignette, tartaro ſolubili, nitro, floribus ſalis ammoniaci martialibus, ſuccino, croco orientali, millepedibus pptis, granis chermes, croco martis aperitivo Stahlii, ente veneris Boylaei &c., morſuli (apud ægros paullo dudum adultiores) ex ſacharo, cardamomo minori, ſemine ſantonico, rhabarbaro et mercurio dulci, mixturæ ex

tin-

tinctura antimonii tartarisata et acri, succini, pimpinellae albae, tinctura veneris Helvetii, martis pomata, cydoniata, helleborata, et decocta ex radice saponariae, rubiae tinctorum, curcumae, ligno Guaiaco, foliis tussilaginis, et floribus rorismarini (quae omnia, si infans rhachiticus adhuc uberibus alitur, nutrix pariter adsumere potest ac debet) prae reliquis laudari merentur. Admitto etiam ac suadeo crebriores, blandas, nec ultra levem ruborem continuandas, abdominis, spinae dorsalis et partium in artubus nondum tumidarum *frictiones* cum pannis calidis, aromatum fumo aut halitu spontaneo imbutis, admitto pariter *fonticulos*, *vesicatoria* iterato adplicata, *enemata abstergentia*, et balnea tepida, ex formicis, sacco inclusis, et speciebus balsamico-aromaticis parata; cathartica fortiora ex adverso ut et pharmaca nimium spirituosa adprobare nequeo.





CAP. II.

DE

GIBBERE ET SPINA BIFIDA.

§. I.

GIBBER ſive *Gibbus* in genere praeternaturalem ſpinae dorſalis inflexionem ac vertebrarum diſtorſionem denotat, et tres rurſum ſpecies, nimirum *Cyphoſin*, *Lordoſin*, et *Scoliaſin* ſub ſe comprehendit. *Cyphoſis*, (a *κύπτω*, *inclino*) *Cyrtoma*, *Cyrtoſis* (a *κυρτόω*, *incurvo*) dicitur, quando ſpina dorſi attollitur et in partem poſteriorem curva eſt, *Lordoſis* (a *λορδόω*, *in anteriora curvo*) audit, quando ſpina dorſi cum maiori aut minori pectoris prominentia ita antrorſum incurvatur, ut cavitas quaſi lunatica in dorſo oriatur, et *Scoliaſis* (a *σκολιόω*, *intorqueo*) denique appellatur, ſi ſpina dorſi tortuoſo flexu in hoc vel illud latus diſtorquetur. Cum ultima hac ſpecie ſaepiſſime ſedes ſcapularum irregularis coniuncta eſt, ita ut altera emineat, altera depreſſior ſit, immo interdum

terdum fit, ut idem dislocationis vitium in coxendicis quoque offibus fimul nafcatur.

§. II.

Præter rhachitidem, quæ, uti in antecedentibus pridem dictum fuit, frequens gibborum cauffa exiftit, apud infantes tenellos puerosque, ab imbecillibus inprimis parentibus genitos, quævis violentiæ, fpinæ dorfali ictu, cafu, motu vehementi, et contorfione aut reclinatione corporis inconcinna illatae, in cenfum cauffarum veniunt. Nec raro etiam accidit, ut crebrior ac diuturna corporis inter cubandum, fedendum, legendum, fcribendum et fub variis aliis exercitiis atque laboribus incurvatio aut inflexio in latus alterutrum, ut et apud paullo adultiores fublatio ponderum cum nifu valentiori, aut geftatio corporum gravium, quae ex cervice, uti merces v. g. portatiles venumque inter eundum oberrandumque expofitae, pendent, huic vel illi gibberis fpeciei occafionem praebeant: Vt nihil de mufculorum, in altero dorfi latere debilium ac fere nonnunquam paralytico-

 rum,

rum, in altero rigidorum, inaequali actione et reactione, nec quicquam pariter de largiori humorum lymphaticorum ad vertebras affluxu atque decubitu dicam, quo ligamenta ac cartilagines adeo infirmari possunt, ut connectendi munere debite amplius perfungi nequeant.

§. III.

Apud adultos gibbera, in aetate pridem teneriori nata, nullam amplius medelam admittunt, apud infantes vero puerosque inter initia interdum feliciter rursum atque perfecte curantur, aut plus tamen minusve emendantur. Quare nunquam cum auxilio cunctandum, sed, specie ac caussis exploratis, *aptis fasciis, aptisque thoracibus*, de quibus saepe laudati PLATNERI *Dissertatio, Lipsiae* 1735. *edita*, attente inprimis legi meretur, mature succurrendum est. Non negligi quoque debet, si rhachitica aliaque humorum pravitas concurrat, aut sola culpam gerat, internorum *purificantium* ac *roborantium* usus, immo vertebris distortis, per fascias atque thoraces ad situm atque connexionem naturalem reductis paullulumque

prius

prius firmatis, *unguenta confortantia* ex unguento nervino Off. aut comitiſſae, cui oleum nucis moſchatae, macis, baccarum lauri expreſſum, nec minus balſamus Peruvianus, pulvis croci, caſtorei, terrae Iaponicae et olea destillata maioranae, menthae, lavendulae, rorismarini &c. addi poterunt, adhibenda ſunt.

§. IV.

A gibberoſis dorſi protuberantiis ſingularis ac rarior illa tumorum ſpecies magnitudine non minus, quam forma et origine longe diſcrepat, quae SPINA BIFIDA appellatur, et hydrocephalo interno utplurimum iuncta reperitur. Naſcitur enim hic tumor apud tenellos infantes vel dudum in utero, vel primis poſt nativitatem menſibus, quando, oborto hydrocephalo interno, humor lymphaticus, ventriculos cerebri valde inundans, viam ſibi per foramen cranii magnum ad medullam ſpinalem parat, et ulterius poſtmodum deſcendens, ſenſimque in aliquo ſpinae dorſalis aut lumbaris loco adcumulatus, unam aut plures vertebras, quae apud embryones, atque puſillos infantes ad-

huc ex tribus officulis, interiecta cartilagine connexis, conſtant, in parte poſteriori, ubi deinde ſub corporis incremento ſic dicti proceſſus ſpinoſi ex cartilagine generantur, preſſione ſua diducit, et cutem poſtea pro diverſa copia ſua et aperturæ magnitudine magis minusve attollit. Nonnunquam, ſi tumor nempe in regione ſpinæ lumbari exoritur, ob nervos compreſſos paralytica pedum imbecillitas cum crurum curvitate complicata cernitur. Notabile quoque eſt, intumeſcentiam capitis hydropicam, ſpinæ tumore ſcalpello inciſo et humore effuſo, confeſtim minui, vulnere autem rurſus conſolidato, magis denuo increſcere *a*) Malum cæteroquin incurabile eſt, et, licet humor quidem inciſionis ope ex tumore, uti dictum, educi queat, inde nullum verum tamen atque ſufficiens auxilium, propter hydrocephali interni ſocietatem, exſpectandum eſt, ſed patientes tantummodo citius extinguuntur.

CAP.

a) Conf. PLATNERI *Inſtit. chirurg.* §. 747. p. 472.





CAP. III.

DE

SPINA VENTOSA ET PARONYCHIA.

§. I.

SPINA VENTOSA, *Ventositas spinae*, *Paedarthrocace* (a παῖς, *puer*, ἄρθρον, *membrum*, et κακὸν, *malum*) est sphacelosa ac cariosa ossis in spongiosa plerumque circa articulos substantia, rarius in duriori diaphysi, corruptio, a caussa interna, ab acerrima nimirum atque putrida medulla ulcerosa, proxime oriunda, et dolore primum magno, eumque subsequente conspicuo tumore molli oedematoso, in foedum ulcus sinuosum apertum tandem, degenerante, stipata.

§. II.

Differt spina ventosa a *vulgari ossium Carie*: Haec enim ordinario, sine locorum discrimine, in externa ossium superficie sua primordia habet, et praegressam periostei

 externi

externi carnisque ac cutis incumbentis exulcerationem sequitur, illa autem, sicuti dudum ex definitione constat, corruptelam ulcerosam medullæ caussam agnoscit, et, ex interiori ossis affecti cavitate foras tendens, incumbentes partes musculoso - membranaceas postea demum corrodit atque exulcerat. Nonnulli etiam discrimen inter Pædarthrocacem et Spinam ventosam faciunt, ac priorem, rhachitidi utplurimum iunctam, a succis tantum impuris, cum sanguine ac lympha ad substantiæ ossium spongiosæ cavernulas delatis, oriri, et ante ulceris genesin doloris plane expertem esse, posteriorem ex adverso medullæ, in maioribus ossium fistulis latitantis, corruptionem sequi, et initio statim et adhuc magis sub incremento suo dolorem primo obtusum, deinde vehementem pungitivum atque mordacem concitare, perhibent. Verum enim vero differentia indicata non adeo magni momenti esse videtur, nec apud quævis etiam utriusque affectus subiecta occurrit: Facile interim, si synonymia displicet, pati possum, ut spina ventosa, apud rhachiticos superveniens, strictius pædarthrocace appelletur.

§. III.

§. III.

Aliæ ſpinæ ventoſæ incipientis ac nonum manifeſtæ, alia rurſus prodituræ ac maifeſtæ ſigna atque ſymptomata ſunt; quae tres quoque eiusdem gradus apte contitui poſſe, arbitror. Sub primo nimirum radu, quando medulla, haud ita pridem orrupta, ac tota adhuc in maiori oſſis fiſtua delitescens, perioſteum internum mitius antum urit, rodit ac vellicat, externe nec lolor nec tumor adeſt, ſed dolor ſaltim obuſus, fixus tamen, continuus, nulli remedio xterno cedens, et ſub exercitio motuque orporis increſcens, in membri affecti mediullo percipitur. Accedente ſecundo gradu, et medulla putrida prorſus atque acerrina facta, perioſteum internum valde inflamnatur et exulceratur, ſubſtantia oſſea corroditur, os intumeſcit, et partes membranaceo-muſculoſæ, oſſi carioſo incumbentes, cum dolore maximo et ſpinæ infixæ inſtar pungente, ſenſim ſeſe in conſpicuum tumorem œdematoſum attollere incipiunt; cui tandem, malo ad tertium ſummumque gradum evecto, peſſimaque ſanie largius ex oſſe penitus corrupto ad muſculos et membranam

nam adipofam penetrante, cacoethicum ulcu sinuofum, quod in partibus magis carnofi plures nonnunquam cuniculos agit, iungi tur. Nec prætermittendum denique erit sub gradu fecundo, nifi femper, plerumque tamen, febrem lentam complicari, eamque fub tertio gradu in hecticam degenerare e totum itaque corpus contabefcere.

§. IV.

Prædicta principalis ac proxima fpina ventofæ cauffa materialis, *putrida* nimirum atque *cauftica medullæ oleofæ corruptela ul cerofa*, fponte et citra alterius cauffæ con curfum vix aut ne vix nafcitur, fed plagis contufioni, fracturæ, profundiori fiffuræ, fi milibusque offium læfionibus externis, e longe adhuc fæpius hæreditariæ, connatæ aut poftea demum contractæ dyfcrafiæ hu morum circulantium fcorbuticæ et rhachiti cæ, inquinationi itemque venereæ, faliva tioni mercuriali in eadem lue præmature fuppreffæ, aut incongrue etiam contra rha chitidem et fcorbutum adhibitæ, nec minu retentæ aut retroactæ materiæ impuræ fca biofæ, arthriticæ atque exanthematicæ, præ

fertin

tim variolofæ, genefin fuam primamque
iginem debet: Immo fumme probabile
, iftam pariter impuritatem humorum fpe-
icam, quæ plerosque plicae Polonicæ can-
datos diu nonnunquam atque mirifice ve-
it, et poft varia tandem ac prava fympto-
ata apud nonnullos per capillos extrudi-
ir, memoratæ medullæ corruptioni reten-
one fua aut retropulfione occafionem
æbere.

§. V.

Parum plerumque boni in hoc morbo
romittere licet, quoniam primordia eius in
ntimo offium meditullio abfcondita latent,
nalum increfcens vero fenfimque ex latibu-
s fuis erumpens, ob peffimum fuum ge-
ium, omnem perfæpe medelam refpuit.
i uberior interim prognofis formari debet,
d morbi gradum et primam originem re-
piciendum erit. Nam fpina ventofa re-
ens, adhuc perfecte latens, intra primi gra-
lus limites confiftens, et a cauffis externis
ut leviori faltim humorum vitio orta, inter-
lum *bona diæta* et *remediorum purifican-
ium* ufu tollitur, adultior autem reddita exi-
tumque

tumque iam iam moliens, et a gravi humorum depravatione ſcorbutica, rhachitica, venerea &c. oriunda, vix amplius aut ne vix curatur, ſed tandem in manifeſtam, exulceratam, et quodammodo cancroſam degenerat, quæ nullam prorſus ſanationis ſpem relinquit, ac totum, quod ſupereſt, auxilium a deplorabili ſaltem membri affecti *exſtirpatione chirurgica* exſpectat.

§. VI.

Remedia externa, fomenta v. g., unguenta, emplaſtra, ſacculi, frictiones &c. quæ ad ſanandum primum gradum a quibusdam commendantur, ſub mali primordiis plane irrita ſunt, et initio igitur, urgente inflammatione et doloris atrocitate, *tenui* tantum *victu*, *potulentis diluentibus* ac *refrigerantibus*, *venæſectione*, *temperantibus nitroſis*, et *laxantibus tamarindatis* atque *mannito-rhabarbarinis*, deinde vero, remittente nimirum inflammationis et ſociati doloris vehementia, *activis purificantibus* et *antiputredinoſis* naturæ ſuccurrendum et ſaturatiora inprimis largiusque hauſta decocta lignorum, nec minus morſuli antimoniales *Kunckelii*,

elii, mixturæ ex tinctura antimonii, ligno-
rum, fuccini, myrrhæ, aloes, balfami Peru-
iani, fcordii &c., ut et pilulæ ex gummi
ammoniaco, afa fœtida, balfamo Tolutano,
aloe violata, myrrha genuina, extracto fcor-
dii, trifolii fibrini, mace, et fulphure antimo-
nii aurato optimo in auxilium trahenda funt.
Non fperno etiam, præmiffis hifce, præfer-
tim fi corrupta materia, in ampliori offis fi-
stula delitefcens, exitum moliri incipit, *fo-
menta vinofa* ex ligno faffafras, guaiaco, her-
ba falviæ, fcordii, rorismarini et floribus
chamomillæ Romanæ, admitto pariter *fri-
ctiones leniores*, nec etiam, adparentibus fci-
licet exortæ dudum cariei offis aut inci-
pientis exulcerationis criteriis, *tempeftivam
partis tumidæ incifionem* reprobandam duco.
Nam quo citius os cariofum redditum denu-
datur, aut prima erumpentis pridem mate-
riæ ulcerofæ fcaturigo detegitur, eo citius
etiam os cariofum terebra perforari, et cau-
stica putridaque fanies educi, adeoque in ca-
su utroque liquida detergentia, antiputredi-
nofa et travmatica ex decocto radicis ari-
ftolochiæ rotundæ, herba agrimoniæ, flor.
hyperici &c., cum melle rofarum, effentia

fuccini,

ſuccini, myrrhæ, aloes, balſami Peruviani &c. iniici, aliove modo adplicari, et reliqua etiam remedia externa, quæ cariei et ulceri opitulari creduntur, adhiberi poſſunt.

§. VII.

PARONYCHIA, Παρωνύχια (a παρὰ, *iuxta* et ὄνυξ, *unguis*), barbare etiam *Panaritium* adpellata, eſt valde doloroſa, nunc tumida ſimul, nunc minime tumida, inflammatio ſubcutanea quæ in apice digiti manus naſcitur, et, ſolidioris notitiæ gratia, merito ad quatuor ſpecies, quoad humoris virulenti ſedem non minus, quam doloris ferociam magis minusve diſtinctas, redigenda eſt. Prima nimirum atque mitiſſima ſpecies vocari debet, quando mali ſedes ſolummodo ſub cute in tunica adipoſa eſt, et conſpicuus itaque tumor, cum modico rubore et tolerabiliori dolore, in parte apicis digiti nuda carnoſa oritur. Altera ſpecies eſt, ſi inflammatio ſub ungue hæret, eidemque, citra conſpicuum tamen tumorem ac ruborem dolor, præcedente multo acerbior, qui ſaepe febrem vehementem, immo ſimul delirium excitat, omnemque aegro ſomnum eripit

ripit, iungitur. Tertia ſpecies, cum prae-
cedente intuitu quidem doloris atrociſſimi
caeterorumque ſymptomatum convenit, nec
ullum quoque in apice digiti tumorem aut
ruborem oſtendit, ſedem tamen adhuc pro-
fundiorem habet, et humor acris atque in-
flammans ſub perioſteo delitefcit, et quarta
denique tres priores non tantum ferocia ſu-
perat, ſed quoad nonnulla pariter pathemata
complicata magis minusve ab illis recedit.
Nam humor cauſticus atque corruptus in
vagina haeret, quae tendines muſculorum,
digitos moventium, praeſertim communium
quorundam, ſublimis nempe ſive perforati,
profundi ſive perforantis et extenſoris qua-
tuor digitorum, cingit; hinc inflammatio
maxima cum febre oritur, nec digitus ſolum,
ſed tota pariter manus, totumque brachium
cum dolore acerbiſſimo ac ſummo pericu-
lo intumeſcunt.

§. VIII.

Interdum cauſa huius mali antecedens
unice ad *varia ſanguinis, ac lymphae vitia*, *et
accidentalem humoris impuri atque acerrimi
decubitum ac ſtaſin in expoſitis diverſis digito-*

rum locis redit, interdum vero *læsiones externæ*, profundior v. g. punctura cum acu aut festuca, aut alio corpore acuto, contusiones, repentina digiti, diu in aqua calida detenti aut alia ratione valde calefacti, in aquam frigidam immissio &c., stasi humorum praedictae occasionem largiuntur. Negari tamen circa posteriores hasce causas nequit, humorum pravitatem utplurimum colludere, nec facile sub perfecta sanguinis ac lymphae sinceritate ominosam eiusmodi stasin inflammatoriam a solis causis externis metuendam esse.

§. IX.

Periculi magnitudinem in hoc affectu, nec minus feliciorem aut minus felicem curationem species, gradus, atque duratio mali praecipue determinant. Prima enim e[t] secunda species, praesertim adhuc valde re[-]centes, adhibitis congruis topicis, nonnun[-]quam discutiuntur iterum, aut in salutarem suppurationem vertuntur, ita tamen, ut i[n] secunda unguis abscedat. Tertia species de[-]teriorem plerumque eventum habet, dum humor acerrimus, sub periosteo quiescens

facile

facile, nisi citissime evocetur, subiectum os adgreditur, et adeo intra breve tempus corrumpit, ut totum eximi debeat, et quarta tandem species tam praeceps atque periculosa reperitur, ut, neglecta medela promtissima, gangraenam suscitet, quae mox totam manum totumque brachium occupat, et aegrum in magnum vitae discrimen deducit.

§. X.

Raro quidem, uti dictum, paronychia, si primam et secundam speciem, in quibus discussio paullo saepius obtinetur, quodammodo exceperis, discussione tollitur, et rarius adhuc quiescens humor virulentus in bonum pus vertitur, initio tamen medentem tentare aliquid, et, *venaesectione* simul atque *internis remediis temperantibus*, *diluentibus* atque *diaphoreticis* in auxilium vocatis, *valida discutientia* aut *maturantia* externa adplicare, a cura regulari haud alienum erit. Discutiendi scopo a chirurgiae scriptoribus diuturnior digiti affecti immersio in aquam subfervidam aut spiritum vini camphoratum, nec minus adplicatio cataplasmatis ex herba scordii, hyssopi, hyoscyami et allio cum lacte coctis, additis-

que poſtmodum croco et theriaca, ut et adplicatio emplaſtri de galbano crocati MYNS. aut ſaponati BARBETTE, camphora et croco largius remixti, præ reliquis laudantur; ad maturantia autem quævis cataplasmata, fomenta et emplaſtra emollientia referri poſſunt. Adparente geniti puris criterio, *inciſio* cito inſtituenda, ut materia ocyſſime educatur: Sin nulla vero diſcuſſio aut ſuppuratio, quæ nunquam, ob maioris periculi metum, diu exſpectandæ ſunt, ſequatur, ad methodicam et pro humoris ſede variantem *inciſionem chirurgicam*, quam PLATNERVS *a*), aliique fuſius deſcripſerunt, ſine cunctatione confugiendum erit.

* * * * * * * * * * * * * * * * * * *

CAP. IV.

DE

CREPITV, EMOLLITIONE ET INSOLITA FRAGILITATE OSSIVM.

§. I.

CREPITVS OSSIVM, qui apud ægros nonnullos ſub motu membrorum in articulatio-

a) *In Inſt. chirurgiæ* §. 149. *ſeqv.*

ticulationibus percipitur, raro, quantum mihi quidem conſtat, morbus ſimplex ac ſolitarius, ſed plerumque gravioris ſcorbuti, et interdum quoque luis veneraeæ et rhachitidis ſymptoma eſt. Duplicem agnoſcit cauſſam proximam: Nunc enim a ſola glandularum mucilaginearum Haaveri obſtructione refractaria, eidemque neceſſario ſuccedente ſynoviæ lubricantis penuria aut plenario defectu, nunc vero a ſeiunctis epiphyſibus oritur, quæ, ab acerrimo humore eroſæ, ab oſſium ſummitatibus penitus ſecedunt, adeoque ſub motu articulationum cum ſtrepitu collidun-tur; quemadmodum iſtud anno 1699. Lutetiæ Pariſiorum, cum peſſima ibidem ſcorbuti ſpecies, peſtilentiæ propemodum inſtar, ſtragem ederet, iteratæ cadaverum ſectiones, a *Dn.* PONPARTIO in noſocomiis ſuſceptæ, clare docuerunt. Carioſa hæc corruptio tunc temporis non tantum articulationes artuum, ſed ipſum quoque ſternum occupabat, et ſub reſpiratione proinde cartilagines coſtarum prorſus ſeiunctæ debilem pariter ſtrepitum excitabant *a*). Apud ple-

a) Vid. *Memoires de l' Acad. Royal. des Sciences ann. 1699.*

rosque praeterea aegros, truculento hoc morbo correptos, insignis *Genuum Vacillatio cum gressu valde titubante* symptomatibus reliquis sociata reperiebatur, quae similem ligamentorum laesionem similemque, vel rectius, eandem prorsus caussam materialem supponebat. Observante enim laudato POUPARTIO, loco temperatae synoviae mucilagineae, in genuum articulatione liquor tenuis, subviridis, acerrimus, stagnabat, ligamenta erant erosa atque corrosa, et ossa, alias contigua, longe ab invicem distabant.

§. II.

Species crepitus ossium posterior, ab erosis nempe atque avulsis ossium epiphysibus oriundus, malum desperatum est, nec medicamentis unquam perfecte rursus tollitur, in priori autem, qui glandularum duntaxat articularium obstructionem et synoviae defectum supponit, medicamenta *nutrientia*, *humectantia*, *attenuantia* et *purificantia* utplurimum, praesertim apud homines, in vegetiori adhuc aetate constitutos, desideratum auxilium ferunt. Ad priora, praeter diluentia

tia aquea vulgaria, aquae ſoteriae minerales temperatiores, Selteranae nimirum et Antonianae, cum lacte mixtae, nec non quaevis alimenta, quae ſuccum nutritium tenuem atque laudabilem copioſe largiuntur, praecipue ſpectant; poſterioribus autem ſalſa incidentia, medicata infuſa theiformia, eaque ſaturatiora, ex radice ſaponariae, cichorii, ſarſaparillae, ligno Guaiaco, herba hederae terreſtris, marrubii albi, floribus hepaticae nob. &c., tincturae itemque temperatiores, ex terra foliata tartari, tartaro ſolubili, floribus ſalis ammoniaci, extr. centaurii minoris, chamomillae vulgaris, trifolii fibrini &c. cum vino paratae, et tinctura antimonii aut metallorum modice poſtmodum remixtae, aliaque huius commatis accenſeri merentur, immo, abſente humorum lymphaticorum penuria univerſali, et ſola tantum eorum ſpiſſitudine et impuritate peccante, *laxantia* pariter ex manna et rhabarbaro, ex ſalibus amaris, aut gummi ammoniaco dep. atque mercurio dulci, et ſubinde etiam potentiora ſanguinem purificantia proficua non minus, quam neceſſaria inveniuntur.

§. III.

Rara etiam, et hoc pariter loco notatu dignissima, ægritudinum species ingens ac mira prorsus OSSIVM EMOLLITIO est, quæ interdum tanta reperitur, ut ossa in corpore fulcrorum munere debite amplius perfungi nequeant, sed, ceræ propemodum instar, flectantur, et musculorum postea actione et corporis pondere incurvescant *a*). Rarius hoc quoque ossium vitium inter morbos simplices ac solitarios militat, sed, æque ac præcedens articulorum crepitus, scorbuto et adhuc sæpius rhachitidi sese comitem adiungit, et proxime atque præcipue, uti *Dominus* NAVIER in peculiari libello, ante paucos annos edito *b*), experimentis quibusdam

a) Exempla singularis huius ossium emollitionis in *Commentariis Academiæ Regiæ scientiarum Parisinæ ann.* 1722. It. in IACOBI SPONII *Itinerario P.* 2. *p.* 71. et passim in pluribus medicorum ac chirurgorum scriptis, quæ specialius allegare supersedeo, recensita inveniuntur.

b) *Observations historiques et pratiques sur l' amollissement des os en general et particulierement sur celui qui a été observe dans la femme Supiot.*

dam chymicis, indeque deductis ratiociniis fusius demonstrare annisus est, ab *acido subtili, attenuato, et valde penetrante ac caustico, per universam humorum massam largissime disseminato, partemque ossium terream corrodente ac solvente a)* oritur: Praecipue, inquam, non unice; nam, habita morbi primarii, rhachitidis nempe et scorbuti, ratione, statui omnino debet, putridam quoque medullae et substantiae ossium gelatinosae corruptionem interdum concurrere, et, conglutinante igitur principio magis minusve destructo, partium terrearum cohaesionem hinc inde plus etiam minusve destrui.

a) Circa argumentum hoc aliquam pariter lucem sic dictum Gramen Norwegiae ossifragum accendere videtur. Prodit haec graminis species initio veris, et recentia, tenera ac mollia folia eius acido succo valde abundant; hinc iumenta, foeni siccioris pertaesa, avido eorum esu morbum, qui partim ad nutritionis defectum et ingentem ligamentorum imbecillitatem, partim ad aliquam ossium emollitionem redit, et optime rursus exhibitis ossibus animantium diffractis aut pulverisatis curatur, sibi contrahunt.

§. IV.

Præter remedia, in antecedentibus contra rhachitidem commendata, et omnimodam quoque ab acidis nimiumque falsis abstinentiam, *antacida* pharmaca in hoc affectu maxime prodesse consueverunt. Non intelligo tamen sola terrea absorbentia, quorum virtus antacida ultra primæ culinæ limites nunquam extenditur, sed simul etiam alcalia salina, cuius census sunt tinctura tartari, metallorum, antimonii acris et tartarisata; quippe quæ ad remotissimos intimosque corporis recessus penetrant, et acidum causticum, ubicunque stabulans, extinguunt.

§. V.

A praeternaturali ossium emollitione insolita eorum FRAGILITAS, quam, leviori tantum vi illata, haud raro ipsa fractura sequitur *a*), intuitu aetiologiae non adeo longe

a) Vid. WILH. HVLD. WALDTSCHMIDT *Diatribe de Fracturis ossium sine violenta causa externa.* It. SAM. SCHAARSCHMIDTS *Medicinische und Chirurgische Nachrichten. Erster Theil p. 294. sequ.*

ıge recedere videtur. Pro meo enim licio caussa praecipua vel ad *conglutinantis ſtantiæ gelatinoſæ corruptionem putrido-erosam*, vel ſaltim ad *ſucci nutritii*, aut *me-llæ oleoſæ defectum* redit, qui naſci ſolet, ando canales oſſium exiliſſimi, ob ſucci bilis craſſitiem, aut paullatinum apud ſenes alitum, penitus obſtruuntur. Priores ıſſae quoad agendi nocendique modum is dudum ex antecedentibus manifeſtæ ıt, circa poſtremam vero adhuc notan-m venit, medullam oleoſam oſſa non nu-re quidem, ſenſim nihilominus et quoad quam partem ſeſe ex cavernis ſuis in ſoli-oris ſubſtantiæ oſſeæ interſtitia inſinuare, humectando glutinoſam gelatinæ conſi-ntiam conſervare, adeoque in propatulo ſe, ſub penuria aut plenario huius unguen-defectu memoratam gelatinam paullatim idam prorſus et quodammodo friabilem adere, nec debite amplius firmam oſſium ompagem conſervare poſſe.

CAP.



CAP. V.

DE ARTHRITIDE.

§. I.

ARTHRITIS (ab ἄρθρον, *articulus*) e[st] adfectio articulorum valde dolorific[a] cum tumore et rigore, ac vulgo, quod i[n] limine ſtatim neceſſario prænotandum veni[t] in *vagam* et *fixam* dividitur. Vaga, quan[n] nonnulli etiam *planeticam* vocant, eſt, quan[-]do dolor ſuperveniens non ſemper eanden[m] articulationem, ſed modo hanc, modo illan[m] invadit, et, poſt breviorem aut diuturnio[-]rem inhæſionem atque torturam, ex alia i[n] aliam tranſit. Fixa ex adverſo dicitur, [si] dolor ſub quovis periodico reditu ſuo ſem[-]per eundem articulum occupat, et unice i[n] eo per totum durationis tempus ſævitien[m] ſuam exercet. Multas hæc poſterior ſpe[-]cies, *Podagram* nempe, *Chiragram*, *Gona[-]gram*, *Coxagram* ſive *Malum iſchiadicum* *Rachiſagram*, *Kleiſagram*, *Omogram*, *Pechya[-]gram*

am, *Trachelagram* et *Siagonagram*, quæ
nime tamen indole ac cauſſis, ſed ſede
itum ſeu doloris ſubiecto, ſicuti ex græca
rum nominum origine patet, ab invicem
ferunt, ſub ſe comprehendit.

§. II.

Adfectus arthritici, vertigine utpluri-
um, dolore capitis gravativo, inquietudi-
, torpore corporis, laſſitudine membro-
m, ſegnitie aut obſtructione alvi, et aliqua
petitus imminutione, vel inſolita nonnun-
am voracitate præcedentibus, circa verna-
plerumque et autumnale æquinoctium,
imum diſpoſitos adoriuntur, et iisdem pa-
er anni temporibus inſultus ſuos ſive pa-
xyſmos repetunt. Superveniunt ordina-
o cum rigore, horrore et ſingulari quo-
m fabricationis ſenſu in futuro torturæ
biecto, deinde dolor paullatim increſcit,
ndemque, cum inſigni atque ſplendente
rca articulationem rubore ac ſumme ſen-
ili tumore, ardens, pungens, oſtocopus
utiſſimus evadit, et parti, quam ſemel oc-
pavit, per aliquot hebdomades pertinaciſ-
ne inhæret, vel ſubinde etiam, quod in ar-
thritide

thritide vaga fieri ſupra pridem dictum fuit ex alio articulo ad alium atque alium progreditur. Ex memorato tumore, ſupra et circa articulum dolentem exorto, interdum ſi aperitur, liquor ſeroſus, craſſus, lactei propemodum coloris, effluit, et eidem quoque tumori, qui initio plerumque colorem pallide duntaxat rubentem obtinet, ſubinde minores aut latiores maculæ, coeruleo nigricantes, aut obſcure rubrae inſident, quæ ſponte nonnunquam in ulcera mali moris abeunt.

§. III.

Dolori atque tumori varia alia iunguntur pathemata, febricula v. g. anomala, cum pulſu celeri et inæquali, nec minus ſumma inquietudo et animi impatientia, vigiliæ pavores in ſomno, ſitis, et motus in parte affecta abolitio, cui, ſi inſultus vehemens ac diuturnus fuerit, aut eundem articulum ſæpius iterato cruciatu affecerit, aridura et ligamentorum contractura ſuccedunt. Alvus durante paroxyſmo, plerumque adſtricta urina intenſe atque obſcure rubra, cum ſedimento tartareo-ſalino ſplendente, adpetitus nunc

nunc regularis, nunc paullulum imminutus, nunc iusto auctior, et habitus corporis nonnihil emaciatus sunt. Pleraque horum symptomatum et vehementes inprimis dolores, qui essentiam morbi constituunt, ordinario versus noctem incrementa capiunt, et ægrum usque ad solis exortum crudelissime torquent, deinde vero remittunt, et per diem tolerabiliora sunt. Subinde sub torturæ huius arthriticæ decursu hinc inde in cute maculæ scorbuticæ prodeunt, et alia pariter symptomata scorbutica notantur; hinc medici talem arthritidem *scorbuticam* vocant.

§. IV.

Proxime quidem dolores arthritici a *largo materiæ crassæ, viscidæ atque acris*, per universam humorum circulantium massam antea disseminatæ, *decubitu ad articulos* et *refractaria* inprimis *in vasculis tunicarum ac carnium incumbentium ac circumiacentium stasi*, oriuntur, haud spernendum nihilominus discrimen circa naturam specificam atque mobilitatem huius impuritatis occurrit. In recentiori ac calida arthritide enim recrementitia hæc materia *paullo tenuior, mobilior,*

mucido-

mucido-ſalino-ſulphurea, nunc *bili acriori*, nunc *impuritati ſcorbutico-purpuratæ* analoga, et cruori magis, quam lymphae immerſa eſt; in frigida ex adverſo et inveterata lymphæ magis ſeroſisque humoribus, quam cruori ſtrictius tali, inhæret, ac *multo craſſior*, *viſcidior*, *fixior*, *acido-tartarea*, adeoque tophis articulorum generandis aptiſſima, reperitur; hinc in recentioribus quoque adfectibus arthriticis ſub paroxyſmorum reditu atque vigore non febrilis tantum ſanguinis ebullitio, ſed rubor etiam et ardor in parte tumida atque dolente longe maior, quam in frigidis inveteratis, obſervatur. Citius præterea paroxyſmi in arthritide calida, ob promtiorem materiæ ſubſiſtentis exhalationem criticam, decurrunt, nec facile, niſi patientes variis forſan erroribus diæteticis, aut medentes incongrua medela et obviſcantium inprimis ac reprimentium adplicatione occaſionem præbeant, rigidam affecti articuli contracturam relinquunt.

§. V.

Longe rarius adfectus arthritici, præſertim fixi, apud ſequioris, quam nobilioris ſexus

Sexus homines generantur, ac modo dispositionem hæreditariam supponunt, modo citra eam, apud sanguinei maxime et sanguineo - cholerici temperamenti subiecta, per varias tantum caussas procatarcticas, quæ regularem se - et excretionum libertatem turbant, humores circulantes spissos, mucidos atque acres reddunt, et valde inprimis systema nervosum debilitant, inducuntur. Procatarcticæ hæ caussæ numerosissimæ sunt, præ reliquis nihilosecius libidinis intemperantia, otium nimium, crapula frequens, largior vini, tum acido - tartarei, tum valde etiam spirituosi potatio, nec non alimenta crassa, viscida, fumo indurata, et nimis salsa nimiumque aromatibus calidioribus condita, iracundia crebrior, mœror, curæ, profundæ ac diuturnæ meditationes, frequens corporis, præsertim æstuantis aut dudum cacochymici, refrigeratio, neglecta plethoræ ventilatio, defectus, suppressio et anomaliæ fluxus menstrui et hæmorrhoidalis, febres quartanæ intempestive suppressæ aliove modo sinistre tractatæ, inveterata passio hypochondriaca, rheumatismus gravior atque rebellis, et magna ad concretiones calculosas dispositio

tio hæreditaria illis accenſeri merentur. Nec ullum præterea dubium eſt, quin morbus hic ſubinde etiam per *contagium*, mediante ſcilicet concubitu, accubitu, ſudore, aut ſaliva atque lacte nutricum &c., in corpora ſana transplantetur.

§. VI.

Arthritis, ſive ſit vaga, ſive fixa, nunquam per ſe mortem patienti adfert, nec facile etiam paroxyſmi, ſtatis inprimis temporibus redeuntes, ultra diem quadrageſimum protrahuntur, ſed intra hoc tempus, ſi morbus rite tractetur, et patiens congruæ diætæ regulas obſervet, ſenſim miteſcunt, ac paullatina impuritatis ſubſiſtentis reſolutione et exhalatione, nec minus diureſi critica ac valde olentibus ſudoribus acidis, urinoſis &c., immo interdum fluxu hæmorrhoidali penitus rurſum ſolvuntur. Secus iudicandum et peſſima mala, apoplexia v. g., lethargus, paraplegia, cæcitas, catarrhus ſuffocativus, inflammationes et refractariæ obſtructiones viſcerum, ſpasmus ventriculi vehementiſſimus, atque rebellis, colica atrociſſima, cum inſequente utplurimum membrorum paralyſi, hy-

hydrops, rigiditas ligamentorum atque tendinum, contractura movendique impotentia affectorum articulorum, et plures aliae ominosae, tandemque exitiales, aegritudines, metuenda sunt, si, patientis aut medicastri culpa, copiosa ac crassa humorum recrementa mucido-salino-terrea in corpore retinentur, aut praesens dudum salutaris actus secretorio-excretorius, iracundia, terrore, refrigeratione, imprudenti externorum obviscantium ac reprimentium adplicatione, aliove modo ita rursus turbatur atque supprimitur, ut nonsolum impuritates, critice pridem ad articulos depositae, sed istae pariter, quae iam iam exitum per poros totius peripheriae moliuntur, ad interiora retrocedere cogantur. Haud parum quoque, si quaestio de radicalis curationis successu incidit, praesagia in hoc morbo differunt, quoniam aetas patientis atque vivendi ratio, nec minus gradus atque duratio mali iudicia medentis mirifice alterant. Nam malum recens, idemque mitius simul ac citra ullam dispositionem haereditariam levioribus tantum delictis diaeteticis contractum, apud subiecta adhuc iuniora ac vegeta, si exactissima eorum diaeta ad rationalem

medelam accedat, penitus nonnunquam tollitur, vel tantopere ad minimum mitigatur, ut paroxyſmi recurrentes facillime tolerari queant, inveteratum ex adverſo, gravius, hæreditarium, præſertim ſi patientes iam valde imbecilles ſenesque ſint, aut ſalutaribus præceptis diæteticis, ſicuti ſæpiſſime, non ſine medentis indignatione, fieri ſolet, debitum obſequium præſtare recuſent, nunquam, optimis etiam adhibitis remediis, radicitus exſtirpatur; nec ulla pariter tophis pridem in articulationibus genitis nodisque adparentibus, aut eminentiori dudum articulorum contractura exorta, ſanitatis recuperandæ ſpes ſupereſt.

§. VII.

Alia arthritidis in paroxyſmo, alia rurſus extra eum curatio eſt. In paroxyſmo, mature tamen præmiſſa *potiuncula laxante mannato-rhabarbarina*, *animi tranquillitas*, *patientia*, *regimen moderate calidum*, *victus potusque tenuis ac temperatus*, et *blanda diaphoretica* atque *diluentia interna*, *temperantibus* et *leniter incidentibus* remixta, infuſa nimirum theiformia ex radice glycyrrhizæ,

rhizae, cichorii, sarsaparillae, saponariae, thea orientali, herba melissae citr., teucrii veri, hederae terrestris, veronicae, betonicae, chamaedryos nobilis, floribus rorismarini, semine foeniculi, flavedine cort. citri et pauxillo ligni sassafras, potiunculae ex aqua flor. acaciae, tiliae, primulae veris, scordii, melissae, foeniculi, cinnamomi borraginata, lap. cancrorum, terra foliata tartari, sale de Seignette, nitro dep., et pulvere cascarillae, aut paucis granis sulphuris antimonii aurati optimi, et eiusdem quoque virtutis pulveres praestantissima pro meo iudicio tutissimaque existunt auxilia; idque certius, si externe, reiectis ac sedulo vitatis topicis quibusvis, unguinosis, emplasticis, spirituosis, narcoticis, aliisque decantatissimis quidem, ast parum securis specificis, sola tantum *velamenta mollia plumacea* aut *pilosa*, vel in frigido etiam statu *sacculi balsamici* ex floribus chamomillae Romanae atque vulgaris, sambuci, meliloti, calendulae, herba abrotani, melissae, rorismarini, semine nigellae Rom., dauci vulgaris et Cretici, baccis iuniperi et croco orientali, quae minime reprimunt aut obstruunt, sed summe potius necessariae exhalationis liber-

tatem conservant ac promovent, adhibentur. Admitto praeterea, si alvus adstricta est, *enemata emollientia*, nec *methodicam* etiam in statu frigidiori *moxae Chinensis adplicationem* improbo *a*); an ista autem in calidiori pariter magisque inflammatorio statu cum eadem securitate et utilitate imponi possit, rationibus quibusdam commotus, adhuc dubito, et unice igitur expertis diiudicandum relinquo.

§. VIII.

Cessante paroxysmo viribusque nonnihil restitutis, per totum induciarum tempus aegrum diaetam exactissimam observare, medentem vero de evellendis mali adhuc sanabilis radicibus cogitare, et in hunc igitur finem ea, quae *massam humorum attenuant atque purificant*, et *imbecilles maxime partes nervosas aliasque solidas*, quarum eminens atonia praecipua utplurimum atque originalis

a) Plura de hoc remedio in BLANCKARDTI et *Dn.* TEMPLE *Tract. de Moxa*, in KAEMPFERI *Amoenitat. exot. p.* 552. *sequ.*, et *Miscell. A. N. C. G. Dec. II. ann.* 4. *Obs.* 1. videri possunt.

lis morbi caussa est, *rursus confortant*, in usum trahere oportet. Remedia, primae indicationi dicata, pro discrepante humorum vitio ac morbi duratione, paullulum differunt. In arthritide enim recentiori, calidiori, bilioso-plethorica, praeter *periodicam venaesectionem* et *scarificationem*, lenioris potiunculae laxantes ex manna, rhabarbaro, terra foliata tartari, sale de SEIGNETTE, cremore tartari &c., pulveres ex terreis absorbentibus, salibus mediis, nitro, succino, sacharo lactis, hermodactylis, radice iridis Florentinae et sulphure antimonii aurato optimo, infusa theiformia, in paroxysmo pridem commendata, electuaria ex syrupo de erysimo LOBELII, de hyssopo, extracto angelicae, chamomillae vulgaris, pulvere rhabarbari, seminis foeniculi, asellorum praep. &c., serum lactis dulce, et aquae minerales soteriae Selteranae aut Antonianae, vel per se, vel cum lacte haustae, praecipue conveniunt, nec subinde etiam, si alvus videlicet valde constipata est, aut conspicui nodi haemorrhoidales exoriuntur, *clysterum* atque *hirudinum adplicatio* negligi debet. In arthritide frigidiori, magisque mucido-

ſeroſa et acido-tartarea cum venæſectione cautius mercandum, et potentiora potius humorum purificantia et attenuantia, ſaturatiora, v. g. decocta lignorum, largiori per aliquot hebdomades quantitate haurienda, morſuli antimoniales KUNCKELII, pilulæ polychreſtæ BECHERI atque STAHLII, pilulæ ex gummi ammoniaco dep., galbano, ſagapeno, aſa fœtida, extracto cardui benedicti, cent. minoris, balſamo Peruviano ac Tolutano, mercurio dulci et ſulphure antimonii aurato, pulveres ex terreis antacidis, ſalibus mediis, floribus ſalis ammoniaci ſimpl., rad. ari ppt., caſcarilla, croco orientali, ſuccino, regulo antimonii medicinali, lumbricis terreſtribus pptis &c., mixturæ concentratæ, parcius tamen exhibendæ, ex tinctura metallorum, antimonii tartariſata, eſſentia meliſſæ, gentianæ rubræ, pimpinellæ albæ, et ſpiritu bezoardico BUSSII, nec minus uſus thermarum Carolinarum, tam internus, quam externus, in auxilium vocanda ſunt.

§. IX.

Emendata paullulum vitioſa humorum qualitate, in utraque arthritidis ſpecie prædictis

dictis remediis validiora *roborantia* iungi et interponi debent, cuius census v. g. sunt, cortex Peruvianus selectior, cum sacharo et pulverisato foeniculi semine ad morsulorum formam redactus, tinctura granorum chermes, cum liquore anodyno minerali aut optimo spiritu nitri dulci parata, electuaria ex syrupo mastichino, de stoechade, cinnamomi, cort. aurantiorum, rob iuniperi, extracto millefolii, cascarillae, pulvere visci quercini, granorum chermes, croci orientalis &c., confectio alkermes completa et incompleta, nec minus acidulae Pyrmontanae et eiusdem virtutis aliae. Externe in arthritide frigidiori mucido-lymphatica, post praevias *frictiones* leniores, *linimenta spirituosa* ex spiritu formicarum, fuliginis, lumbricorum terrestr., liliorum convallium, lavendulae, rorismarini, spiritu vini crocato, essentia castorei &c., nec minus *balnea formicarum* cum herbis nervinis balsamicis et *thermae* pariter *minerales* Carolinae, Töplicenses, Emsenses &c. tutum quandoque locum inveniunt, in calidiori bilioso-plethorica autem linimenta spirituosa nocent, et, praeter sacculos balsamicos nervinos, thermas et

balnea formicarum, vix aliud remedium secure adplicari potest.



CAP. VI.

DE RHEVMATISMO.

§. I.

RHEVMATISMVS (a ῥέω, *fluo*) est vagabundus affectus spasmodico-dolorificus, qui utplurimum quidem artuum musculos, articulationibus interiectos, torquet, inde ad alias nihilominus capitis, pectoris et abdominis partes saepissime transit, ac huic vel illi diutius aut brevius inhaerens, morbos multos ac varios, non nomine tantum, sed subinde etiam genio atque atrocitate symptomatum valde discrepantes, vertiginem v.g., cephalalgiam, hemicraniam, susurrum aurium, otalgiam, obauditionem, respirationem difficilem, haemoptysin, tusses rebelles, phthisin pulmonalem haud raro post se trahentes, pleu-

pleuritidem ſpuriam, palpitationem cordis, tormina ventris &c., provocat.

§. II.

Dolores artuum rheumatici cruciatus arthriticos valde nonnunquam æmulantur, unde attente etiam, ne confuſio oriatur, ad differentiæ criteria reſpiciendum eſt. Dolores rheumatici nimirum ordinario muſculos eorundemque involucra membranacea adfligunt, nec adeo diu quoque in loco uno eodemque commorantur, ſed motu vago ex parte alia ad aliam transcurrunt, ita tamen, ut facillime rurſus ad illud membrum, cui antea ſæpius dudum infeſti fuerunt, revertantur. Raro præterea atrociores lacerantes ac lancinantes evadunt, ſed plerumque tolerabiliores gravativi, preſſorii, atque tenſivi ſunt, cum inſoliti utplurimum frigoris ſenſu, absque conſpicuo tumore et rubore: Arthritici ex adverſo in ipſis oſſium articulationibus et circa eas ſedem figunt, tyrannidemque longe maiorem ac diuturniotem urendo, pungendo, lacerando ac quaſi rumpendo ac contundendo exercent, et incumbentium ac circumiacentium partium mol-

mollium tumorem et ruborem comites habent. Minime cæteroquin negari potest, magnam hic affinitatem ſubeſſe, et dolores rheumaticos ſæpe arthriticos antecedere, nec raro penitus tandem in illos commutari, vel adeo tamen cum iis colludere, ut perfecte amplius diſtingui nequeant.

§. III.

Circa determinandam cauſſam rheumatiſmi materialem ſcriptores medici in partes abeunt, et alii eum unice ab acerrimo humore ſeroſo-lymphatico derivant *a*), alii, iique pauciores, ſanguinem inflammantem tenaciſſimaque pituita mirifice refertum, primario adcuſant *b*). Quod me attinet, nec

a) Conf. BAGLIVVS *in Operib. p. m. 116.* et IO. ALLEN in *Synopſi Vniverſæ Med. pract. cap. 9. Art. 56.*

b) „Cum utraque hæc morbi ſpecies, *ſic in Opuſcu-* „*lis ſuis Sect. V. Cap. 5. p. m. 260. de rheumatiſmo et lumbagine loquitur*, ab inflammatione „videatur oriri, quod tum iam dicta Phæno- „mena, tum præſertim ſanguinis venæſectio- „ne educti color, utpote qui Pleuriticorum

nec horum, nec illorum ſententiæ ſimpliciter ſubſcribere poſſum, ſed utramque potius, diverſis temporibus et in diverſis ſubiectis, admittendam eſſe cenſeo. Probe præterea notandum erit, humorem peccantem in ſeroſis etiam atque lymphaticis adfectibus rheumaticis non ſemper eandem, ſed ſatis quoque diverſam qualitatem obtinere, ac modo *valde tenuem, muriaticum, acerrimumque* eſſe, modo *tenacem admodum ſalino-muoſum*, adeoque ſpaſmos doloriſicos nunc olo hoſtili ſtimulo, nunc vellicatione inimia et pertinaciſſima inſimul inhæſione atque bſtructione ſuſcitare. Quare iſtos quoque rudentius acturos exiſtimo, qui rheumaiſmum in *frigidum ſeroſo-lymphaticum* ac *alidum ſanguineum* diſtinguunt, et hunc, uem frequentes plerumque ac vehementes anguinis univerſi ebullitiones, febrilibus ommotionibus valde analogæ, quin vera onnunquam febris comitantur, a *cruore abun-*

„ſanguini tam eſt ſimilis, quam ovum ovo, „neque quisquam reperiatur, qui hos in„flammatione laborare, vel quidem dubita„verit &c.

abundante, biliofo ac valde fimul fpiffo, illum vero, qui catarrhos quodammodo æmulatur, a *mucidis a*) et *acribus, falfis, urinofis b*), et fubinde etiam *acido-tartareis quisquiliis*, latici ferofo atque lymphatico copiofe immerfis, deducunt.

§. IV.

a) CAROLVS DRELINCVRTIVS acres mucidosque humores ferofo-lymphaticos apud rheumaticos fub ftafi diuturna interdum e vafculis ruptis aut exefis plane exundare, et in mufculorum fuperficie, uti hoc aliquando in homine, gravi rheumatifmo tandem extincto obfervavit, gelatinæ inftar, in craffam denfamque maffam concrefcere teftatur. Vid. GODOFR. BERGERI *Diff. de Rheumatifmo* §. 19.

b) GVILHELMVS MVSGRAVE, qui humorum lentorem in rheumatifmo magis quoque ab acri fale alcalico, quam acido, fieri arbitratur, ferum rheumaticorum fyrupo violarum viridem colorem inducere, et poft mercurii fublimati, in aqua foluti, mifcelam, fedimentum albiffimum deponere, immo eandem mercurii folutionem, pelliculæ, fanguini innatanti, ad aliquot guttulas affufam, fuperficiem eius albidam reddere, in *Diff. de Arthritide fymptomatica Cap. 2. articul. 4. p. 7.* refert.

§. IV.

Præter indicatam cauſſam materialem attente etiam ad complicatam *partium ſolidarum* et *nervoſi* inprimis *ſyſtematis imbecillitatem* reſpiciendum eſt, quippe quæ generandæ, retinendæ, adeoque magis in dies magisque coacervandæ impuritati humorum acri ac mucidæ admodùm famulatur: Quandoquidem inde primaria etiam petenda erit ratio, cur ſubiecta, teneriori ac ſenſibiliori fibrarum textura prædita, cuius cenſus v. g. cholerica ſunt, itemque ſanguinea et ſanguineo-cholerica, præ reliquis rheumatiſmi inſultibus obnoxia inveniantur; immo inde pariter ratio manifeſta redditur, cur homines, abuſu veneris, laboribus nimiis, hæmorrhagiis immodicis, nimis frequenti purgantium atque ſudoriferorum uſu, meditationibus profundis, curis, crebriori terrore et iracundia, aliisque animi adfectibus exorbitantibus debilitati, præſertim ſenio appropinquante, rheumaticos cruciatus frequentius experiantur, et eorum quoque exacerbationem autumnali inprimis ac verna tempore, quin imminente ac ſuperveniente

niente quacunque propemodum tempestatis mutatione, magis persentiant.

§. V.

Caussis procatarcticis recensitis suumque symbolum indirecte tantum ad materiae rheumaticae genesin, adcumulationem, facilioremque decubitum conferentibus, nunc istae pariter, quae dicta strictius et propiori magisque immediato effectu praestant, improvida nimirum ac repentina corporis, praesertim diurno aut nocturno tempore aestuantis, refrigeratio, esculenta nimium salsa, viscida, concoctu difficilia, potulenta spirituosa, iusto largius hausta, defectus potus sufficientis, vita sedentaria, febres intermittentes praemature cohibitae, diarrhoeae criticae imprudenter suppressae, purpura scorbutica retroacta et defectus aut suppressio fluxus menstrui atque haemorrhoidalis iungendae veniunt. Postremae hae et inter hasce rursus fluxus menstrui et haemorrhoidalis obstructiones et anomaliae attentam inprimis considerationem merentur, quoniam, sicuti istud FRIDERICVS HOFFMANNVS suo pariter testimonio con-

confirmat a), adfectibus rheumaticis et arthriticis producendis præ omnibus fere aliis caufis occafionalibus aptiffimæ repeπiuntur.

§. VI.

In iunioribus, maiori adhuc partium robore pollentibus, adfectus rheumatici facilius tolluntur, in ætate provectioribus autem, ad fenectam dudum inclinantibus, ac valde pridem debilitatis, radicalem curationem, præfertim fi per moras diuturniores ac fæpius iteratam invafionem iam valde invaluerint, rariffime vel nunquam admittunt, sed, identidem fub tempeftatum mutatione et patheticis animi commotionibus, aut commiffo alio leviffimo errore diætetico recurrentes, per totum reliquum vitæ decurfum patientes mirifice vexant, aut tandem in veros dolores arthriticos degenerant. Solvuntur plerumque blanda diaphorefi aut forti nonnunquam fudore, vel copiofo ac critico impuritatum tartareo-falino-mucidarum cum urina fecesfu, vel macularum quoque, pustu-

a) *In Med. Syftem. T. IV. p. 435.*

puſtularum aliarumque efflorefcentiarum purpuratarum eruptione, immo, ſi calidioris ſanguineæ indolis ſint, hæmorrhagia narium apud ſubiecta iuniora, et fluxus hæmorrhoidalis apud ſeniora ſuperveniens, eosdem haud raro perfecte abigunt, aut valde tamen mitigant. Nec tacendum denique, coryzam et largam materiæ mucidæ acrioris expectorationem in hoc morbo locum inter naturæ auxilia tueri, et crebriores inſultus eius egregie avertere.

§. VII.

Curando huic morbo ſingula, quæ *reſolvendo, temperando, depurando* ac *roborando* operantur, inſerviunt, non promiſcue tamen adhibenda, ſed pro differenti cauſæ materialis indole, quæ, uti ex præcedentibus conſtat, vel calidior bilioſo-ſanguinea, vel magis frigida muriatico-mucido-ſeroſa eſt, modo hæc, modo illa ſeligenda erunt. SYDENHAMIVS aliique medici ſatis celebres largam ac crebro repetitam *phlebotomiam* optimum atque commune deprædicant remedium, attamen aſſenſum meum ipſis ſimpliciter ac citra limitationem largiri nequeo.

Nam,

Nam, licet quidem verissimum sit, quod phlebotomia in rheumatismo sanguineo, praesertim si fluxus menstrui et haemorrhoidalis anomaliae apud subiecta plethorica praecipuam illi occasionem suggerant, insigne levamen adferat, viamque reliquae curationi pandat, simul nihilominus frequenti observatione comprobatum est, eandem parum vel nihil auxilii in rheumatismo frigido, ubi latex seroso - lymphaticus magna muciditate et acrimonia peccat, praestare, sed saepius administratam solidas partes robore suo magis privare, adeoque aegri statum certius deteriorem, quam meliorem reddere. Quare pro meo etiam iudicio tutius erit,ut medicus curationem rheumatismi calidi sanguinei cum larga *venaesectione*, frigidi ex adverso sive seroso - lymphatici medelam cum blanda ventris purgatione, per mannato - rhabarbarina aliaque leniora *laxantia* procuranda, exordiatur, et postea pariter remedia haec congruo tempore identidem repetat, quo in casu priori sanguis abundans imminuatur, spissus, densus, ad coagulum pronissimus, ventiletur, et impetuosae congestiones eius versus partem dolentem avertantur, in casu posteriori autem non tan-

tum saburra impura, in prima culina stabulans fomitemque continuum praebens, sed sensim quoque aliqua materiae acris ac mucidae portio ex ipsis vasculis seroso-lymphaticis per glandulas intestinales subtrahatur.

§. VIII.

Subinde in statu calido sanguineo praeter venaesectionem, pro partis aut partium adfectarum situ, modo in brachio, modo in pede instituendam, etiam *scarificatio*, itemque, si manifestae nimirum haemorrhoides caecae urgeant, *hirudinum adplicatio* utilissima reperitur, deinde autem *diluentia*, *demulcentia*, *temperata resolventia* et *antorgastica*, cum *lenioribus diaphoreticis* mixta, v. g. serum lactis, cremore tartari aut pulpa tamarindorum praecipitati, decocta ex hordeo, avena, radice glycyrrhizae, scorzonerae, graminis arvensis, cichorii, taraxaci, ligno sassafras, semine foeniculi &c., nec minus pulveres ex absorbentibus terreis, nitro dep., sale de Seignette, acetosellae et cort. cascarillae, ut et potiunculae et emulsiones ex aqua flor. acaciae, tiliae, sambuci, endiviae, amygdalis dulci-

dulcibus, ſeminibus quatuor frigidis maioribus et minoribus, ſemine cardui benedicti, cardui Mariæ; et memoratis pulverulentis paratæ, maxime conveniunt, immo mixturæ concentratiores ex ſpiritu nitri dulci, eſſentia meliſſæ, cort. citri, ſuccini &c. non contemnendum quandoque auxilium ferunt, ſi parcius exhibeantur, et uſus eorum per intervalla tantum præcedentium uſui interponatur.

§. IX.

Adductorum pharmacorum ſingula in rheumatiſmo frigido itidem quidem tutum inveniunt locum, tollendæ tamen humorum muciditati et acrimoniæ minime ſufficiunt, ſed, præmiſſo *purgante* aut *leni emetico*, (quod poſterius GVILIELMVS MVSGRAVE valde commendat) paullo potentiora etiam *attenuantia*, *diuretica* et *diaphoretica*, ut et validiora quædam *edulcorantia* in uſum trahenda ſunt. Prioribus eſſentiam pimpinellæ albæ, corticis aurant., gentianæ rubræ, trifolii fibrini, ſcordii, millefolii, aſæ fœtidæ &c., extractum cardui benedicti, cent. mino-

ris, fumariæ, chamomillæ vulgaris &c., gummi ammoniacum dep., liquorem cornu cervi succinatum et similia accenseo; ad posteriora autem aquas soterias minerales Antonianas, Selteranas, Schwalbacenses, Spadanas, Egranas, quin ipsas quandoque Pyrmontanas, itemque lac recens coctum et cum aqua Selterana aut infuso theæ orientalis tempore matutino largius haustum, referri posse, arbitror. Nec silentio etiam prætermitti debet, *roborantia austeriusculo-amara*, quorum præcipua rhabarbarum æstimo et genuinum corticem Peruvianum, optatum curationis successum egregie pariter promovere, præsertim, si, prava demum humorum qualitate paulisper emendata, adhibeantur, et prius creberrima inprimis, eaque paullatina, manducatione adsumatur. Externe in rheumatismo calido, præter *blandum calorem* et *lenissimas* nonnunquam *frictiones*, nihil plane commendandum duco, in frigido ex adverso *calefacti sacculi balsamici* ex herba menthæ, maioranæ, rorismarini, floribus chamomillæ Romanæ et vulgaris, baccis iuniperi, semine nigellæ Rom., avena tosta, croco orientali et camphora, et interdum

dum quoque *linimenta* ex ſpiritu vini camphorato et crocato, ſpiritu cornu cervi, formicarum, liliorum convall., aqua Anhaltina, cephalica imperatoris, eſſentia caſtorei &c., immo *balnea formicarum* cum herbis nervinis admitti poſſunt.



SECTIO VI.

DE MORBIS HABITVS CVTANEI.

CAP. I.

DE LEVCOPHLEGMATIA, CACHEXIA ET OEDEMATE ARTVVM.

§. I.



EVCOPHLEGMATIA; a λευκὸν, *album* et φλέγμα, *pituita* ſic dicta, eſt tumor univerſi corporis externi pallidus, mollis atque œdematoſus, qui foveas digito impreſſas aliquamdiu retinet, et proxime a valde viſcido, tenaci ac fere pultaceo humore ſeroſo-lymphatico, in cellulis panniculi adipoſi coacervato ac ſubſiſtente, oritur.

§. II.

§. II.

Medicorum nonnulli hunc adfectum etiam *Anaſarca a*), nec non *Hydropem intercutaneum* vocant: Attamen, plus omnino minusve diſcriminis leucophlegmatiam, anaſarca et hydropem intercutaneum ſtricte talem intercedere, extra dubium poſitum eſſe, reor. Pro meo enim iudicio *leucophlegmatia* eſt, quando copioſus humor pituitoſus ſolas panniculi adipoſi cellulas occupat; *anaſarca* autem, σαρκίτες, *hypoſarca* &c. appellari

a) Vocabulum Anaſarca ex ἀνὰ, *per*, et σάρξ, *caro* componitur, hinc indeclinabile eſt: „Conſulere in eo tironibus artis volui, IO. HENRICVS SCHVLZIVS *in Præfatione*, BLANCARDI *Lexico medico præmiſſa, inquit*, quibus „huiusmodi libri maxime ſcribuntur. Horum „in gratiam annotatur ad *Anaſarca*, quod ſit „Græcum ex duabus partibus orationis conflatum, quarum poſterior eſt caſu quarto; „quodque declinari non debeat. Viſus mihi „ſum obſervaſſe, quod etiam viri hic impingant, et aliqui τὸ *anaſarca* adiectivum femininum rati, deinde perpetuo hydropem ex „maſculinorum claſſe ad feminina transtulerint &c.

pellari meretur, quoties leucophlegmatia maiorem ambitum adquirit, et magna humoris pituitoſo-lymphatici moles non tantum in adipoſis panniculi ſubcutanei cavernulis, ſed in celluloſa pariter tunica, muſculos, priori integumento ſubſtratos, tum foris cingente, tum ipſam quoque eorum ſubſtantiam intrante fibrasque motrices involvente, quieſcit, et *hydropis* denique *intercutanei proprie* ac *ſtricte talis* nominationem accipit et accipere debet, ſi humor tenuior et maximam partem aquoſus, in iisdem receptaculis ſubcutaneis celluloſis ingenti copia collectus ac rurſus ad ſanguinem remeare neſciens, tumorem habitus cutanei, non mollem tamen laxumque, ut in ſpeciebus praecedentibus, ſed ſplendentem, renitentem, ac fere nonnunquam ad metum usque crepaturae invaleſcentem, producit.

§. III.

Varia ſymptomata alia praedictae habitus cutanei intumeſcentiae ſeſe comites adiungere conſveverunt, ac tota vel potior tamen ſemiologiae pars ad ſequentia redit: Color vultus magis, quam partium ſuperficiei

ciei reliquarum, defœdatur, et ex pallido tandem in plumbeum, immo viridiufculum aliquando, flavefcentem luridumque mutatur; fieri tamen interdum folet, ut genæ pallidæ, æftu volatico identidem exorto, fallaci rubedine tingantur. Oculi triftes funt, palpebræ inflatæ attolluntur, et labia folito pallidiora, quin paullulum fubinde livida, evadunt. Animus torpet, nec ullam cupidinem ad meditationes et confueta munia obeunda, nec decentem quoque ad illa habitudinem habet, et quævis corporis membra infignem gravitatem ac laffitudinem fentiunt. Adeft continua fomnolentia, fomnus tamen interruptus ac turbulentus eft, nec ægrum reficit, fed magis potius debilitat. Refpiratio, præfertim fub motu corporis paullo citatiori et acclivium adfcenfu, admodum difficilis fit, adpetitus ciborum vagus et magis plerumque minusve deiectus, pulfus arteriarum languidus, urina pauca modo fubturbida, modo tenuis aquofa, fublivida, aut pallida faltim flavedine, ad virorem nonnihil inclinante, tincta, et alvina denique excretio valde irregularis, nunc fcilicet iufto fegnior, nunc vero iufto crebrior ac lienterica deprehenduntur.

San-

Sanguis vena emiſſus colorem naturali longe pallidiorem obtinet, et ſero mucoſo admodum ſcatet; hinc calor naturalis adeo decreſcit, ut ægri ſæpe in calefacto etiam conclavi de frigoris ſenſu conquerantur, et corpus externum ſub contactu pariter frigidius, quam apud ſanos, reperiatur, ſi iſta tempora exceperis, quibus non adeo rari in hoc morbo æſtus volatici exoriuntur. Poſt paſtum creberrime gravitas ventriculi, tenſiones ac flatulenta pathemata ſentiuntur, immo commemoratis identidem dolores capitis et vertiginoſæ perturbationes, anxietates præcordiorum, et moleſtiſſimus preſſionis, conſtrictionis atque duritiei ſenſus internus ſub umbilico, aut in hypochondriis, præſertim dextro, accedunt.

§. IV.

Valde cum leucophlegmatia ac parum diſcrepante anaſarca ſic dicta CACHEXIA, præprimis adultior, quoad pleraque, tam ſemiotica, quam ætiologica momenta, convenit, et facillimus quoque huius, ſi magis in dies magisque invaleſcat, in leucophlegmatiam et anaſarca tranſitus eſt, unde haud raro

etiam

iam a negligentioribus aut ignaris practicis
rores circa symbolizantium horum affe-
uum diagnosin ac veram denominationem
mmittuntur, qui facile tamen evitari pot-
unt, si ægritudinum memoratarum sympto-
ata nonnulla, et differens inprimis habitus
itanei conditio rite perpendantur, ac mu-
o conferantur. Nam licet apud cachecti-
s aliqua pariter habitus cutanei inflatio si-
intumescentia pallida, mollis, laxa ac pen-
la observetur, comparative tamen multo
c ipsa levior, et nusquam persæpe, nisi in
ltu tantum ac palpebris perfecte conspi-
a est, nec ulla etiam digiti impressi vesti-
sive foveolæ, quod præcipuum differen-
criterium existit, remanent, sed pars pres-
mox iterum, paullo languidius tamen,
am apud sanos, resurgit, si summum mor-
gradum exceperis, sub quo utplurimum
pedibus et subinde etiam in manibus
lematosi quidquam accedere, atque
ius leucophlegmatiæ adventum præsa-
consuevit.

§. V.

Maius adhuc discrimen circa causam
itus cutanei tumidiusculi ac tumidi proxi-
mam

mam atque formalem occurrit: In cachexia nimirum lympha viſcida in ipſis vaſculis ſuis adcumulatur, ac nondum penitus quieſcit, ſed tardum adhuc languidumque circuitum exercet, in leucophlegmatia vero, anaſarca et hydrope intercutaneo humor, nunc longe viſcidior, quam in cachexia, nunc tenuior ſaltim aquoſus, in panniculi adipoſi receptaculis et tela muſculorum celluloſa largiſſime colligitur, et perfecte, ob denegatum regreſſum ad ſanguinem, ſubſiſtit: „Eſt vero, „PLATNERVS *ſcribit a)*, quædam differentia. Tumor, qui, digito preſſus, mox „iterum conſurgit, ſignificat, humorem ſuis „adhuc receptaculis vaſisque lymphaticis „contineri, ſi autem tumor mollior eſt, et „qui digito preſſus cedit, ita, ut circumfluens „etiam humor id, quod non premitur, attol„lat, et ſinus impreſſus diu maneat, is oſten„dit, rupta eſſe illa receptacula et humorem „in adipis cellulas eſſe emiſſum, qui caſu „multo aſperior eſt &c.

§. VI

a) In *Inſtit. Chirurgiæ rat.* §. 733.

§. VI.

Non confundi quoque debet leucophlegmatia cum CHLOROSI, quippe quæ ad infimum cachexiæ gradum pertinet, et locum quasi medium inter dispositionem cachecticam et veram cachexiam occupare videtur. Virginibus hic affectus, excedente fluxu menstruo, vel, quod longe sæpius observatur, eiusdem obstructione refractaria laborantibus, familiaris est, et præsentiam suam tetro vultus colore, eoque pallido et nonnihil tandem virescente ac flavescente, nec minus frequenti cordis palpitatione, respiratione sub acclivium adscensu et motu citatiori admodum difficili, languore animi, tristi oculorum lumine, et magna membrorum omnium, præsertim pedum, gravitate ac lassitudine præcipue manifestat, nulla tamen ante cachexiæ adventum, in quam neglecta aut male tractata utplurimum degenerare solet, habitus cutanei inflatio conspicitur, sed facies, manus, quin totum quandoque corpus, nonnihil potius macrescunt; idque eo magis, si, cura procrastinata aut plane irrita, loco cachexiæ phthisica metamorphosis immineat, ac iam iam accedere incipiat.

§. VII.

§. VII.

Oritur in panniculi adipoſi et telæ muſculorum celluloſæ cavernulis communicantibus antea memorata laticis ſeroſo-lymphatici, tum viſcidioris, tum tenuioris, *adcumulatio præternaturalis*, ceu cauſſa leucophlegmatiæ ſimiliumque affectuum proxima, *a vaſculorum reſorbentium* ac *reducentium*, quin ſimul ſubinde *a minimarum venarum ſanguiferarum* obſtructione rebelli, et hæc rurſum magnam partium ſolidarum in toto corpore atoniam, flacciditatem ac valde torpidam contractionem, nec minus nimiam ſeri in ſanguine abundantiam, partiumque ex adverſo oleoſo-inflammabilium penuriam atque depreſſionem et ingentem præcipue cruoris non minus, quam lymphæ lentorem atque muciditatem cauſſas agnoſcit: Nec inordinatus quoque minusve ſufficiens ſe- et excretionum ſucceſſus, nec prava pariter ſuccorum alibilium in ventriculo et inteſtinis præparatio, nec viſcerum denique, præſertim hepatis atque lienis, oppletiones, infarctus, obſtructiones aliaque vitia ex cenſu cauſarum excludenda ſunt, quippe quæ prima haud raro harum atque ſimilium ægritu-

ægritudinum chronicarum fundamenta ſter-
nunt, et magis easdem magisque augent.

§. VIII.

Apud ſubiecta macilenta, ſicciora, cho-
lerica et cholerico-melancholica memorati
affectus hydropici rarius generantur, ſed
temperamenti ſaltim ſanguineo-phlegmatici
hominibus, laxa partium ſolidarum textura
præditis, familiares ſunt, et ſæpius quoque
feminæ, male inprimis menſtruatæ, quam
viri, iisdem corripiuntur. Cauſſæ cætero-
quin antecedentes, quæ diſpoſitionem in
actum deducunt, multæ omnino ac variæ
ſunt, iisdemque potiſſimum habitatio in loco
humido-frigidiuſculo, uliginoſo, paluſtri,
diuturna itemque aeris intemperies frigidi-
uſculo-nebuloſa ac pluvioſa, eſculenta ni-
mium viſcida, mucoſa, concoctu difficilia,
nimiumque oleoſa ac pinguia, ingurgitatio
frequens vini aduſti aliorumque potulento-
rum ſpirituoſorum, ſomnus nimius, vita otio-
ſa ac ſedentaria, mœror, triſtitia, ac curæ
graviores, libidinis intemperantia, crebrior
inſenſibilis tranſpirationis et ſudoris ſuppreſ-
ſio, neglecta plethoræ ventilatio periodica;

per phlebotomiam et ſcarificationem, defectus, anomaliæ, ſuppreſſio et nimius quoque fluxus menſium atque hæmorrhoidum, diuturnus, continuus, ac largior fluor albus, abuſus balneorum emollientium, febres intermittentes, et diarrhoeæ criticæ, per ſtyptica remedia præmature atque imprudenter cohibitæ, arthritis retrograda, ſcabies retroacta, obſtructio venæ portae, inveterata ac valde exacerbata paſſio hypochondriaca et hyſterica, immodicæ et adhuc magis diu continuantes ſanguinis profuſiones, aliaque plura, quæ tonum partium ſolidarum deiicere, humoribus ſpiſſitudinem, muciditatem, et craſſitiem quaſi pultaceam inducere, et viſcera imi ventris ac glanduloſa lymphæ colatoria obſtruere poſſunt, aceenſeri merentur. Nec reticendum quoque erit, ingluviem pariter et pravam huic ſuccedentem chymificationem primam huic morbo occaſionem ſuggerere.

§. IX.

Militant leucophlegmatia et reliquæ hydropis intercutanei ſpecies inter morbos chronicos, rebelles et curatu difficillimos, hinc

hinc parum fausta in illis præsagia locum habent, sed plerique, iisdem correpti, præsertim si annosiores dudum, senescentes ac senes existant, extinguuntur. Nam, irrita, medela, hydrops abdominis utricularis sive ascites, nisi forsan præcesserit pridem, propter complicatam plerumque refractariam imi ventris viscerum obstructionem, iungitur, et gravior febris lenta, tandemque catarrhus suffocativus, aut lethargus et apoplexia, quæ patientem vita spoliant, superveniunt. Tumore quidem adolescente, interdum hinc inde in cute, præsertim in cruribus ac brachiis, latiores quædam maculæ rubentes atque pruriginoso-ardentes generantur, quæ aliquando nonnihil ulcerosæ fiunt, et copiosum humorem tenuem, virescentem ac valde acrem serosum emittunt, attamen rarissime constans inde atque perfectum auxilium exspectandum est, quoniam prior habitus cutanei inflatio, licet identidem sub hoc stillicidio paullulum decrescat, facile, ob superstitem vasculorum reducentium obstructionem ac viscerum labem, revertitur. Vt nihil de humorum acredine dicam, quæ, accidente spontaneo hoc stillicidio, valde du-

dum exaltata viſcerumque integritati ſub ſtagnatione ſua ac ſtaſi infenſiſſima eſt, et ſua igitur roſione haud raro interna ulcuſcula excitat.

§. X.

Curatio quatuor indicationibus, tempeſtiva nimirum quieſcentis liquidi mucido-ſeroſi eductione, humorum omnium attenuatione, obſtructorum viſcerum ac glandularum recluſione, et nova rurſus partium ſolidarum corroboratione nititur. Ad evacuantia, primae indicationi dicata, *laxantia* quidem, *diuretica* et *diaphoretica*, alibi contra hydropem abdominis commendata, referri poſſunt, maxima tamen fiducia in matura ac rite ſuſcepta *Paracenteſi*, quae, experientia teſte, maiorem perſaepe opem in hydrope intercutaneo, quam aſcite, tulit, collocanda erit. Teſtem hoc loco RICHARDVM MEAD adducam, qui in Opuſculo, cui Titulus, *Monita et Praecepta medica*, ita *pag.* 73. de hoc auxilio diſſerit: „Sed ad „curationes horum morborum veniendum eſt. „In leucophlegmatia inciſio in tibiae parte „interiore fieri debet, duobus ſuper talum „digitis,

„digitis, ita ut vulnus ad cellulosam membranam nec ultra penetret, quo per dies aliquot frequens humor feratur; crus autem interea foveri oportet decocto herbarum emollientium et calidarum, adiecto *spiritu vinoso*, cui addita sit *camphora*. Hanc medicinam non tantum in hac morbi specie, sed et in ipso ascite multum profuisse, quin et interdum sanasse, multoties expertus sum; profluente per multos dies tanta liquoris copia, ut fidem superet. Cavendum autem est, non in ea tantum incisione, sed et in omnibus, quae in quacunque corporis parte aquae educendae causa fiunt, ne nimis inde exhauriantur vires; quas aeque prosternit humor ita emissus, ac si sanguinis ipsius tantumdem efflueret &c." Paracentesi, seu potius singulari integumentorum incisioni, et praedictis evacuantibus internis hoc loco *calor* quoque hypocausti, foci, furni, solis, arenae &c. addi merentur. Nam licet hoc auxilii genus non adeo magnam quidem opem praestet, plus tamen minusve ad molem humoris coacervati ac quiescentis minuendam conferre valet.

§. XI.

Medicamenta, ad obtinendam secundam et tertiam indicationem apta ac necessaria, ex *incidentium*, *abstergentium*, *discutientium*, *stimulantium*, quin *evacuantium* quorundam classibus desumuntur, et prae multis aliis pulveres maxime ex absorbente quodam terreo, salibus neutris, radice ireos Flor., ari ppta, curcumae, croco orientali, coccionella, asellis pptis, succino ac regulo antimonii medicinali, nec non decocta saturatiora ex radice angelicae, saponariae, pimpinellae albae, fol. trifolii fibrini, ligno Guaiaco, nephritico, floribus salviae, rorismarini, et flavedine cort. citri, infusa vinosa ex rad. galangae, gentianae rubrae, angelicae, ari, pimpinellae albae, rhabarbaro, fol. senae, maro vero, chenopodio ambrosioide, nasturtio vulgari hortensi et Indico recenti, cort. ligni Guaiaci, ligno santalo flavo, sem. sinapi, santonico, cardamomo minori &c., pilulae ex gummi ammoniaco dep., galbano, sagapeno, asa foetida, aloe violata aut rosata, myrrha genuina, extr. cent. minoris, cardui bened., scordii, aliisque amaris, terra foliata tartari, floribus salis ammoniaci simplicibus aut martialibus

tialibus ſolutione parata, poſteaque tincturis ſpirituoſis, tinctura v. g. tartariſata aut acri antimonii, metallorum, pimpinellæ albæ, ſcordii, rhabarbari, nec non liquore cornu cervi ſuccinato, aut ſpiritu bezoardico BVSSII remixtæ, morſuli antimoniales KVNCKELII, aqua calcis vivæ, et plura alia, virtute recenſitis analoga, commendanda veniunt.

§. XII.

Pharmacis laudatis aliquamdiu uſurpatis, *evacuantia cathartica*, *laxantia*, quin ipſa interdum *emetica* ex rad. ipecacoanhæ, mechoacannæ albæ, rhabarbari, fol. ſennæ, extracto catholico, panchymagogo CROLLII, ſale amaro Sedlizenſi et Ebshamenſi &c. identidem interponi, et deinde, reſolutione nimirum et evacuatione humorum nonnihil peracta, *roborantia potentiora*, cuius cenſus v. g. ſunt morſuli ex granis chermes, cortice Peruviano, ſemine cinæ, fœniculi et ſacharo, electuaria ex ſyrupo maſtichino, ſpeciebus diaxylaloes, dianthos, diacinnamomi, extracto corticis Peruviani, pulvere granorum chermes, et croco martis aperitivo

Stahlii aut ſulphurato, et mixturæ vinoſæ antea laudatæ, cum tinctura martis pomata aut cydoniata combinatæ, iungi debent. Circa ordinem tamen ac methodum paucis adhuc monendum venit, initio, præmiſſis per octiduum ſolis pulveribus digeſtivis, ad primas vias repurgandas lene emeticum aut purgans exhibendum eſt deinde demum validiora attenuantia, purificantia et quævis commendata reliqua, ordine prædicto et ſub exactiſſimo diætæ congruæ atque harmonicæ regimine, in uſum trahenda eſſe.

§. XIII.

Ab externis remediis parum auxilii in hac ægritudine exſpectandum eſt, poſſunt tamen, internis per notabile dudum tempus uſurpatis, tum diſcutiendi, tum roborandi fine, *ſuffimigia balſamica* ex gummi tacamahaca, anime, elemi, lacca, benzoe, iuniperi, maſtiche, herba rorismarini ſiccata &c., nec minus *balnea calida ſicca* et *leniſſimæ frictiones* cum pannis calefactis, camphoræ et aromatum exhalationibus probe imbutis, admitti.

§. XIV.

§. XIV.

Quod leucophlegmatia et anaſarca in oto corpore ſunt, id OEDEMA in artubus ſt, unde circa ætiologiam quoque levis untaxat differentia notanda venit. Leuophlegmatia nimirum et anaſarca ſemper, ræter cauſſas intumeſcentiæ proximas, per-nacem viſcerum obſtructionem ſupponunt, edema autem *ſimplex* ac *ſolitarium*, ab œdeate *ſymptomatico* in cachexia adultiori, hyrope &c. probe diſcernendum, a particuari tantum lymphæ valde craſſæ ac mucidæ agnatione in vaſculis et largo ſimul in celilis panniculi adipoſi decubitu ac maiori ibiem aut minori quiete, et particulari pariter olidarum partium atonia oritur, immo inerdum ſola femorum compreſſio tenſoria ub equitatione, aut ſtrictior crurum infra ut ſupra genua ligatura, aut diuturna in qua refrigeratio, aut uteri moles apud graidas et huius commatis plura, quæ plus ſalm minusve liberum lymphæ circuitum atue regreſſum impediunt, tumorem œdemaoſum, præſertim apud ſubiecta habitus phlematici, ac paullo dudum annoſiora, in peibus generant.

§. XV.

Tumores œdematoſi plerumque, ut antea dictum fuit, artus extremos et potiſſimum pedes occupant, et ordinario etiam indolentes, pallidi, molles et contactu frigidi ſunt, foveolasque, digito impreſſas, diu retinent; ſubinde nihilominus, tametſi paullo rarius, fieri ſolet, ut in iis apud ſubiecta valde cacochymica et ſcorbutica paſſim latiſſimæ maculæ rubræ, lividæ, quin ex fuſco prorſus aut nigro colore coeruleſcentes, cum ardore quodam et identidem ſuperveniente ſubtili dolore pungente, naſcantur, quæ interdum totum ferme tumorem obducunt, et plana de indole œdematis deteriori teſtimonia præbent. Nec penitus etiam hoc loco prætereundum eſt, tumores hoſce, in pedibus cruribusque exortos, interdiu ſub ambulatione et ſitu corporis erecto ſemper increſcere, noctu autem ſub decubitu ſituque corporis declivi paullulum rurſus decreſcere. Immo, præſagii gratia haud ignorari oportet, œdemata pedum idiopathica ac ſolitaria, præſertim a ſolis cauſſis externis, contuſione v. g., compreſſione, refrigeratione humida &c. producta, facilius curari, nec facile, niſi for-

ſan

n repellentia externa applicentur, ultra ge-
na progredi, fymptomatica ex adverfo, a
fcerum fcilicet imi ventris infarctu et ob-
uctione &c. pendentia, non tantum diffi-
lime profligari, fed perfæpe etiam, nunc
leriori tamen, nunc tardiori progreffu, ad
domen adfcendere, et tandem in ipfum
drope degenerare.

§. XVI.

Cura interna cum cachexiæ et leuco-
legmatiæ curatione maximam partem con-
enit: Quod externa vero auxilia attinet,
is *leniores* maxime *frictiones* cum pannis
lefactis, tum fibi relictis, tum halitu ficco
mphoræ, croci et aliorum aromatum pro-
impraegnatis, nec minus *facculi ficci-bal-
mici difcutientes* ac fimul *roborantes* ex rad.
peratoriæ, angelicæ, zedoariæ, galangæ,
rba maioranæ, thymi, ferpilli, origani, ro-
smarini, menthæ, flor. chamomillæ Rom.,
lviæ, lavendulæ, hyffopi, fem. nigellæ
om., apii paluftris et hortenfis, fœniculi,
rvi, baccis iuniperi, lauri, croco orientali,
pauxillo camphoræ, ut et *fuffimigia* ex
ccino, gummi anime, elemi, tacamahaca,
afa

asa foetida, sagapeno &c. accenseri merentur. Notari tamen adhuc debet, externa remedia, si oedema artuum vitio viscerum imi ventris et caussis generatim internis primam originem suam debeat, non initio statim, sed congruis demum internis per aliquod tempus praemissis, adplicanda esse. Nonnulli etiam thermas, et roborandi pariter scopo decocta vinosa ex raphano, chelidonio maiori, sedo vermiculari murario, foliis bardanae ac petasitis commendant: Verum enim vero, horum et similium usus valde, pro meo iudicio, ambiguus est, et adstringentia inprimis, emplastica, pinguia, unguinosa, linimenta spirituosa calidiora, camphora sacculis discutientibus iusto largius addita, balnea humida balsamica vulgaria, itemque vitriolico-martialia aut aluminosa, et plura huius census obviscantia aut reprimentia alia plerumque nocent, et oedematosam materiam ad interiora repellunt, ubi pro differenti decubitu suo mala postmodum varia atque rebellia, asthma v. g. periculosum ac facile in catarrhum suffocativum degenerans, insignes praecordiorum anxietates, tumorem hepatis atque lienis, hydropem ascitem &c. suscitat

citat. Vt nihil de apoplexia pituitosa et ad-
tibus soporosis dicam, qui, teste experien-
, œdema artuum retroactum nonnunquam
quuntur, nec raro necem patientibus in-
unt.



CAP. II.

DE

ICTERO.

§. I.

CTERVS, quem scriptores medici etiam *Auriginem*, *Morbum regium*, *Morbum ar-atum* et *arcuatum* appellant *a*), est colo-s rubello-albidi naturalis in vultu et uni-erso tandem corporis habitu cutaneo in avum aut fusco-nigricantem defœdatio; nc ordinario etiam in *flavum* et *nigrum* viditur.

§. II.

a) Plura de variis hisce appellationibus earundemique probabili aut saltim putatitia origine in IO. HENRICI SCHVLZII *Dissertatione de Ictero* videri possunt.

§. II.

A vero ictero flavo probe levis ill *Adfectus icterodes*, qui apud infantes recen natos obſervatur, et, meconio excreto, ma gisque denſata epidermide, poſt paucos ple rumque dies ſponte rurſus diſparet, diſtir guendus eſt, nec iſta etiam *Flavedo*, qua cu tis perſæpe apud homines poſt prægreſſo morbos diuturniores, poſt mœrorem item que et inediam graviorem tincta cernitu cum illo confundi debet; quippe quæ, prc pter ſuccorum alibilium atque humectar tium defectum, ſingulari tantum cutis atqu cuticulæ exſiccationi tribuenda eſt, adeoqu citra ullum bilis concurſum naſcitur.

§. III.

Icteritia coloris naturalis defœdati primum ordinario in tunica oculorum albu ginea, et paullo poſt in fronte pariter, gen ac collo conſpicua evadit, deinde vero latiu paullatim per totum vultum totumque hab tum corporis cutaneum diffunditur, imm tingens materia bilioſa univerſam humorur maſſam inficit, et altius nonnunquam in du riorum partium ſolidarum compagem pene trat

at; hinc urina ſaturato colore croceo-ru-
ente, aut croceo-fuſco, aut croceo-nigri-
ante tingitur, ſuamque flavedinem linteis
nmerſis inducit, ſanguis, vena emiſſus, præ-
rtim ſupernatans pars ſeroſa, valde flave-
it, et interdum quoque, ſub morbi ſcilicet
iuturnitate ac gradu maiori, ſaliva, quin
ſa oſſa ſimilem colorem induunt, qui po-
erioribus tam refractarie poſtmodum in-
æret, ut poſt mortem quoque, ſceleto for-
n inde compoſito, perfecte rurſus in iis de-
ri nequeat. In ictero nigro color cutis
bſcure fuſcus, aut luridus, aut fuſco-nigri-
ricans eſt, et in flavo etiam, quod addere
eceſſum duco, ingrata flavedo plerumque
d obſoletum ſimul virorem vergit.

§. IV.

Interdum hic morbus lente obrepit,
nterdum ſubito naſcitur, et plerumque, præ-
urrente horrore aliquo, cum inſigni corpo-
is laſſitudine accedit, quam protinus, aut
oſt breve ſaltim intervallum, moleſtus, con-
tans, atque fixus preſſionis, tenſionis, ſtri-
turæ et intercurrentis quandoque puncturæ
enſus ſub coſtis ſpuriis in hypochondrio
dex-

dextro, aut rectius in latere abdominis dextro prope ſcrobiculum cordis ſequitur, cui deinde magna præcordiorum anxietas, reſpiratio difficilis, torpor, tædium et inquietudo animi, ſomnus, præſente licet inſolita ad eum proclivitate, turbulentus atque interruptus, perpetua in ore amarities, languor adpetitus ciborum, gravitatis ſenſus in ventriculo poſt alimentorum adſumtionem, faſtidium inceſſus, decubitus moleſtus et ingens perſæpe poſt corporis in lecto incaleſcentiam in cute pruritus, et ſubinde etiam febricula obſcura lenteſcens iunguntur. Corpus præterea difficillime ſudat, et excretio alvina nonnihil mutabilis ac varia eſt: Nunc enim, et quidem frequentius, magna alvus ſegnitie laborat, et excrementa pallida, dura, ſtraminei coloris, tardius, ægre, nec ſine adhibito maiori egerendi conatu, excluduntur, nunc vero, licet longe rarius, maior alvi laxitas ſupervenit, et ſtercora viſcoſa, crudis nonnunquam eſculentorum reliquiis mixta, exeunt, immo interdum excrementa bilioſa excluduntur, quæ bonis tamen criteriis accenſenda ſunt, et ductus choledochi obſtructionem vel ſaltim imperfectam eſſe, vel

el denuo reſerari, aut dudum reſeratam ſſe, teſtantur.

§. V.

Icterus vel *idiopathicus*, vel *ſymptomaicus* eſt: Hic critice haud raro febribus biioſis aliisque morbis, in quibus magna bilis feridæ quantitas cum ſuccis reliquis ex canae inteſtinorum per vaſa lactea ad ſanguinem elata fuit, ſuccedere conſuevit, nec adeo iu itaque perdurat, ſed intra paucos utpluimum dies iterum evaneſcit; ille autem a *ile*, propter excretionem eius in duodenum el omnimode, vel plus tamen minusve coibitam, *ex turgidis ductibus ſuis copioſe rurus per poros acinorum hepatis ſecretorios* ad anguinem venæ portarum regurgitante, oriur. Scio quidem, ſcriptorum pleroſque nagis in hoc morbo ad impeditam bilis ſeretionem, ab hepatis et acinorum imprimis tque vaſculorum adducentium obſtructione endentem, reſpicere, ac modo ſanguinis iſcoſitatem atque craſſitiem, modo ſcirrhoſitatem hepatis, modo ſpasmodicam capſulæ Gliſſonianæ ſtricturam *a*) &c., adcuſare; at

a) V. IO. HENR. SCHVLZIVS *l. c.*

ſcio etiam, opiniones haſce ſufficienti carere fundamento, quoniam ante ſecretionem in ſanguine venæ portæ nondum perfecta, multo minus amara bilis, quæ vera tamen icteri cauſſa iudicatur, adeſt *b*): Quibus accedit, quod ipſa etiam bilis hepatica, recentius ſecreta, pallide tantum flaveſcens ac valde fluida, temperata, et nulla prorſus, vel leniſſima ſaltim ac vix perceptibili amaritie prædita ſit, et ſub diuturniori demum quiete ſua in cyſtide, aut obſtructis ductibus choledochis notiſſimam atque ingentem conſiſtentiæ, coloris, ſaporis, atque temperiei mutationem ſubeat.

§. VI.

Prædicta *ductus choledochi obſtructio*, ceu unicum pro mea ſententia et proximum bilis excernendæ impedimentum, a pluribus quidem cauſſis, apud individua perſæpe abſconditis, produci poteſt, experientia nihilominus teſte, *calculus cyſticus*, inde vel fortuito, vel ſub iracundia graviori, aut vehementiori emeticorum atque purgantium, præſertim

a) Conf. *Acta Medicorum Edinburgenſium Vol. I. Edit. Germ. p. 399. ſequ.*

tim drasticorum, actione, vel interdum quoque sub convulsionum aut paroxysmorum febrilium insolentia, immo sub forti corporis concussione vulgari, in ductum choledochum excussus atque incarceratus, caussa eiusdem frequentissima est, et huic deinde *vehemens constrictio spasmodica*, a venenis saturninis aliisque *a*), vel a potentioribus quoque medicamentis stypticis eidem canali subito aut successive inducta, nec minus, quanquam longe rarius, *ingens bilis inertia* et *emplastica* propemodum *viscositas*, cui generandae obstructio lienis, defectus et suppressio fluxus menstrui, febres intermittentes praemature cohibitae, prava alimentorum in ventriculo digestio, nimia adsumtio viscidorum et abusus acidorum prae reliquis famulantur, iungi debent. Praecipue igitur hae caussae ex praegressis cognoscendae sunt, et circa primam et secundam adhuc

 paucis

a) De singulari illo ictero, qui nonnunquam viperarum et animalium rabidorum morsui succedit, plura in saepius allegata SCHVLZII *Dissertatione de Ictero* §. 21., nec non in RICHARDI MEAD *Monitis et Praeceptis medicis* p. m. 89. videri possunt.

paucis duntaxat commemorandum duco, utramque apud homines cholerici temperamenti, in ætate iuvenili aut vegeta virili adhuc conſtitutos, crebrius exoriri, et, calculo anguloſo atque acuto e cyſtide protruſo fortiusque ductui choledocho impacto, dolorem ſub ſcrobiculo cordis aut prope eundem non tantum ſtringentem atque preſſorium, ſed per vices valde pariter pungentem exiſtere.

§. VII.

Prognoſis, ſi durationem et curationis ſucceſſum ſpectes, mirifice variat. Sanavi multos, in quibus prægreſſa vehemens iracundia, eidemque protinus ſine dubio ſuccedens calculi fellei minoris aut mediocris magnitudinis in ductum choledochum protruſio et temporaria incarceratio icteri cauſſæ fuerunt, intra ſeptem, octo, decem, quatuordecim dies. Habui rurſum alios, quorum cura perfecta aliquot menſes, aut integrum ſemeſtre, quin annuum fere ſpatium poſtulavit. Dependent hæc unice vel tamen primario a cauſſæ obſtruentis indole ac magnitudine, et in genere igitur tenendum erit,

icte-

icterum, a calculo felleo minori ortum, facile utplurimum et intra breve tempus profligari, reliquas vero ſpecies, quæ calculo grandiori aut ſpasmo refractario, a ſaturninis ſimilibusque ſtypticis potentioribus inducto, aut ingenti ſanguinis ac bilis inertis viſcoſitati natales debent, tardius plerumque tolli at multum perſæpe negotii medentibus faceſſere, præſertim, ſi patientes dudum ſeniores ſint, aut reliqua ſimul imi ventris viſcera obſtructionem patiantur, aut icterus flavus in deteriorem pridem magisque refractarium icterum nigrum *a*) degeneraverit. Salutis cæteroquin rediturae criteria ſunt, quando anxietas præcordiorum et ſtrictura circa ſcrobiculum cordis penitus ceſſant, ſimulque cutis flavedo, non repente tamen, ſed ſenſim ſenſimque pallidior redditur, et excrementa alvina, reſtituta regulari alvi libertate, naturalem rurſus colorem ſuum ac conſiſten-

 tiam

a) Icterus niger a flavo ſolo tantum gradu differre videtur, ac tunc demum naſci conſuevit, quando bilis admodum viſcida largius in tubulis capillaribus ſubſiſtit, et, cum multis partibus terreis paullatim mixta, nonnihil quaſi exſiccari et indureſcere incipit.

tiam recuperant; funeſtus ex adverſo eventus plerumque metuendus eſt, ſi fortior febris lenta cum univerſi corporis contabeſcentia, aut aſcites cum vel ſine pedum tumore, aut aſthma graviſſimum ſuperveniat.

§. VIII.

Icterus flavus, recens, poſt iracundiam graviorem a propulſo et leviter impacto calculo felleo, vel a fervida tantum bile eidemque iuncto ſpasmo vehementiori exortus, pauca omnino remedia, quod iterata experientia edoctus ſcio, ad ſui curationem poſtulat, et feliciter perſæpe, ſi animi tranquillitas, victus tenuis, temperatus, mucilagineus, et omnimoda a ſpirituoſis, acribus, aromaticis, abſtinentia accedant, *temperantibus* quibusdam, *demulcentibus*, *moderate emollientibus* aliisque *mitioribus antiſpasmodicis* tollitur. Eminent inter illa pulveres ex lapidibus cancrorum citratis, tartaro ſolubili et nitro depurato, potiunculæ et emulſiones ex iisdem pulverulentis et aquis refrigerantibus endiviæ, lactucæ, cichorii, rad. graminis, flor. nymphææ, borraginis &c., ſeminibusque, ſi forma emulſionis placet, quatuor

frigi-

frigidis maioribus et minoribus, amygdalis dulcibus &c., decocta hordeacea et avenacea cum radice althææ, graminis arvensis, malvæ, scorzoneræ, et tussilaginis, serum lactis modice acidulum, iuscula avenacea tenuiora, cum radice althææ, aut floribus chamomillæ vulgaris cocta, clysmata emollientia, et similis virtutis balnea, nec non unguenta, epithemata ac fomenta, loco abdominis dolenti adplicata; immo interdum, spasmo videlicet admodum refractario existente, interpositus quoque ac parcior spermatis ceti et olei amygdalarum dulcium recentissimi usus internus conducit.

§. IX.

In specie altera, a stypticis potentioribus excitata, recensita remedia pharmacevtica, si curæ initio nitrum et salia neutra exceperis, itidem conveniunt, simul tamen *alcalia* quædam, *oleosis* maritata, aliaque, quæ vulgo contra colicam saturninam commendantur, in auxilium vocanda sunt, et in tertia denique singula reperiuntur proficua, quæ mucositates primæ culinæ abstergunt, inertiam bilis corrigunt, chymificationis ac

chylificationis negotium ad ordinem iuftumque vigorem reducunt, fanguinem atque lympham attenuant, et vifcera imi ventris infarcta et obftructa aperiunt; cuius cenfus prae reliquis funt infufa laxantia aquofa ex rhabarbaro, arcano tartari, fale de SEIGNETTE, tartaro folubili, fale Ebshamenfi, Sedlizenfi atque thermarum Carolinarum, pulveres ex abforbente quodam terreo, falibus mediis, rad. curcumae, iridis Florent., regulo antimonii medicinali, cafcarilla, pilulae ex gummi ammoniaco dep., extr. cardui bened., cent. minoris, fumariae, chamomillae vulg., trifolii fibrini, fcordii, aloe violata, mercurio dulci et fulphure antimonii aurato optimo, electuaria ex fyrupo quinque radicum aperientium, cardui bened., de eryfimo LOBELII, vix memoratis extractis amaris, pulvere rhabarbari, curcumae, rad. ari pptae, fem. cinae &c., mixturae vinofo-fpirituofae ex liquore terrae foliatae tartari vinofo, extractis amaris, et folutioni poftmodum additis, tincturis et effentiis antimonii, metallorum, rhabarbari, gentianae rubrae, abfinthii, rad. pimpinellae albae &c., infufa vinofa ex radice diptamni albi, curcumae, rhabarbaro,

herba

erba marrubii albi, flor. hepaticæ nob., fumnit. cent. minoris, cort. aurantiorum. ligno ephritico et ſic porro.



CAP. III.

DE VARIIS CVTIS MACVLIS.

§. I.

Ad maculas, rarius in cute aut frequentius naſcentes, EPHELIDES inprimis, LENTIGINES, MACVLAE HEPATICAE, MATRICALES, SCORBVTICAE, et ECCHYMOMATA ſpectant. *Ephelides*, quæ maculæ flavæ ſunt, aut ſubfuſcæ, aut luteo-fuſcæ diverſæ magnitudinis atque figuræ, in vultu maxime, circa naſum, in fronte ac genis, nec minus in collo et dorſo manuum erumpunt, et cholerici temperamenti ſubiectis, quæ bile abundant, præcipue familiares reperiuntur. Natales ſuos *oleoſo illi unguento* debent, quod ex glandulis ſebaceis, paſſim inter cutem et epidermidem ſitis, largiori apud ſubiecta memorata

 quan-

quantitate se- et excernitur, et hinc inde igitur, per areas quasi maiores et minores, valde adcumulatum, calore, praeprimis solari, exsiccatur; unde ratio etiam patet, cur maculae hae autumno ac hyeme pallidae evadant, et apud individua nonnulla maximam partem evanescant, redeunte autem calore vernali et excrementiis humorum partibus copiosius rursum ad peripheriam translatis, denuo prodeant pristinumque colorem saturatiorem adipiscantur. Si maculae parvae sunt, et lenticularum formam ac magnitudinem obtinent, strictius Lentigines appellantur: Sunt tamen medicorum multi, qui vocabula Ephelides et Lentigines mera synonyma constituere, et unum idemque cutis vitium denotare arbitrantur.

§. II.

Ad abigendas maculas hasce a scriptoribus varia quidem commendantur remedia, ast dolendum, quod voto ac spei rarissime vel nunquam perfecte satisfaciant, idque eo minus, quando dispositio haereditaria, quae saepissime adesse observatur, concurrit, aut aeris liberioris et radiorum solarium actio evitari

vitari nequit: Experiri nihilominus licet, uid *frequentes lotiones* cum ſapone Veneto, ut aqua tepida, oleo tartari per deliquium nodice impraegnata, aut lacte virginum, ex inctura benzoes, aquae frigidae ſimplici aut oſarum inſtillata, parando, efficiant. Apud gravidas, quod addendum duco, etiam latio-es quaedam maculae luteae aut ſubfuſco-fla-veſcentes occurrunt, quae itidem a practicis Ephelides vocantur; verum enim vero, ali-um hae ipſae originem habent, et citra ullum auxilium medicum ſponte rurſus atque per-fecte poſt partum diſparent.

§. III.

Ab ephelidibus latioribus *Maculae he-paticae* ſeſe notabiliter diſtinguunt. Plerum-que enim palmae latitudinem conſequuntur, et obſcuriori colore fuſco, ad hepatis colo-rem nonnihil accedente, vel brunneo-nigri-cante, cum aliqua cutis aſperitate ſquamoſa aut furfuracea, gaudent. Rarius praeterea in facie, ſed in pectore potius, dorſo, ingui-nibus, et pectine, ſine temporum anni diſcri-mine, emergunt, et per incerta poſtmodum intervalla evaneſcunt ac renaſcuntur. Vi-

tium

tium bilis non minus, quam sanguinis hic subesse, verosimillimum existit; hinc *lenia* etiam *laxantia*, *diluentia*, ac *mitiora sanguinem purificantia* ad sui curationem praecipue postulant.

§. IV.

Maculae matricales ad *naevos*, eosque maculosos, spectant. Naevi enim, quod breviter hoc loco inferendum censeo, duplicis generis sunt, et eorum alii meras maculas regulares aut irregulares, rubri, lividi, coeruleo-nigricantis &c. coloris, alii vero corpora eminentia sive excrescentias atque tubercula diversae magnitudinis, nunc indefinitae, nunc definitae figurae, fraga v. g., cerasa, myrtillos, fructus mori &c., forma sua magis minusve aemulantia, sistunt, quae magnitudinem suam vel constanter retinent, vel aliquantulum per intervalla mutant, h. e., increscunt atque decrescunt. Origo eorum in utero nondum quidem satis clara est, praecipuam nihilominus culpam, data occasione varia, ad vividiorem matris perterritae, aut nimium ad hoc vel illud obiectum attentae phantasiam subinde redundare, extra omne dubium positum esse, credo.

§. V.

§. V.

Nævi eminentiores, tenuiori radice ɔræditi, interdum *ligatura* cum filo lineo aut ſericeo feliciter tolluntur, reliqui autem, ſive ſint eminentes ſive plani maculoſi, medicaminum energiam penitus plerumque eludunt. Nolo igitur ſingula, quæ auxiliari creduntur, hoc loco adducere, ſilentio tamen penitus præterire nequeo, *frictionem* cum ſaliva ieiuni hominis, nunc ſola, nunc camphora manducata nonnihil impraegnata, *loturam* itemque, crebrius repetitam, cum decocto ſideritidis, rutæ, hyſſopi, abrotani &c., vel cum mixtura ex aqua fragorum, ſigilli Salomonis, caryophyllatæ, ſucco corticis viridis nucum iuglandium et bile bovina inſpiſſata, aut ſale ammoniaco, aut elixirio proprietatis Paracelſi ſine acido, et ſimilia paſſim in ſcriptis medicorum commendari. Notandum tamen erit, mature hæc remedia nec adeo diu poſt nativitatem adhibenda eſſe, dum noto notius eſt, quod nævi, initio adhuc curabiles, nulla amplius arte, ſi inveteraverint, abigi queant.

§. VI.

§. VI.

De *Maculis scorbuticis* multa hoc loco proponere supersedeo, quoniam inter mera morbi alterius, scorbuti nempe, symptomata, alibi recensita, militant: Quod *Sugillationes* vero seu *Ecchymomata* attinet, illa in genere variæ quidem magnitudinis atque figuræ maculas lividas, vel obscure rubras, vel atrorubentes, a sanguine extravasato inque telam cutis cellulosam effuso oriundas, denotant, intuitu nihilominus caussæ exundationis cruoris proximæ notabiliter differunt, et eorum alia, quæ frequentius obvia sunt, et strictius *sugillationes* vocantur, *plagis gravioribus, contusionibus, similibusque violentiis externis* subitaneam genesin debent, alia ex adverso *vasculorum sanguiferorum rupturam*, a sola caussa interna, a refractaria v. g. canalium obstructione, aut vehementi eorum ac subitanea post corporis æstuantis refrigerationem constrictione, aut magna cruoris rarefactione &c. productam, sequuntur, et adeo nonnunquam multiplicantur, ut passim, exanthematum fere instar, in universo habitu cutaneo in conspectum veniant. In *Actis Academiæ*

miæ Electoralis Moguntinæ a) et hinc inde
iam in aliis ſcriptis medicis ſingularia quæ-
am univerſalis huius ecchymoſis exempla
ccurrunt, immo mihi ipſi in praxi bis quo-
ıe hunc morbum, apud puerum nempe
ptem annorum, et apud virginem ſexage-
ıriam, obſervare contigit. Apud poſterio-
m hanc patientem, quæ continua ſimul ac
ılde doloſa febre laborabat, maculæ nu-
eroſiſſimæ, obulo partim maiores, par-
m minores, rotundæ, ſubtumidæ, ob-
ure rubræ ac paullulum nigricantes erant,
ad mortem usque, quæ ſexto morbi
e ſuperveniebat, ſine ulla mutatione per-
tebant, apud puerum vero, itidem
bre leviori correptum, poſt aliquot dies,
lore rubro prius in lividum mutato,
nſim rurſus ſenſimque, cum paullatino ſani-
tis reditu, diſparebant.

§. VII.

Medicamenta externa nullum in ori-
nis internæ ecchymoſi locum inveniunt,
d totum curationis negotium *antorgaſti-*

cis,

a) *Tom. I. no, 28. p. 335. ſequ.*

tis, *resolventibus*, *temperatis aperientibus*, aliisque internis, pro diverso complicati morbi primarii ac caussae genio seligendis, expediendum est. Contraria methodus apud externae originis ecchymomata valet; quippe quae nulla remedia interna, sed solummodo *topica discutientia*, v. g. epithemata ac linimenta ex aqua catapultarum, aut mastichina, spiritu vini crocato et camphorato, spiritu rorismarini &c., sacculos balsamicos ex herba thymi, hyssopi, satureiae, maioranae, flor. lavendulae, chamomillae Rom., baccis iuniperi, sem. nigellae Rom., foeniculi, apii &c., vel sibi relictis, vel spiritu vini crocato et camphorato humectatis, et huius commatis alia ad sui curationem postulant, immo interdum nullo prorsus ad ea abigenda remedio opus est, quoniam sponte tandem evanescere consueverunt.

CAP.



CAP. IV.

DE SCABIE.

§. I.

SCABIES, graece ψώρα et ψωρίασις dicta, defoedationem habitus cutanei ma-is minusve ulcerosam et pustulosam deno-at, ac valde pro diversa humorum corrupte-a et differenti pariter ulcerum atque efflo-escentiarum conditione discrepat; unde ge-eratim quoque in *benignam* et *malignam* di-iditur. Benigna vel *humida* rursus, vel *cca* est; maligna autem plures species, *Herpetem* nempe *ferinum* sive *exedentem*, *Li-enem Graecorum* sive *Impetiginem Plinii*, *epram Graecorum* et *Arabum*, nec non *cabiem scorbuticam* et *veneream* sub se com-rehendit. Circa binas postremas tamen ecies notari debet, rectius illas, ob plu-im pessimorum pathematum concursum et avem totius corporis adflictionem, morbis iversalibus, Sectione demum sequente

pertractandis, quam meris adfectibus scabiosis, accenseri.

§. II.

In scabie humida benigna, quae subiectis temperamenti sanguinei et sanguineo-phlegmatici, habitu corporis humidiori ac spongiosiori praeditis, praecipue familiaris reperitur, per universum corporis ambitum, capite excepto, conspicuae pustulae maiores et minores, materia saniosa refertae, et in aperta postmodum ulcuscula, aut crustas siccas abeuntes, cum aliqua circa basin rubedine inflammatoria, efflorescunt. Primum plerumque et maiori numero in manibus prodeunt, deinde vero paullatim in reliquis etiam corporis partibus externis nascuntur, et patientem mirifice, praesertim tempore nocturno, pruritu suo, morsicatione et ardore vexant, nunquam tamen ad subiectas partes adiposo-carneas alte penetrant, nec ullas ideo cicatrices, nisi patiens nimia forsan aut rudiori scalptione cum unguibus ulcera profundiora excitet, post exsiccationem suam et crustarum decidentiam in cute relinquunt.

§. III

§. III.

In ſabie ſicca, apud homines temperamenti cholerici, melancholici, et cholerico-melancholici, habitus corporis ſiccioris, frequentius obvia, exiguæ duntaxat ac valde pruriginoſæ puſtulæ miliares, pauco humore acri ſeroſo-mucido, aut plane nonnunquam limpido aquoſo repletæ, vel mera interdum tubercula ſicca, rubentia et ſuo pariter pruritu admodum moleſta, quæ tandem in parvas cruſtas mutantur, erumpunt; unde ſicca etiam ſpecies, licet magis perſæpe refractaria magisque ingenti et continua prurigine infenſa ſit, quam præcedens humida, non adeo magnam cuti deformitatem adfert. Nulla cæteroquin febris, nec alia ſymptomata notatu digna ſcabiei iuncta inveniuntur, ſed patiens, ſi eruptio rite ſuccedat, et quævis vitentur repellentia, quoad reliqua ſanus eſt.

§. IV.

HERPES, Ἕρπης, ſive *Serpigo*, et LICHEN GRAECORVM ſive *Impetigo Plinii* cognatæ ſcabiei, utplurimum maligniores, ſpecies ſunt, et prior, a CELSO etiam

Ignis ſacer nuncupatus, in *miliarem* rurſus et *exedentem* diſtinguitur. Miliaris nimirum audit, ſi puſtulæ parvæ, milii ſemina magnitudine circiter æquantes et arctius ſibimet invicem aggregatæ, quin fere nonnunquam continuæ, limitesque ſuos ſerpendo magis in dies magisque proferentes, in ſumma cute, cum ingenti prurigine aridaque aſperitate tumidiuſcula et pallidiori rubedine inflammatoria, exſurgunt, quæ tandem, ſponte aut ſub ſcalptione ac frictione ruptæ, in ſquamulas albicantes furfuraceas mutantur. Exedens vero ſive Ἕρπης ἐσθιόμενος dicitur, quando cum prædictis incommodis cutisque mutationibus et maiori adhuc inflammatione, cui perſaepe febricula iungitur, puſtulae maiores rotundae, immo interdum annulares, liquore ſanioſo - aqueo acerrimo turgidae, accumulatim efflorescunt, quae non ſolam tamen cutim obſident, ſed altius deſcendunt, ac ſenſim in ulcuſcula ſerpentia degenerantes, carnes quoque ſubiectas corrodunt, nec raro, ad oſſa usque, depaſcuntur. Si bullulae ſeu puſtulae praedictae rumpuntur, non teneras ſquamulas furfuraceas, ut praecedentes puſtulae, ſed craſſiores potius cru-

cruſtulas relinquunt. Poſterior haec ſpecies admodum maligna eſt, et difficillime curatur. Cum herpete miliari *Lichen* maximam partem convenit, et in eo tantum differre videtur, quod per areas magis diſtinctas, non ſtationarias tamen, ſed itidem ſerpentes et furfuracea materia largius utplurimum obſitas, naſcatur. Lichenes caeteroquin et Herpes, quod adhuc ſubiungendum arbitror, nulli quidem habitus cutanei parti parcunt, frequentius tamen in facie ac mento generantur. De *Lepra* nihil hoc loco addo, ſed ſeorſim de ea in Capite ſubſequente acturus ero.

§. V.

Cauſſa cuiuscunque ſcabiei primaria ad *copioſas ſanguinis* ac *lymphae impuritates viſcido acres* redit, quae, critice a natura ad habitum cutaneum expulſae, pro diverſa copia ſua atque ſpecifica indole, et pro diverſa pariter acrimoniae ac corruptelae gradu, nunc mitiorem, benigniorem, minusque refractariam, nunc deteriorem magisque rebellem atque malignam cutis defoedationem ulceroſam producunt. Silentio praeterea mi-

 nime

nime hoc loco premi oportet, prima impuritatum ſeminia perſaepe in ventriculo et inteſtinis latitare, ac, ſenſim inde ad humores circulantes tranſeuntia, depravationi eorum novum atque continuum fomitem ſuggerere.

§. VI.

Nulla quidem aetas, nullus ſexus, nullum temperamentum perfecta intuitu ſcabioſae defoedationis immunitate gaudet, benigniores tamen ſpecies frequentius in aetate puerili obſervantur, et hae aeque, atque reliquae omnes modo per veſtes, lectos, accubitum, contactum, utenſilia, uno verbo, per contagium, quod in nullo ſane morbo alio, ſi febres peſtilentiales et variolas exceperis, maius reperitur, in corpora ſana transplantantur, modo ſponte citra ullum praegreſſum contagium, ex genita pridem prava humorum colluvie naſcuntur, cui directe corpori aut indirecte ingenerandae nebuloſa maxime aut conſtans in locis maritimis, uliginoſis, paluſtribus intemperies aeris frigidiuſculo-humida, ingluvies itemque, nimius ac iuſto frequentior ciborum viſcidorum ac pinguium, leguminum ac ſalſamentorum

uſus

uſus, vita otioſa, neglecta corporis mundities, crebrior tranſpirationis cutaneae ſuppreſſio, et praetermiſſa plethorae per adſuetam ſcarificationem aut venaeſectionem ventilatio famulantur.

§. VII.

Præſagia in adfectibus ſcabioſis magnopere variant, ac partim a duratione eorum, partim a diſcrepante ulcerum, puſtularum, cæterarumque efflorescentiarum qualitate et benigniori inprimis aut maligniori materiæ peccantis genio dependent. In genere enim facilius ſcabies benigna, quam ferina, benigna humida, quam ſicca benigna, et ſuperficiaria, contagio recentiſſime demum contracta, quam inveterata et altius pridem radicata, profligatur: Immo, ætas patientis et diverſa anni tempora haud parum ad prognoſeos varietatem conferunt. Experientia quippe ſatis comprobatum eſt, ſcabiei curationem longe citius plerumque atque felicius tempore vernali atque æſtivo, quam autumnali ac hyemali, quo omnis haud raro medicatio fruſtranea reperitur, ſuccedere; nec ignotum quoque eſt, ſubiecta puerilia

ac iuvenilia ordinario longe facilius, quam virilia ac ſenilia, moleſta hac cutis defoedatione liberari.

§. VIII.

Quanquam generatim in ſcabie quacunque interne *laxantia*, *cathartica*, et *ſanguinem purificantia* conveniant, alia tamen in humida, alia in ſicca eligenda ſunt. In humida nimirum completa primum cathartica et potentiora deinde ſanguinem purificantia, pilulae v. g. ex extracto catholico aut panchymagogo CROLLII et mercurio dulci, tincturae e liquore terrae foliatae tartari vinoſo et vix memoratis extractis &c., mixturae concentratiores ex tinctura antimonii tartariſata aut acri, metallorum, ſuccini, eſſ. lignorum, helenii, trifolii fibrini, ſcordii, rad. pimpinellae albae, liquore C. C. ſuccinato &c., pilulae ex gummi ammoniaco dep., ſagapeno, aloe violata aut roſata, balſamo Tolutano et Peruviano, extr. ſcordii, cardui bened., trifolii fibr., cent. minoris, mercurio dulci, ſulphure antimonii aurato optimo &c., morſuli antimoniales KVNCKELII, nec non decocta et infuſa theiformia ex rad. ſaponariae,

riæ, pimpinellæ albæ, ſarſaparillæ, carlinæ, petaſitis, fol. trifolii fibrini, ligno Guajaco, ſaſſafras, nephritico conveniunt; in ſicca ex adverſo potentiora cathartica et calidiora ſudorifera nocent, et mitiora tantum, ſub diffuſiori maxime forma liquida propinanda, infuſa videlicet aquoſa mannato-rhabarbarina aut tamarindata, decoctum foliorum ſennæ, pilulæ STAHLII, BECHERI &c., decocta ex rad. glycyrrhizæ, polypodii, cichorii, ſaponariæ, petaſitidis, herba chamædryos, teucrii veri, hederæ terreſtris, flor. hepaticæ nob., ligno Guaiaco, ſaſſafras, ſem. fœniculi, flaved. cort. citri &c., electuaria e ſyrupo de eryſimo LOBELII, ſcordii, rob iuniperi, extr. angelicæ, chamomillæ vulg., cardui bened., pulvere rhabarbari et caſcarillæ, tincturæ vinoſæ ex balſamicis et amaris extractis et ſimilia in uſum trahenda, immo hiſce nonnunquam ſerum lactis, cum ſuccis plantarum antiſcorbuticarum recentium mixtum, aut cum ipſis plantis infuſum, ut et mitiores aquæ minerales ſoteriæ interponenda ſunt.

§. IX.

Circa uſum externorum ſumma cautione opus eſt, ac ſedulo inprimis omnia repellentia, quae, uti unguenta ex oleo lini, aut alio oleo craſſo unguinoſo et ſulphure minerali, ceruſſa plumbi &c., poros cutaneos obviſcant, aut fibras tubulosque conſtringunt, adeoque ulteriorem materiæ peccantis excluſionem impediunt, aut motum tonicum fibrarum plane invertunt, vitari debent, quoniam imprudenti eiusmodi retropulſioni aſthmata rebellia, anguſtiæ præcordiorum, cardialgiæ, œdemata membrorum, anaſarca, convulſiones, febres variæ anomalæ, pertinaciſſimæ viſcerum obſtructiones et innumeri alii morbi, quorum curatio plerumque difficillima, quin plane nonnunquam, ob materiæ retroactæ craſſitiem et refractariam inhæſionem, impoſſibilis exiſtit, ſuccedere conſueverunt. Admitto omnino pauca et quidem in ſcabie ſicca *balnea* tantum *abſtergentia* et *aperitiva* ex floribus chamomillæ vulgaris, meliloti, herba hyſſopi, herba ac floribus ſerpilli, origani, ſaponariæ, ſem. nigellæ Rom., ſacculo incluſo, formicis, itidem cum quisquiliis ſuis ſacco incluſis, nec non ther-

ıermas naturales &c., in ſcabie humida au-
ɛm *unguenta demulcentia* et *balſamica* ex
leo ovorum recenti, hyperici et liquami-
e myrrhæ, ut et unguentum enulatum,
um pulvere myrrhæ et balſamo Peru-
iano modice remixtum, quæ minime ta-
nen ubivis atque promiſcue, ſed iis dunta-
at locis illinenda ſunt, in quibus ruptæ
ouſtulæ maiores, deteriores, aut plane
confluentes ulcera aperta manantia pro-
duxerunt.



CAP. V.

DE

L E P R A.

§. I.

In ſcriptis medicorum duplicis LEPRAE, nimirum *Lepræ Græcorum* et *Lepræ Arabum* mentio ſit. *Lepræ Græcorum* ſeu *Impetiginis* CELSI ſequentia criteria ſunt: Naſcuntur in cute, et initio quidem in brachiis maxime, cruribus et circa cubitos ac genua, tuber-

tubercula ac pustulæ, pruriginosæ admodum et valde insimul morsicantes atque urentes squamulisque albicantibus, aut lividis, aut albido-rubellis tectæ, quæ ablatæ, aut sponte decidentes mox ex emanante ichore corrupto atque acerrimo regenerantur. Non subsistunt quoque efflorescentiæ memoratæ in primis eruptionis locis, sed certo respectu proserpunt, sensimque pustulis prioribus novæ sese adiungunt, ita út tandem magna habitus cutanei spatia malignis hisce tuberculis, pustulis, albidisque squamulis obducta cernantur.

§. II.

Lepra Arabum, alias etiam *Elephantiasis Græcorum*, *Leontiasis*, *Tyriasis* ac *Morbus Phœnicius* nuncupata, præcedente Lepra Græcorúm multo rursus deterior est, ac iure corporis universi cancer vocari meretur. Cutis enim in horrendo, summe contagioso et incurabili hoc morbo colorem lividum, aut flavescentem, aut rubro-nigricantem obtinet, simulque densa admodum, aspera, ac valde rugosa est. Inter rugas hasce fissuræ atque ulcera fœtidissima ichorosa, cum labiis tumidis

nidis atque callosis, et hinc inde etiam tu-
:cula livido - rubentia, aut flavescentia,
›bilia et indolentia nascuntur. Similia tu-
:cula et ulcera cacoethica etiam circa radi-
n linguæ, in palato, faucibus aliisque oris
:is generantur, nec dubium est, quin in-
na pariter viscera passim exulceratione
:ripiantur. In fronte duræ nodositates,
:nubus haud dissimiles, protuberant, et
ıra pedesque horrendum in modum intu-
:scunt, ita ut pedes elephantorum crassitie
›pemodum atque rugositate æmulentur.
lest præterea magna spirandi difficultas,
n voce admodum rauca, membra omnia
nmam gravitatem ac lassitudinem sen-
nt, halitus oris magnopere fœtet, immo
e sanguis fœtidus atque nigrescens de-
:henditur.

§. III.

Lepra vera atque perfecta in Europa
servatur rarissime, in Asiæ autem et Afri-
: regionibus quibusdam frequentius occur-
, et olim Aegypti, Palæstinæ atque Phœ-
:iæ incolis valde infesta fuit. Lepra Ara-
m universalem non minus, quam maxi-
mam

mam humorum omnium corruptionem maximamque acredinem corrosivam supponit hinc nunquam etiam tollitur, sed miseri patientes hectica tandem febre, teterrimisque ulceribus internis et externis extinguuntur Lepra Græcorum paullo mitioris indolis est et subinde igitur, nisi hæreditaria aut pridem inveterata existat, felicem medelam admittit. Facillime cæteroquin utraque species contagio vario propagatur, et utriusque etiam genesi siccior fervidiorque aeris constitutio et alimenta putrida ac putrido-salsa præ reliquis favent.

§. IV.

In lepra Arabum, sicuti satis dudum ex antecedentibus constat, præstantissima etiam medicamenta desiderato effectu carent contra lepram Græcorum vero *cathartica mercurialia*, *viperina*, *antimoniata*, *decoctum ligni atque corticis ulmi cum vino albo*; *decocta saturatissima lignorum*, præsertim *ligni Guaiaci*, et quaevis validiora sanguinem purificantia, interposito tamen usu largo *seri lactis dulcis* solitarii, aut cum plantarum antiscorbuticarum succis expressis mixti, mul-

tum

tum quandoque valent, immo *acidulas minerales*, et ipſam ſubinde *ſalivationem mercurialem*, nec minus *thermas naturales* profuiſſe, ſcriptores medici teſtantur. RICHARDVS MEAD magnopere etiam tincturam cantharidum laudat, immo eam omnibus aliis lepræ remediis præfert: „Compertum habeo, *in*„*quit* o), non aliud dari adverſus fœdum „hunc morbum præſtantius remedium *tin*„*ctura cantharidum*, qualis in *Pharmacopoeia* „*Londinenſi* proponitur. Hæc eius vis in„ſigni illi virtuti urinam movendi, qua pol„lent iſta inſecta, debetur. Magnus enim „eſt renes inter et cutis glandulas conſenſus, „ita ut humores in has delati per illos facile „viam inveniant, et urinæ profluvio expur„gentur; contra vero, ubi renes diutius offi„cio ſuo quacunque de cauſa defuerint, uri„noſus liquor per cutis meatus interdum „tranſudat. Interponenda tamen per vices „erunt medicamenta eius generis cathartica, „quæ craſſis et acribus humoribus foras eii„ciendis ſunt maxime accommodata.

§. V.

o) Vid. Eius *Medica ſacra* ſive *Comment. de Morbis inſignioribus, qui in Bibliis memorantur* Cap. 2. p. 19. *ſequ.*

§. V.

Ad leprosos affectus vulgo etiam VITILIGO, quae in magis minusve maligna cutis defoedatione maculosa consistit, refertur. CORNELIVS CELSVS *Lib. V. de Medicina p. m.* 364. tres rursum eiusdem species, quae *Alphos* sive *Alphus*, *Melas* et *Leuce* audiunt, constituit, ac breviter, quanquam, uti mihi quidem videtur, paullulum obscure descripsit: „Ἄλφος, inquit, vocatur, ubi co„lor albus est, fere subasper et non conti„nuus, ut quaedam quasi guttae dispersae esse „videantur, interdum etiam latius et cum „quibusdam intermissionibus serpit. Μέλας „colore ab hoc differt, quia niger est, et „umbrae similis, caetera eadem sunt. Λευκή „habet quiddam simile alpho, sed magis al„bida est, et altius descendit; in eaque albi „pili sunt et lanugini similes. Omnia haec „serpunt: sed in aliis celerius, in aliis tar„dius. Alphos et Melas in quibusdam va„riis temporibus oriuntur, et desinunt. Leu„ce, quem occupavit, non facile dimittit. „Priora curationem non difficillimam reci„piunt: Vltimum vix unquam sanescit; ac „si quid ei vitio demptum est, tamen non ex

toto

„ toto ſanus redditur. Vtrum autem ali„quod horum ſanabile ſit, an non; experi„mento facile colligitur. Incidi enim cutis „debet, aut acu pungi, ſi ſanguis exit, quod „fere fit in duobus prioribus, remedio locus „eſt: ſi humor albidus, ſanari non poteſt. „Itaque ab hoc quidem abſtinendum eſt &c. In leuce, quod addendum duco, maculae albae, acu punctae aut inciſae, non ſentiunt, et carnes igitur ſubiectae certo reſpectu emortuae videntur. In duabus prioribus ſpeciebus, quae adhuc curabiles ſunt, quaevis remedia interna, contra lepram Graecorum commendata, locum inveniunt.

* * * * * * * * * * * * * * * * * *

CAP. VI.

DE FVRVNCVLO, EPINYCTIDIBVS, PHLYCTAENIS, SVDAMINIBVS, SIRONIBVS, ESSERE, ATQVE INTERTRIGINE.

---

§. I.

FVRVNCVLVS eſt tumor inflammatorius apoſtematodes, elatus, acutus, val-

de durus ac dolens, nucem myristicam aut ovum columbinum, immo dimidium subinde ovum gallinaceum magnitudine æquans. Generatur a *sanguine, ex rupta quadam arteriola effuso*, ac sponte et intra breve tempus in suppurationem abit; hinc medicamentis non admodum quidem opus habet, præstat nihilominus, eidem *emollientia* quædam, v. g. emplastrum de gummi ammoniaco, vel diachylon simplex aut compositum, vel cataplasma ex melle et farina secalina, vel caricam dissectam, in lacte calido prius emollitam, imponi, ut dolor leniatur, et maturatio citius contingat. Quando, maturatione facta, cacumen albidum seu pustula sponte rumpitur, aut instrumento aperitur, pus crassum, sanguine remixtum, exit, remanet tamen aliqua durities, unde emolliendi scopo emplastrum diachylon compositum aut aliud simile aliquamdiu post plenariam puris expressionem adplicari oportet. De *Anthrace* sive *Carbunculo*, qui maligna furunculi species est, hoc loco nihil addo, sed in sequentibus demum, Capite nimirum de *Peste*, scitu de eo necessaria exponam.

§. II

§. II.

EPINYCTIDES sunt pustulæ parvæ, valde urentes ac prurientes, humore acri repletæ, coloris albidi aut sublividi, quin paullulum quandoque ex livido-nigricantis. Nascuntur indiscriminatim in corporis superficie, et noctu inprimis prurigine sua atque ardore patientes excruciant. Si aperiuntur, saniem emittunt, et subinde igitur, si rudior atque frequentior fricatio cum unguibus accedit, in scabiem serpiginosam degenerant; unde humorum quoque emendatio per consueta sanguinem purificantia minime supervacanea est.

§. III.

Cum epinyctidibus PHLYCTAENAE, *Phlyctenes*, *Papulæ* multa quidem communia habent, prodeunt tamen præcipue circa carpos manuum et inter digitos, et humor præterea, quem vesiculæ albidæ, pruriginosæ ac valde urentes continent, paullo limpidior, tenuior, magisque serosus est, quam in epinyctidibus. Intra breve plerumque tempus, acri inprimis humore effuso, exsiccantur, vel subinde etiam, data occasione externa, in sca-

biem tranſeunt. Parum quoque ab hiſce ac præcedentibus ſic dicta SVDAMINA, *Hydroa, Papulæ ſudoris* recedunt. Sunt enim tubercula puſtuloſa, milii granis haud diſſimilia ac magis minusve prurientia, quæ tempore valde calido æſtivo ſub nimio corporis exercitio, apud iuniora inprimis ſubiecta, temperamento ſanguineo-cholerico prædita, in collo, pectore, ſcapulis, brachiis, femoribus et frequentius adhuc circa pudenda et anum, a *retentis acrioribus ac viſcidioribus ſudoris particulis* exoriuntur, ac cutem exaſperant. Non patiuntur humorum purificantia calidiora, ſed temperata ſaltim *diluentia*, decocta nimirum hordeacea et avenacea, ſerum lactis, aquam ſimplicem et temperatas aquas minerales Selteranas, Antonianas &c. cum lacte, vel etiam puras ad ſui præſervationem ac curationem deſiderant. Nonnulli deſcriptas Sudoris papulas etiam *Eczemata* appellant, aſt minus recte: Hæc poſteriora enim puſtulas rubicundas ac valde fervidas denotant, et magnopere igitur a Sudaminibus differunt.

§. IV.

§. IV.

SIRONES ſive *Chirones* ſunt puſtulæ valde pruriginoſæ, quæ tempore æſtivo in volis manuum, inter digitos, et in plantis pedum emergunt, et unice a *minutis vermiculis*, germanice *Reitläuſe* dictis, excitantur. Vulgo ad enecandos vermiculos hoſce puſtulasque abigendas loturæ et inunctiones mercuriales commendantur; at cura, me ſentiente, expeditior eſt, quando vermis, in puſtula latitans, acu effoditur.

§. V.

A recenſitis levioribus adfectibus cutis puſtuloſis nonnihil rurſus ESSERE, *Sora*, *Sare* diſcrepant. Non puſtulæ enim ſunt, ſed tubercula parva, duriuſcula, nunc albida prorſus, nunc pallide rubentia, quæ ſubito plerumque in univerſo habitu cutaneo cum inſigni pruritu exſurgunt, non aliter, ac ſi patiens apum aut culicum aut veſparum aculeis compunctus, vel urticis percuſſus fuiſſet. Ortum ſuum ab *acrioribus humoribus ſeroſis* trahunt, ac ſponte iterum, citra ullam ichoris aut alterius humoris effuſionem, evaneſcunt, nec ullam quoque in cute aſperitatem

relinquunt. Non indigent igitur medicatione, poſſunt tamen, præſervandi ad minimum gratia, mitiora quædam *laxantia*, *edulcorantia ſanguinemque purificantia* in uſum vocari.

§. VI.

INTERTRIGO ſive *Darſis* eſt cutanea excoriatio, ſeu potius epidermidis arroſio atque abraſio cum rubore et dolore. Apud infantes tenellos, faſciis adhuc involutos, hoc vitium circa pudenda et anum inter femora, nec minus in coxis et ſub axillis frequentiſſime naſcitur, ſuamque originem, præſente inprimis connata humorum acrimonia, *lotio acriori* et *acido ſudori* debet; apud adultos vero paullo rarius occurrit, et *violentiori* utplurimum *attritu* ſub equitatione diuturna inter femora producitur, vel ſubinde etiam apud ægros, ſub diuturno corporis decubitu ſupino, in dorſo et natibus ab *affrictu* et *ſudore acriori* oritur.

§. VII.

Ad ſanandum hoc cutis vitium, decenti ſimul in veſtitu munditie obſervata, ſola plerumque

rumque *exſiccantia* ac *demulcentia externa*, inſperſi v. g. pulveres ex ceruſſa plumbi, lacte lunae, pulvere lycopodii, foliis roſarum rubrarum et myrrha, oleum ovorum myrrhatum recens, mucilago ſeminis pſyllii et cydoniorum, ſevum cervinum, unguentum dialthaeae, de minio ſimplex, ad ambuſta, de lithargyrio et alabaſtrinum, lotiones cum decocto radicis liliorum alborum, et florum verbaſci &c. ſufficiunt; ſubinde tamen, ſi acidum videlicet apud infantes in prima culina nimium abundet, infanti et nutrici *abſorbentia* quaedam *terrea* aliaque *antacida* exhiberi poſſunt.



CAP. VII.

DE NATTA, VERRVCIS, CLAVIS PEDVM, ET GANGLIIS.

§. I.

NATTA, vel *Nata* eſt tumor carnoſo-adipoſus, magnus, mollis, indolens et coloris peregrini expers. Pertinet

ad ſteatomata, et plerumque in dorſo, rarius in humero et aliis corporis locis, excreſcit, tantamque ſubinde magnitudinem, etiamſi a tenuiori ſaltim radice pendeat, conſequitur, ut aliquot libras pondere, et cucurbitam minorem aut melonem magnitudine æquet. Medicamenta ad diſcutiendum hunc tumorem nihil valent, ſed unice illa *Sectione chirurgica* tollitur.

§. II.

VERRVCAE, quæ apud cuiuscunque ætatis homines identidem in quavis corporis externi loco, maxime autem in facie, et adhuc ſæpius in dorſo digitorum ac manuum e cute erumpunt, ſicciores, aſperiores, duriores, quin penitus nonnunquam calloſæ excreſcentiæ minores ſunt, ac vulgo in *ſeſſiles* et *penſiles* dividuntur. Hæ, quæ etiam *Acrochordones* appellantur, ad cutem tenues, ſupra latiores exiſtunt, et ideo pendere videntur; illæ ex adverſo baſin latiorem habent, ac ſenſim in tenuius et obtuſum cacumen deſinunt. Dantur tamen inter haſce poſteriores, quæ figuram cylindraceam verticemque planum obtinent, ita ut chordæ craſ-

craſſioris ſegmento haud diſſimiles adpareant. Ex *læſis tumidisque* aut *arefactis nervorum papillulis* ſuccreſcere creduntur, hinc facile poſt ablationem, niſi radicitus ex ſtirpatæ fuerint, renaſcuntur. Si ſponte rurſus, quod interdum fieri ſolet, diſparere recuſant, medicamentis *cathæreticis* et *adurentibus*, vel *ligatura cum filo lineo* aut *ſericeo*, aut *pilo equino*, vel *ſectione cum forfice*, aut *raſione cum ſcalpello* tolluntur. Ligatura et ſectio cum forfice apud verrucas penſiles commode in uſum trahuntur, raſio autem et ſectio cum ſcalpello, nec minus cathæretica, quibus ſuccus chelidonii et eſulæ, oleum tartari per deliquium, ſaturatior ſolutio ſalis ammoniaci aquoſa, lapis infernalis, immo potentiora cauſtica et corroſiva adnumerantur, magis apud verrucas ſeſſiles locum inveniunt. Notari tamen debet, ante corrodentium adplicationem emplaſtrum, foramine inſtructum, verrucæ circumponendum eſſe, ne partes adiacentes lædantur; nec ignorari quoque oportet, ante raſionem et exſectionem cum ſcalpello, verrucam impoſito emplaſtro ex gummi ammoniaco, cum oleo lini malaxato, aut alio eiusdem virtu-

tis remedio prius emolliendam, et, peracta etiam exsectione, radices superstites adhibito mitiori cathæretico penitus absumendas esse.

§. III.

CLAVI PEDVM, in digitis maxime et latere pedis externo nascentes, verrucis adhuc deteriores sunt, quoniam radiculam suam persæpe ad periosteum usque et digitorum tendines demittunt, et patienti non tantum inter eundum, sed alio etiam tempore, imminente inprimis tempestatis mutatione, ingentem dolorem urentem ac pungentem pariunt. Oriuntur ab *humore aqueo-gelatinoso*, ex compressis ruptisque vasculis cutis et subinde etiam periostei atque vaginæ tendinum lymphaticis *emanante*, ac sensim postea in *corpus durum concrescente*. Arctiorum plerumque calceorum compressionem caussam antecedentem agnoscunt, subinde tamen etiam sponte ac citra manifestam læsionem externam generantur. Raro absque auxilio medico-chirurgico abeunt, sed partim *pediluviis aliisque pharmacis emollientibus*, partim *sectione* tollendi sunt.

ſunt. Emollientia, cuius cenſus hoc loco ſunt cera viridis aut rubra, gummi ammoniacum ſolum aut cum oleo lini malaxatum, emplaſtrum de cicuta, de hyoſcyamo, de galbano crocatum MYNS. &c., primum imponuntur, deinde emollitum tuberculum eminens calloſum ſcalpello raditur, aut provide exſcinditur et radicula etiam, ſi fieri poteſt, penitus evellitur; Cavendum tamen, ne perioſteum ac tendines iuſto profundiori ſectione lædantur, et periculoſa igitur inflammatio, quæ teſte experientia nonnunquam in gangrænam abit, exſurgat. Poſt primam exſectionem uſus pediluviorum, adplicatio emplaſtrorum emollientium, raſio et provida ſectio, aut evulſio pluries repeti debent, donec tuberculum, facillime alias renaſcens, perfecte eradicatum ſit.

§. IV.

GANGLION ſive *Ganglium*, cuius in *prima* dudum *Parte*, *Sect. I. cap.* 9. §. 3. aliqua mentio facta fuit, tumorem latiorem, durum, calloſum ac fere cartilagineum, cuti concolorem, dolorisque ordinario expertem,

tem, ſiſtit, et frequentius inprimis circa carpos, tarſos, in lateribus, dorſo et digitis manuum ac pedum ex *humore tendinum mucilagineo*, poſt vaſculorum quorundam rupturam *in vaginam effuſo*, poſteaque, albuminis ovorum calore paullulum coacti inſtar, *concreto*, naſcitur. Si recens eſt, *frequenti fricatione cum digito*, et *impoſita valentiusque adſtricta lamina plumbea* perſæpe diſſolvitur iterum, immo interdum ſponte diſcutitur. Commendantur quoque *emplaſtra* quædam et *linimenta*, v. g. emplaſtrum de gummi ammoniaco, diachylon compoſitum, diaphoreticum MYNSICHTI, de ranis VIGONIS cum mercurio, oleum lumbricorum terreſtrium, ſcorpionum &c., aſt parum plerumque haec pharmaca efficiunt, et, irritis igitur prioribus auxiliis, ad circumſpectam et methodicam *exſectionem* confugiendum erit.



C A P.



CAP. VIII.

DE MEMBRIS ADVSTIS AC FRIGORE LAESIS.

§. I.

Non vulgaris tantum ignis gliſcens atque flammans, ſed etiam, ſicuti omnibus notiſſimum eſt, pulvis pyrius accenſus, aqua fervida, oleum fervidum, liquefactæ pinguedines ferventes, metalla liquefacta &c. partes corporis graviter quidem adurunt, alia tamen præ aliis, pro diverſa indole ſua, diverſa gravitate ſpecifica, diverſa fuſibilitate &c., violentiorem actionem exercent, et pinguedines v. g. atque olea fervida magis, quam aqua ebulliens, et magis rurſum metalla liquefacta, quam olea, lædunt; cuius diſcriminis rationes phyſicæ ex BOERHAVII *Chemia a)* diſcendæ ſunt.

§. II.

Dantur tres *Aduſtionis* ſive *Ambuſtionis* gradus. In primo gradu cutis valde rubet,

a) *Part. I. p. m. 620. ſequ.*

rubet, et cum pruritu quodam ac salientis puncturae sensu dolet, nullae tamen pustulae oriuntur, nec epidermis quoque abscedit; hinc *ocyssima immersio in aquam calidam, admotio ad ignem, adplicatio decocti nigri chirurgorum cum vino*, aut *sacculi vinosi* ex floribus chamomillae vulgaris et Romanae, aut *cataplasmatis* ex cepis, cum sale et pauco sapone in mortario tritis, ulteriorem noxam avertunt, doloremque atque ruborem abigunt. Idem auxilium etiam acetum acerrimum, atramentum, vitriolum, aqua solutum, acetum, cum lithargyrio decoctum, aqua sclopetaria, spiritus vini, cum multa aqua mixtus, et solutio salis culinaris, cum aceto, aut vino rubro, aut spiritu vini facta, atque linteolo, aeque ác praecedentia, imposita, praestant.

§. III.

In gradu secundo pars laesa subito et cum magno rubore inflatur, dolor ardens simulque pungens acerbissimus est, ac protinus pustulae elevantur; quare nulla etiam acria, nulla spirituosa locum amplius inveniunt, sed sola *emollientia* ac *demulcentia tepida*,

pida, cataplasmata nimirum ex radicibus, herbis, floribus &c, mucilagineis et mucilagineo-oleosis, cum aqua coctis, mucilago seminis psyllii et cydoniorum, albumen ovorum, emulsiones ex seminibus quatuor frigidis maioribus et minoribus, cepae, cum butyro nondum salito frixae, posteaque in pultem contritae, oleum ovorum recens, nec minus unguenta ex oleo infuso rosarum, liliorum alb., chamomelino, et vitello ovorum, unguentum basilicum, nutritum, ad ambusta, dialthaeae &c., adplicanda sunt. Si pustulae maiores ac deteriores sunt, cutisque valde arida atque contracta, pus moveri oportet, cui scopo obtinendo cataplasmata et unguenta magis, quam reliqua inserviunt.

§. IV.

In gradu tertio ac summo cutis sub corporis adurentis adhaesione confestim nigra aut livida evadit, oritur crusta sicca, dura ac nigricans, et pars adusta, acu aut scalpello puncta, vel obtusum duntaxat, vel nullum amplius sensum habet. In casu priori mox venturi sphaceli metus est, in posteriori

riori autem, ubi ſenſus ad os usque extinctus eſt, perfectam necroſin dudum adeſſe, conſtat. Adverſus mitiorem hanc ſpeciem ſingula, alibi *a*) ad avertendam gangrænam et ſphacelum imminentem commendata, et maxime quidem epithemata ac cataplasmata emollientia et ſimilia, quæ ſuppurationem valide promovent, ac citiorem eſcharæ ſeparationem adiuvant, multum valent. Nam quo citius emortua pars ſuppuratione a viva ſeparatur, et quo citius etiam, eſchara ablata, ulceri aperto opem ferre licet, eo certius quoque felix curatio ſperanda eſt. In ſtatu deteriori ac penitus ſphaceloſo, ad uſum eorum, quæ in *Prima Parte loco vix citato* expoſita leguntur, confugiendum erit.

§. V.

Quemadmodum corporum adurentium effectus et ambuſtionis gradus differunt, ſic notabile etiam diſcrimen apud læſiones, quas gelu vehementius membris infert, deprehenditur. Si frigus pedes, manus, aliaque membra non adeo valenter infeſtavit, nec læſio igitur altius infra cutem penetravit, ſed lymphatici tantum humores in fiſtulis mino-

a) *Tom. I. Sect. 1. Cap. 2.*

minoribus, minime autem ſanguis, condenſati fuerunt, ſic dicti PERNIONES oriuntur, qui patienti non tantum ardore, pruritu intolerabili, et remiſſiori dolore pungente haud leves cruciatus pariunt; ſed ſæpe etiam, ſi neglecti fuerint, aut ſiniſtre tractati, puſtulis primum afficiuntur, poſteaque penitus exulcerantur. Facile præterea mala memorata, etiamſi, iuſta medela adhibita, (quæ, ulcere tamen exorto, diutius utplurimum protrahitur, ac paullo difficilis eſt), perfecte ſublata videantur, ſub inæquali ac varia tempeſtate, et facilius adhuc atque certius hyeme, niſi partis affectæ inunctione cum oleo petræ aut terebinthinæ, olei raparum miſcela nonnihil temperato, avertantur, poſt novam ac ſaltim mediocrem refrigerationem redeunt.

§. VI.

Maiorem frigoris ſævitiem maiores quoque totius corporis aut membrorum quorundam noxæ ſequuntur, nec raro ideo it, ut protinus in membris, gelu valde rigentibus, uberrima puſtularum generatio, excoriatio, exulceratio, inflammatio gangrænoſa,

vasculorum, tum lymphaticorum, tum sanguiferorum, a congelatis aut valde tamen coagulatis humoribus pertinaciter obstructorum, ruptura, adeoque praeceps sphacelatio oriantur: Vt nihil de sopore atque funesta apoplexia dicam, quae creberrime succedere solent, quando, diutius durante severiori frigoris actione, circuitus humorum in membris rigentibus penitus cohibetur, et sanguis itaque cum latice seroso-lymphatico ubertim ad cerebrum et reliqua viscera interna compellitur.

§. VII.

Auxilium apud aegros hosce, praesertim si frigoris violentia maior fuerit, et detrimenta inde orta insigniora reperiantur, nunquam protrahendum, sed omnis cura eo confestim dirigenda est, ut in membris gelu rigentibus calor naturalis, et cum eo circuli humorum libertas quantocyus, absque pernicioso tamen saltu, ac tantum gradatim, revocentur. Necesse itaque est, ut membra, saevissimo frigore laesa, illico in cubiculo temperate calido aut saltim tepido, nive operiantur, aut in aquam frigidam, nondum

tamen

tamen conglaciatam, aliquamdiu immergantur. Corpora enim hæc, licet ipſa valde frigida ſint, plus tamen caloris, quam membra gelata, in ſe continent, ac ſenſim ideo humores congelatos ſolvunt, ſenſimque ad circulum redigunt. Facta hac regelatione, frictiones, ſi nondum ſcilicet puſtulæ enatæ fuerint, cum pannis nonnihil calefactis adhiberi, et patienti vinum generoſum aut calida cereviſia, aromatibus condita, nec non alexipharmaca quædam ac ſudorifera propinari, ſimulque membra læſa ac totum corpus veſtibus aut pellibus contegi debent, ut ſudor eliciatur. Notari cæteroquin oportet, frictiones, puſtulis pridem enatis, nullum, uti dudum monui, locum invenire, ſed contritas rapas congelatas, ſi ſuppetant, et deinde, calore paullatim reducto, demulcentia, in ſimili caſu contra ambuſta commendata, adplicanda eſſe. Senſu denique ac vita in membro affecto penitus et ad os usque extinctis, omne, quod reſtat, auxilium, ad tempeſtivam *amputationem* redit, quam utplurimum tamen mors ſequitur.





SECTIO VII.

DE FEBRIBUS CAETERISQUE MORBIS UNIVERSALIBUS.



CAP. I.

DE FEBRE EPHEMERA ET LACTARIA.

§. I.



FEBRIS EPHEMERA ſive *Diaria* eſt febrium benignarum mitiſſima, quæ nunquam periculum adfert, nec unquam etiam ultra diem noctemque protrahitur, ſed intra duodecim ordinario aut ſedecim horas cum leni ſudore critico ad finem decurrit.

§. II.

§. II.

Symptomata remiſſiora ac regularia ſunt. Incipit enim cum levi horrore, quem deinde æſtus moderatus cum aliqua inquietudine ac leniori et facile tolerabili capitis dolore ſequitur. Cauſam ordinario *tranſpirationem cutaneam* agnoſcit, calidiori inprimis tempore poſt motum diuturniorem aut fortiora corporis exercitia magis minusve *ſuppreſſam*, hinc critica etiam ſudatiuncula, poſt brevem, uti pridem dictum fuit, durationem, ſponte rurſus ſolvitur.

§. III.

Auxilio medici, ob benignum mitemque genium ſuum, vix unquam aut ne vix indiget, poſſunt tamen, ſi medico aut patienti tutius videtur, *temperantia* quædam ac *leniora diaphoretica*, pulveres v. g. ex abſorbente quodam, nitro depurato aliisque ſalibus mediis, et paucis caſcarillæ granis, vel potiunculæ ex aquis diapnoicis et vix memoratis pulverulentis, nec minus infuſum theæ orientalis aut meliſſæ citrariæ, decoctum hordeaceum aut avenaceum et ſimilia in uſum trahi, ut ſudor ad minimum citius erumpat.

§. IV.

§. IV.

Cum febre ephemera FEBRIS LACTARIA valde convenit, præterquam, quod diutius, quam præcedens, perduret; unde quibusdam etiam *Ephemera plurium dierum* audit. Sub prima lactis secretione uberiori, adeoque tertio, quarto, aut quinto post partum die, puerperas cum horrore et subsequente æstu moderato invadit, et ter utplurimum hanc scenam repetit, deinde vero, si regimen temperate calidum, quod criticam sudationem blande adiuvat, observetur, et turbulentus ideo sanguinis motus paullatim cesset, sponte pariter desinit: Quare non adeo multa medicamenta requiruntur, sed, præter *victum potumque temperatum*, *infusa* theæ orientalis, veronicæ, betonicæ, aut melissæ citrariæ, et prædicta aliaque *temperantia* ac *diaphoretica*, rite inprimis succedente fluxu lochiali, sufficiunt.

CAP



CAP. II.

DE FEBRE CATARRHALI ET RHEVMATICA.

§. I.

FEBRIS CATARRHALIS seu *Veterum Quotidiana continua* est febris remittens, largiori plerumque materiae mucido-acris per emunctoria glandulosa excretione aut copioso ad minimum ad glandulas decubitu, adeoque gravedine aut coryza, vel rheumate oculorum sive epiphora humida, vel diarrhoea, vel tussi, vel angina spuria atque raucedine, vel intumescentia amygdalarum, aut parotidum, aut glandularum maxillarium &c., stipata.

§. II.

Accedit ordinario circa vesperam cum frigore, per dimidium plerumque aut integram horam, immo diutius nonnunquam, cum somnolenta capitis temulentia, languore corporis, livore unguium, et singulari in

ſpina dorſali tenſionis ac formicationis ſenſu, citra manifeſtam tamen horripilationem, perdurante, deinde æſtus remiſſior, cum aliqua praecordiorum anguſtia, inquietudine, cephalalgia gravativa, ſiti exigua et interdum fere nulla, ſequitur, qui per aliquot horas et tamdiu adfligit, donec ſudor erumpens febris et plerorumque ſymptomatum remiſſionem adferat. Peracta critica hac excretione, febris, nondum penitus quidem, ſicuti ex remanente corporis languore, laſſitudine membrorum, adpetitu imminuto, temulentia capitis, pulſu celeriori, et urina ſaturate aurantii coloris cognoſcitur, ceſſat, per maximam nihilominus diei partem tam mitis exiſtit, ut vix amplius adeſſe videatur: Verum enim vero, approximante rurſus tempore veſpertino, novus quaſi paroxyſmus ſupervenit, et, praegreſſo iterum frigore, æſtus, catarrhus complicatus et quævis reliqua ſymptomata denuo exacerbantur, ſcenamque priſtinam, usque ad ſudoris eruptionem, ludunt. Pluries poſtmodum memoratæ exacerbationes ac remiſſiones alternantes repetuntur, donec febris plene tandem planeque deſinat.

§. III.

§. III.

Febris catarrhalis in *benignam* et *malignam* diſtinguitur: Prior, ſi rite tractetur. vitæ periculo vacat, et, prædicto modo decurrens, vel ſola repetita ſudatione critica vel hac et complicata ſimul excretione quadam mucido-acri ſeroſa, intra octiduum et poſt paucas nonnunquam exacerbationes ac remiſſiones, certo iterum ſolvitur; poſterior ex adverſo, in qua deterior plerumque impuritas exanthematica purpurata, immo petechialis ſubeſt, et horror itaque, æſtus, anxietas præcordialis, laſſitudo membrorum ac quævis pathemata reliqua fortiora reperiuntur, maioris momenti exiſtit, et multos perſæpe homines cuiuscunque ætatis, ſexus ac vitæ generis, nunc citius et ante diem ſeptimum, nunc ſerius et ſubinde, decem pridem, quatuordecim, imo viginti diebus elapſis, extinguit; præſertim, ſi exanthemata debite prodire recuſent, aut denuo poſt expulſionem retrocedant.

§. IV.

Ordinario hæ febres ſub crebriori tempeſtatum viciſſitudine, et poſt repentinam

inprimis tempeſtatis calidioris mutationem in frigidam aut frigidiuſculo-humidam oriuntur, ac ſæpe ideo ſæpius epidemice graſſantur, benignæ tamen tempore autumnali, malignæ vernali frequentiores ſunt, ſuosque natales *ſubito imminutæ tranſpirationi cutaneæ* et *retentis* ideo *copioſis recrementis humorum mucido-acribus* præcipue debent, ita tamen, ut in benignis craſſior tantum mucus vulgaris, particulis ſalinis parcius remixtus, in malignis ex adverſo materia mucida magis corrupta, ad putredinem inclinans, et deterioribus quisquiliis acribus largiſſime referta, peccet. In benignis præterea cauſis hiſce *eminentior* utplurimum *partium ſolidarum relaxatio*, ab aeris humiditate exſuperante inducta, accedit; unde eo minus quoque mirandum erit, quod organorum pellentium preſſio, et humorum proinde conquaſſatio, attenuatio ac depuratio valde imminuantur, et ſenſim hac ratione muci viſcidioris moles in ſanguine et lympha increſcat.

§. V.

Curatio in febre catarrhali benigna, eo maxime dirigenda eſt, ut humores mucidi per

per *diluentia*, *incidentia*, et *abstergentia* attenuentur, et transspirationis cutaneae libertas per *diaphoretica* et *temperate calidum regimen externum* denuo restituatur. Attenuantia diaphoreticis vulgo quidem praemittuntur, aut usui eorum interponuntur, commode tamen etiam, et cum meliori persaepe effectu, cum illis misceri, et prae reliquis itaque pulveres ex absorbente quodam, salibus neutris vulgaribus, nitro depurato, radice irid. Florent., ari pptae, cascarilla, croco orientali, et sulphure antimonii aurato optimo, potiunculae ex iisdem pharmacis et aquis diapnoicis flor. acaciae, scordii, melissae, foeniculi, cinnamomi boraginata &c., infusa theiformia ex rad. glycyrrhizae, sarsaparillae, cichorii, scorzonerae, saponariae, pimpinellae albae, herba hederae terrestr., veronicae, chamaedryos nob., betonicae, melissae citr., flor. rorismarini, ligno sassafras, flavedine cort. citri, sem. foeniculi &c., electuaria ex syrupo de hyssopo, de erysimo LOBELII, scordii, melissae, extr. angelicae, trifolii fibr., scordii, chamomillae vulg., pulvere rhabarbari, rad. ari pptae, irid. Florent, croci orientalis et cascarillae, aut sulphure antimonii

aurato

aurato, mixturae spirituosae (si caloris nempe gradus et aegri temperamentum permittant) ex ess. lignorum, scordii, trifolii fibrini, helenii, angelicae, succini, pimpinellae albae, liquore C. C. succinato, spiritu bezoardico BVSSII, salis ammoniaci anisato, vel harum loco mitiores tincturae vinosae ex liquore terrae foliatae tartari et extractis laudatis in usum vocari possunt. Non negligi quoque debent, quae complicato catarrho specialius medentur, et mucido-acrium impuritatum excretionem adiuvant. Allegata remedia in febre catarrhali maligna itidem quidem locum inveniunt, calidiora tamen spirituosa exagitantia, quae morbum facile exasperant, caute admodum et refracta saltim dosi exhibenda, quin saepius plane reiicienda sunt, praesertim, si aestus intensior sit, aut recrementa purpurata et petechialia in massa humorum haereant.

§. VI.

FEBRIS RHEVMATICA, cuius rarissime in scriptis medicorum mentio fit, quoad multa febri catarrhali analoga est, quoad nonnulla ab illa recedit. Catarrhali

enim

enim benigna utplurimum gravior reperitur, et magnos ordinario dolores dorſi, artuum, aliarumque partium vagabundos pediſſequas habet. Exacerbationes præterea atque remiſſiones eius magis irregulares ſunt, et priores cum præeunte exiguo ſaltim et interdum vix notabili frigore, nec ſolum quoque circa veſperam, ſed perſæpe alio pariter diei tempore redeunt, nec facile, ſi tuſſim vehementem atque rebellem exceperis, catarrhum comitem adducunt. Deſinit interdum poſt paucos dies, interdum vero ad duas hebdomades, quin ultra, cum adpetitus viriumque deieſtione ac vario corporis cruciatu, protrahitur. Ortum ſuum *valde mucidæ humorum*, præſertim *ſeroſo-lymphaticorum, dyſcraſiæ* et *largius immixtis recrementis acribus ſcorbutico-purpuratis* debet, hinc optime etiam repetita ſudatione critica, aut exanthematum purpuratorum eruptione tollitur. Calidiora cæteroquin remedia et validiora expellentia minime patitur, ſed *diluentia* tantum, *reſolventia*, *temperantia* et *mitiora diaphoretica*, ptiſanas nempe, infuſa theiformia ex ſpeciebus temperatioribus, ſerum lactis, potiunculas reſolventes

ventes et diapnoicas antea laudatas, emulſiones ex aquis iisdem, pulverulentis ſalſo-nitroſis, amygdalis dulcibus, ſem. 4. frigidis maior. et minor., ſem. cardui benedicti, cardui Mariae &c., quibus interdum praedicta etiam electuaria et mixturae vinoſae interponi poterunt, ad ſui curationem poſtulat. *Venaeſectio*, praeſente dudum perfecta febre rheumatica aut catarrhali, nunquam conducit, immo in catarrhalibus purpuratis atque petechizantibus malignis utplurimum mortifera eſt, ante ipſius autem febris benignioris, praeſertim rheumaticae, acceſſum, apud ſubiecta plethorica valde interdum proficua deprehenditur.



CAP. III.

DE FEBRE BILIOSA.

§. I.

FEBRIS BILIOSA, *ſtricte ſic dicta*, eſt febris continua, quae citra ſingularem plerumque horripilationem praecurrentem, cum aeſtu mediocri variisque aliis ſympto- ma-

matibus, uberius poſtmodum recenſendis, accedit, et unice a bile copioſa ac fervida, in duodeno præcipue ſtabulante ſenſimque ad ſanguinis maſſam abeunte, producitur.

§. II.

Non confundenda eſt febris bilioſa ſtricte ita dicta cum *febre bilioſa ardente*, quippe quæ, licet æque quidem, ac illa, a bile oriatur, quoad ſymptomata tamen et magis pariter minusve quoad cauſſas a priori differt. In febre bilioſa ardente enim copioſa ſaburra fervida bilioſa, tota propemodum mole ſua et uno quaſi actu ad ſanguinem translata, per integram eius maſſam diſperſa, altiusque humoribus ſinceris immerſa eſt, æſtus totius corporis, dolor capitis, ſitis ad ſummum adſcendunt gradum, cutis ſicciſſima, urina valde rubra, pulſus celerrimus, vigiliæ pertinaces deprehenduntur, iisdemque gravius ordinario delirium, nec raro etiam, propter complicatam cruoris denſitatem, huius vel illius partis inflammatio iungitur. Aliter rurſus, præſertim intuitu connexorum pathematum, cum febre bilioſa ſtricte tali comparatum eſt: Calor febrilis nempe multo mitior, quam in præcedente, obſervatur, cutis humi-

humidiuſcula eſt, quin ſæpius, materia halituoſa per intervalla copioſius prodeunte, valde madida redditur, urina non adeo eminentem rubedinem oſtendit, craſſa tamen exiſtit et poſt moram aliquam turbida evadit, multumque recrementi mucidi ad fundum deponit, præſertim ſi cum bile multæ etiam impuritates viſcidæ ex inteſtinis ad ſanguinem tranſeunt, pulſus celeritas et vehementia intra mediocritatis limites conſiſtunt, dolor capitis ſaltem obtuſus, cum magna nihilominus temulentia et leviori quoque vertigine coniunctus reperitur, ſomnus, etiamſi haud exigua utplurimum ad eum propenſio adſit, pauciſſimus eſt, adpetitus eſculentorum prorſus plerumque deficit, et ſitis quoque parum urget. Hiſce, ceu præcipua huius febris ſigna pathognomonica, accedunt continuus amaritiei ſenſus in ore, et creberrime etiam, quando bilis ſcilicet ex parte in ventriculum usque propulſa fuit, conatus vomendi, quin ipſi vomitus actuales, nec minus anxietates circa ventriculum et ardor dolorificus in hypochondrio dextro ſub coſtis ſpuriis, qui adeo plerumque per conſenſum extenditur verſus ſuperiora, et

tanto-

tantopere partes vicinas adficit, ut æger molestissimas tensiones ac constrictiones, immo subinde vehementes puncturas in dorso ac pectore, quæ postremæ aliquam respirationis difficultatem inducunt, et ipsos dolores pleuriticos aliquando mentiuntur, persentiat.

§. III.

Caussa materialis præcipue, uti in limine pridem dictum fuit, in duodeno latet, ac nulla sane alia est, nisi *copiosa ac fervida saburra biliosa*, nunc *solitaria prorsus*, nunc *mucidis impuritatibus*, ante bilis cysticæ adventum paullatim collectis, *plus minusve remixta.* Defertur autem biliosa hæc materia ad duodenum, quando cystis fellea sub graviori iracundia violentius constringitur, et contentum itaque liquidum, præternaturaliter simul rarescens, largiori quantitate et cum impetu per consuetum canalem, effluere cogitur; hinc præ reliquis etiam homines cholerici temperamenti, qui bile abundant, et valde præterea, ob sensibilitatem ac mobilitatem fibrarum eminentiorem, ad frequentes ac vehementes animi excandescen-

tias proclives ſunt, febri huic aliisque morbis biliofis obnoxii reperiuntur.

§. IV.

Superveniente diarrhoea mucido-bilioſa ſponte utplurimum hæc febris ſolvitur, aut valde ad minimum vehementia eius infringitur, et licet quidem materia peccans, per univerſam humorum circulantium maſſam iam diſſeminata, penitus hac ratione auferri nequeat, præcipua tamen moles, quæ in inteſtinis ſtabulatur, et continuum præcedenti fomitem præbet, eliminatur, ita, ut natura iſtud, quod in ſanguine reſtat, faciliori deinceps negotio ſubigere et auctiori diaphoreſi aut completo ſudore, vel metaſtaſi quadam, quæ temporariam cutis flavedinem icteritiam producit, exterminare valeat. Subinde criticæ huic excretioni vomitus quoque iungitur, ſi aliqua nimirum bilis portio vehementi cyſtidis æque ac duodeni motu ſpasmodico in ventriculi cavitatem propulſa fuit, immo interdum vomitus crebriores absque ulla diarrhoea ſuperveniunt, qu excretionis tamen modus priori longe inferior ac ſaltim ſemicriticus æſtimandus eſt

quo

quoniam tota materiæ peccantis moles, in prima culina delitefcens, neutiquam excluditur, et pertinaciffima igitur alvi obftipatio cum variarum partium fpasmis utplurimum perfeverat. Hifce accedit, quod fanguis vehementi fub vomitu repetito ventriculi ac vifcerum connexorum motu magis exagitetur, et ventriculo non minus, quam toti corpori maior debilitas inducatur.

§. V.

Quando igitur alvi obftructio mature tollitur, et recrementa biliofa primis ftatim diebus eiiciuntur, febris exorta illico notabiliter mitefcere et poft paucos plerumque dies penitus remittere confuevit, Contrarium obfervatur, fi fpasmodica inteftinorum affectio refractaria excernendæ materiæ caufticæ tempeftivum exitum præcludit. Siquidem acres fervidæque hæ quisquiliæ, ob moram longiorem, non tantum maiori quantitate ex inteftinis ad fanguinem transmittuntur, ibidemque febriles igniculos fovent, magisque fufcitant, fed, quoad partem quoque inteftinorum tunicis pertinacius adhærentes, eas adeo arrodunt, ut nonnunquam, præter

alia ſymptomata periculoſa, ventriculi, inteſtinorum, quin ipſius hepatis, inflammationes, quæ facile mortem inferunt, ſequantur: Nec ſilentio etiam prætermittendum erit, febrem hanc, diutius ſcilicet impuritate biliosa in corpore retenta, ſenſimque acriori reddita, perſæpe in lentam, vix amplius poſtmodum curabilem, et, breviori ideo aut longiori intervallo interiecto, plerumque funeſtam, degenerare.

§. VI.

Ex hactenus recenſitis facile, uti credo, practicus rationalis, quid agendum circa medelam, quid omittendum, perſpiciet, totamque huius febris curationem ita adornandam eſſe, mecum fatebitur, ut fervida ſaburra biliosa cito emendetur ac præparetur, tunicæ inteſtinorum et partium connexarum ſpasmo correptæ aliquantulum relaxentur, et emendata impuritas blande atque mature, antequam maiori copia ad ſanguinem tendat, aut diuturniori ſua in- et adhæſione parietes inteſtinorum gravius erodat, per alvum educatur. Primæ indicationi *temperata* pariter *reſolventia* ac *diluentia* egregie inſer-

inserviunt. Inter priora nitrosa, v. g. nitrum depuratum ac tabulatum, nec minus acidula, v. g. sal acetosellae, cremor tartari, magisterium hepat. rubr. Dresdense, succus citri, aqua dilutus &c., reliquis palmam praeripiunt; ad posteriora autem decocta hordeacea et avenacea cum radice graminis arveniis et rasura C. C., serum lactis acidulum, cum pulpa tamarindorum aut tartari cremore paratum, et potiunculae atque emulsiones ex aquis refrigerantibus, ex aqua nimirum cichorii, lactucae, graminis, endiviae, flor. boraginis, nymphaeae &c., et amygdalis dulcibus, seminibus quatuor frigidis maioribus et minoribus, semine cannabis et nitro depurato spectant.

§. VII.

Medicamenta, secundae indicationi dicata, ex classe *emollientium unguinoso-oleosae* et *mucilagineae naturae* desumuntur, iisdemque maxime hoc loco sperma ceti, oleum amygdalarum dulcium recentissime expressum, iuscula avenacea tenuiora, cum radice althaeae et floribus chamomillae vulgaris cocta, et oleo memorato aut butyro nondum

falito ac recentiſſimo nonnihil pinguia reddita, nec minus enemata emollientia, iterato nonnunquam iniecta, accenſenda veniunt. Hiſce, ut tertiae pariter indicationi ſatisfiat, *lenia laxantia rhabarbarina* aut *mannato-rhabarbarina cum cremore tartari* interponi, vel, quod praeſtat, protinus iungi debent. Laxantia, inquam, leniora: Quod potentiora enim cathartica et emetica, quibus imprudentes tamen medicaſtri haud raro utuntur, attinet, illa prorſus exulari oportet, quoniam in hac febre et morbis quibusvis reliquis, poſt iracundiam a bile valde commota ortis, perniciofiſſima ſunt, et, magna adhuc fibrarum ſtrictura praeſente, exhibita, inſanabilem perſaepe, ſicuti fuſius in *Diſſertatione de Febre biliofa* expoſui, ventriculi et inteſtinorum atoniam, vel earundem partium inflammationem, poſt breve utplurimum tempus exitialem, producunt. „Nihil frequen„tius, FRID. HOFFMANNVS *ſcribit* a), „in praxi occurrit, quam ab ira inflamma„tionem pati ventriculum et inteſtina, eam„que cumprimis lethalem fieri, ſi mox po„tus

a) *In Med. Syſt. Tom. II. P. 2. cap. 1. §. 14.*

„tus frigidus paullo avidius superingeratur, „vel purgans, vel emeticum propinetur, ad „bilem ab ira, ut vulgo putant, commotam „e ventriculi sinu exturbandam - - - -, „adeoque cane et angue peius vitanda in „adfectibus et symptomatibus, ab ira pro- „ductis, omnia purgantia drastica et eme- „tica.„ Nonnulli *venaesectionem* in hac febre penitus quoque dissvadent, at, subinde illam, quando biliosa nimirum febris hominem valde plethoricum corripit, vel hepatis, aut ventriculi, aut intestinorum inflammatio imminet, vel dudum iuncta deprehenditur, omnino necessariam existere, arbitror.



CAP. IV.

DE CAVSO SIVE FEBRE ARDENTE STRICTE SIC DICTA.

§. I.

CAVSVS (a καίω, *uro*), sive *Febris Ardens stricte ita dicta*, est febris continua valde acuta, cum aestu corporis intensissimo,

ſiſſimo, pulſu celerrimo, ſiti inexplebili, et pluribus ſymptomatibus aliis, eminentiorem ſanguinis phlogoſin arguentibus, coniuncta.

§. II.

Sub prima morbi acceſſione horror duntaxat brevis atque leviſſimus percipitur, quem protinus ingens univerſi corporis æſtus, magis paullatim magisque, citra ullam remiſſionem, ad ſummum usque gradum increſcens, excipit, cui ſeſe dolor capitis acerbiſſimus, ſitis fere inextinguibilis, reſpiratio anxia, ſublimis, anheloſa, anxietas præcordialis, vigiliæ pertinaces, inquietudo maxima, et plerumque etiam vehemens delirium iungunt. Pulſus, ſicuti antea pridem dictum fuit, durus ac velociſſimus eſt, cutis arida et contactu calidiſſima, lingua retorrida ſubfuſco flaveſcens aut nigricans, alvus refractarie obſtructa atque ſicciſſima, urina flammea, adpetitus eſculentorum plane deiectus, et vires quoque corporis valde proſtratæ reperiuntur, immo hiſce haud raro angina vera, aut peripnevmonia, aut aliarum partium inflammatio accedit.

§. III.

§. III.

Frequentius febris ardens homines ſexus nobilioris, ætatis iuvenilis ac vegetæ virilis, temperamenti bilioſi cholerici et cholerico-ſanguinei, habitu corporis macilento fibrisque ſiccioribus ac ſenſibilioribus præditos, quam alterius ætatis ac temperamenti ſubiecta, corripit, ac merito in *ſimplicem*, *bilioſam* et *inflammatoriam* diſtinguenda eſt. Simplex ab *ingenti cruoris*, *fervidis recrementis ſalino-ſulphureis remixti*, *denſitate* et *maxima ſeri diluentis* ac *contemperantis penuria* oritur. Bilioſa *idem conſiſtentiæ vitium* et *copioſam inſimul ac valde exaltatam impuritatem bilioſam*, univerſæ cruoris maſſæ altius immerſam, cauſſas præcipuas agnoſcit, et inflammatoria denique *ſola ſubortæ cuiusdam inflammationis ſocietate* a binis prioribus diſcernitur.

§. IV.

Ad cauſſas procatarcticas iracundia gravior, ſubitanea ſudoris aut largioris tantum tranſpirationis cutaneæ poſt magnam corporis ſub motu et exercitiis incaleſcentiam ſuppreſſio, diuturna intemperies aeris ſiccâ

valde æſtuoſa, ingurgitatio nimia potulentorum ſpirituoſorum, eſus frequentior ciborum ſale nimium et aromatibus conditorum, abuſus purgantium ac ſudoriferorum et quævis alia, quæ corpus ſero nimium depauperare et magnam ideo denſitatem magnamque ad coagulum proclivitatem cruori inducere, vel ſubtilem duntaxat, penetrantem, fervidamque impuritatem humoribus copioſe inferre, aut dudum præſentem ſubito intendere valent, referenda ſunt. Nec ignorari quoque oportet, febrem intermittentem tertianam, eamque ſanguineo lymphaticam, perſæpe, ſi adhibitis medicamentis calidioribus aliove modo ſiniſtre tractetur, in febrem ardentem continuam degenerare, immo hauſtum potulenti gelidi poſt prægreſſum vehementem corporis motum, intuitu febris ardentis inflammatoriæ, eminentem inter cauſſas occaſionales locum occupare.

§. V.

Nunquam hæc febris, propter maximam vehementiam ſuam, ultra octiduum protrahitur, ſed ſeptimo utplurimum die,

ſi


ſi fauſtum ſcilicet eventum ſortiatur, diureſi critica ac largo ſudore, vel interdum quoque hæmorrhagia narium, vel rarius adhuc ictero critico, poſt paucos dies ſponte rurſus abeunte, ſolvitur: Sin vero exitialem ſortiatur eventum, æger citius plerumque, ſopore aut convulſione ſuperveniente, extinguitur. Maius autem periculum adeſſe, vitamque ægri in ancipiti verſari, conſtat, ſi pulſus antea velociſſimus quidem, regularis tamen atque robuſtus, irregularis ac debilis redditur, ſi urina, initio craſſa ac flammea, tenuis aquoſa evadit, et delirium cum agrypnia, anxietate præcordiali et ſpirandi difficultate magis in dies magisque intenditur, vel ſitis aut dolor capitis absque æſtus remiſſione ſubito conticeſcit, ſi extrema frigent, interna uruntur, aut gravior partis cuiusdam, præſertim nobilioris, cerebri v. g. atque meningum, pulmonis &c., inflammatio ſupervenit.

§. VI.

Initium curæ cum *venæſectione larga* et interdum *repetita* fieri debet, deinde vero, vitatis omnibus potulentis ac medicamentis

mentis ſpirituoſis aliisque exagitantibus, ſola *diluentia* ac *temperantia* in uſum trahenda ſunt: Cuius cenſus ſunt aqua ſimplex pura ac levis, tum ſibi relicta, tum leviter nitro, ſale acetoſellæ, aut ſucco citri, limoniorum, aut clyſſo antimonii ſulphurato, aut ſpiritu aceti impraegnata, decocta hordeacea et avenacea cum radice graminis arvenſis, taraxaci, ſcorzoneræ, paſſulis minoribus, et raſura C. C., ſerum lactis, cremore tartari aut pulpa tamarindorum præcipitati, potiunculæ ex aqua endiviæ, lactucæ, cichorii, flor. anagallidis purpureæ, boraginis, nymphææ &c., nitro depurato, largius addito, aliisque ſalibus mediis, cremore tartari, ſale acetoſellæ, et ſyrupo acetoſitatis citri, ceraſor. nigr., ribium, ſem. papaveris albi &c., emulſiones ex aquis iisdem, ſalibus neutris, nitro, amygdalis dulcibus, et ſem. quatuor frigidis maioribus ac minoribus. Præter interna hæc magnopere etiam ad alvum laxandam et humectandam *enemata emollientia* conducunt, nec penitus pariter *epithemata ſicca frontalia* ex mica panis ſiliginei, probe fermentati, decrepitato ſale culinari, nitro et baccis iuniperi reiicienda ſunt: Quod humida

mida autem ac ſimul actu frigida attinet, illorum adplicationem plane diſſvadendam eſſe arbitror, quoniam tranſpirationis libertatem facile ſufflaminant, ac retropellendo cephalalgiam augent, aut ipſi nonnunquam partium internarum inflammationi occaſionem largiuntur.



CAP. V.

DE FEBRE SYNOCHA BENIGNA.

§. I.

Febris synocha benigna ſive *ſimplex* eſt febris remittens, h. e., cum intenſione crebriori ac remiſſione alternante decurrens, febre diaria gravior quidem ac diuturnior, periculi tamen, ſi rite tractetur, expers, et poſt ſeptimum plerumque, aut citius nonnunquam poſt diem quartum, rurſus deſinens.

§. II.

Subiectis plethoricis, ſucci plenis, habitu corporis carnoſo-ſpongioſo praeditis, aetatis

ætatis iuvenilis ac vegetæ virilis, temperamenti ſanguinei et cholerico-ſanguinei, maxime hæc febris familiaris reperitur, et citra ullum horrorem, vel cum breviſſimo tantum ac vix ſenſibili frigore diſpoſitos adoritur, cui mox æſtus mediocris, cum pulſu celeri ac magno ſive pleno, dolore capitis, vertigine, tinnitu aurium crebriori, ſiti moderata, adpetitus imminutione, anxia pectoris oppletione, et difficiliori reſpiratione ſuccedit. Facies, quod diagnoſeos gratia probe hoc loco notandum venit, tumidiuſcula atque rubore ſuffuſa cernitur, oculi paullulum rubri ſunt, et palpebræ nonnihil inflatæ adparent, cutis ad contactum mollis atque humidiuſcula eſt, et urina pellucida rubicunda vel ſubinde etiam pallidior aurantii tantum coloris deprehenditur.

§. III.

Præcipue hæc febris a *ſanguine abundante, impuritatibus viſcido-acribus vulgaribus*, vel ſubinde etiam *mucido-bilioſis* inquinato, oritur, et a quibusdam ideo, nec inepte, *Febris plethorica* vocatur. Occaſionem geneſi eius apud diſpoſita dudum ſubiecta

ᵭa plethorica præ reliquis iracundia, terror, et gravior corporis refrigeratio indeque protinus oriunda tranſpirationis cutaneæ ſuppreſſio præbent, nec ignorari quoque oportet, negleᵭam venæſeᵭionem periodicam, obſtruᵭionem fluxus menſtrui, lochialis et hæmorrhoidalis, potulenta ſpirituoſa largius hauſta, exercitia corporis fortiora, vigilias diuturnas, dolores acerbiores et partum difficilem nonnunquam inter cauſſas antecedentes militare.

§. IV.

Periculo prorſus, uti ſupra pridem diᵭum fuit, ſynocha benigna, ſi rite traᵭetur, vacat, et ſeptimo plerumque die, aliquando etiam citius, ſudatione ac diureſi critica, aut ſimili, apud iuniora inprimis ſubieᵭa, narium hæmorrhagia ſuperveniente, ad finem perducitur. Secus iudicandum, ſi, medela incongrua aut perverſa patientis diæta deterior reddita, in febrem ardentem aut inflammatoriam, peripnevmoniam v. g., pleuritidem &c., degeneret, vel hinc inde etiam in cute exanthemata nonnulla,

nulla, quae peioris utplurimum acrimoniae praesentiam produnt, in conspectum veniant.

§. V.

Praemissa *tempestiva*, *larga*, et interdum *repetita venaesectione*, quae praecipuum in hoc morbo remedium est, *attenuantia*, *temperantia* ac *diluentia*, potiunculae nimirum, emulsiones, pulveres, ac potulenta, contra febrem ardentem commendata, et *lenioribus* duntaxat *diaphoreticis*, pulvere v. g. cascarillae, radicis ireos Flor., succino ppto, spiritu nitri dulci, essentia theriacali, angelicae &c. modice remixta, conducunt, non neglectis iuxta *clysteribus emollientibus*, si alvus nempe pertinacius obstructa sit, aut pectoris opplectiones, tinnitus aurium, et vertiginosa capitis affectio nimium urgeant.



CAP. VI.

DE FEBRE SYNOCHA PVTRIDA.

§. I.

FEBRIS SYNOCHA PVTRIDA est febris continua, praecedente synocha beni-

gna

gna multo gravior atque periculoſior, nec raro plane maligna intra ſeptem plerumque aut quatuordecim dies, citra exacerbationem ac remiſſionem alternantem, ad finem decurrens.

§. II.

Sine ullo utplurimum frigore accedit, et ſpecies mitior ſeu comparative benignior valde cum febre ſynocha ſimplici convenit, præterquam, quod pleraque ſymptomata vehementiora ſint, nec ullas remiſſiones et exacerbationes reciprocas habeant; in ſpecie maligna autem, præter reliqua pathemata, deteriora quædam magisque ominoſa ſymptomata, ingens videlicet ac ſubitanea virium proſtratio, magna vigoris animi et adpetitus deiectio, eminentiores anxietates præcordiales, et pulſus frequens notantur, immo interdum animi deliquia, quæ maioris malignitatis indices ſunt, identidem imminent, aut plane ſuperveniunt.

§. III.

Dependet differentia memorata a diverſa cauſſæ materialis indole: In ſynocha

enim putrida benigniori nocivum *miaſma viſcido-acre*, cum ſanguine ſpiſſiori et ſubinde ſimul abundante remixtum, ſolummodo ad putredinem inclinat, nondum tamen perfecte putridum eſt, in ſynocha autem maligna iſtud corruptela urinoſo-putrida penitus dudum depravatum et altius praeterea atque maiori copia humoribus ſinceris immerſum eſt.

§. IV.

Propter memoratam cauſſae materialis diverſitatem prognoſis pariter, periculi non minus, quam durationis &c. intuitu, differt. Nam ſynocha putrida benignior, rite tamen tractata, plerumque die ſeptimo aut decimo quarto, vel largo ſudore aut diureſi critica, vel haemorrhagia narium, vel exanthematum eruptione, feliciter ſolvitur; putrida maligna ex adverſo perſaepe intra triduum aut quatriduum necem patienti infert, et licet ſubinde quidem diutius, ad diem ſcilicet ſeptimum, decimum quartum, immo vigeſimum primum protrahatur, periculo tamen nondum caret, ſed cito interdum et praeter omnem opinionem funeſta evadit. In maior

iori autem periculo patientem verſari, exiguamque amplius ſanitatis recuperandæ ſpem ſupereſſe, anxia ſpirandi difficultas, magis magisque increſcens, animi deliquia, motus convulſivi, delirium gravius, urina aquea, pulſus intermittens, ſopor, hæmorrhagia aut diarrhoea ſymptomatica, angina, riſus Sardonius, oculi torvi, parotides, ad ſuppurationem non venientes, exanthemata mox erumpentia, mox iterum retrocedentia, ſudores frigidi et ſimilia teſtantur.

§. V.

In ſynocha putrida benigniori *venæſectio tempeſtiva*, h. e., primis ſtatim diebus adminiſtrata, interdum apud ſubiecta valde plethorica locum invenit, in putrida maligna autem ſemper nocentiſſima eſt, mortemque, vires proſternendo, accelerat: Nec tuta pariter emetica ſunt, initio morbi, magna nauſea præſente, a quibusdam commendata, ſed præcipua potius medela a *diluentibus*, *temperantibus* et *antiputredinoſis* acidulis exſpectanda eſt, quibus mature tamen, præſertim in ſynocha maligna, in qua natura, ob virium proſtrationem, parum amplius opitulari

 poteſt

poteſt, *activa diaphoretica* et *bezoardica balſamica* aliaque, nec minus *roborantia* atque *cardiaca*, eſſentia v. g. theriacalis, ſcordii, ſerpentariæ Virginianæ, ſuccini, angelicæ, myrrhæ aquoſa, mixtura ſimplex, tinctura alexipharmaca STAHLII, liquor anodynus mineralis, ſpiritus nitri dulcis, crocus orientalis, camphora, caſcarilla, ſulphur antimonii auratum tertiæ præcipit., theriaca, ſuccinum, confectio alkermes, vel pulvis ſaltim aut ſuccus granorum chermes, nec minus ex vehiculis atque excipientibus aqueis aqua deſtillata meliſſæ, fœniculi, cinnamomi borraginata, paralyſeos, liliorum convallium &c. addi debent, ut perniciofum miaſma putridum non ſolum tempeſtive emendetur, ſed quantocyus etiam corpore eiiciatur.

* * * * * * * * * * * * * * * * * *

CAP. VII.

DE FEBRIBVS EXANTHEMATICIS PVRPVRATIS.

---

§. I.

Ad FEBRES EXANTHEMATICAS PVRPVRATAS non tantum *Pur-* *pur*

pura febrilis rubra, proprie talis, ſed etiam, ſub *Purpuræ* ſcilicet *albæ* nomine, *Febres miliares, veſiculares, lenticulares; perlatæ* et *urticatæ*, ſeu *febres improprie* duntaxat et *abuſive purpuratæ dictæ*, referuntur. In febre purpurata rubra ſeu purpura vera ac proprie tali papulæ ſeu puſtulæ rubræ, acriori humore repletæ, aut duriuſcula tantum ac ſicciora eiusdem coloris tubercula urentia, in reliquis vero, prævia tamen levi et evanida quadam cutis rubedine, vel parva ſaltim tubercula albicantia, milii ſemina forma ac magnitudine referentia, vel veſiculæ, limpido humore cauſtico turgidæ, vel noduli eminentes, perlis, aut lentibus, aut tuberculis, urticarum contactu excitatis, ſimillimi, in pectore primum ac collo, deinde autem in reliquo pariter corpore, cum pruritu et punctura intercutanea erumpunt, quæ paullatina contenti humoris fervidi exhalatione ſenſim ſenſimque et poſt paucos dies, cum aliqua utplurimum cuticulæ deſquamatione, exſiccantur.

§. II.

Memorata exanthematum eruptio plerumque die quarto poſt febris ortum in-

 cipit,

cipit, et pro diverſa materiæ heterogeneæ copia, per plures poſtmodum aut pauciores dies continuat, donec omnis, quæ adfuit, *impuritas ſanguinis ac lymphæ viſcido-acris*, ceu unica febris ſuſcitatæ cauſſa materialis, ſegregata et ſalutari hac metaſtaſi ad cutem expulſa fuerit. Non promiſcue tamen et univerſaliter dicta accipienda ſunt: Nam ſæpe ſæpius fieri ſolet, ut exanthemata difficillime ac die demum ſeptimo, undecimo, decimo quarto, quin adhuc ſerius, et die plane incerto, vel tantum incomplete prodeant, vel, malo pariter aut peiori adhuc omine, poſt primam expulſionem ſubito rurſus retroagantur, et febris inſolentiam, ac quævis complicata pathemata reliqua, poſt primam expulſionem protinus ordinario remittentia, iterum reducant.

§. III.

Febris, more aliarum febrium continuarum, cum maiori aut minori horrore accedit, deinde æſtus, magis paullatim magisque increſcens, vel ſubinde etiam cum frigore identidem intercurſante alterans, ſequitur, et huic, pro benigniori aut maligniori materiæ

materiæ exanthematicæ indole, mitiora aut graviora pathemata, anxietates nimirum præcordiales, tenſiones ac preſſiones in dorſo, conſtrictio pectoris, ſpirandi difficultas, tuſſicula ſicca, vigiliæ, dolor capitis, inquietudo, phantaſiæ perturbatio, immo interdum delirium gravius, motus artuum ſubſultorio-convulſivi, pavores inter dormiendum, morſicatio ventriculi &c., ſeſe comites adiungunt, quæ ſingula tamen, decenti, uti antea dictum, metaſtaſi facta, cum magno æſtus febrilis decremento miteſcere, partim penitus evaneſcere ſolent. Alvus ordinario per plures dies clauſa eſt, pulſus ante exanthematum eruptionem velox, et plerumque nonnihil irregularis tenſivus atque ſerrinus deprehenditur, poſt ſufficientem vero eruptionem a celeritate ſua confeſtim remittit, ac rurſus regularis redditur, urina nunc aurantio ſaltim, nunc ſaturatiori colore rubro tincta cernitur, atque, felici evveniente ad cutem metaſtaſi, matura præcipitatione ſua bonæ pariter coctionis ſignum præbet, et cutis denique interdum ſiccior, interdum, quod melius eſt, madida reperitur, immo haud raro cum eu-

phoria fortes ac fœtidi ſudores ſimul cum exanthematibus erumpunt.

§. IV.

Febres purpuratæ frequentius quidem homines iuniores, otioſos, laute viventes, plethoricos, temperamento ſanguineo et cholerico-ſanguineo, habitu corporis ſpongioſiori præditos, fæminas itemque hyſtericas et puerperas invadunt, ſubinde nihilominus, præſertim ſi vernali, uti crebrius fieri ſolet, vel alio etiam tempore epidemice graſſantur, nulli ætati, ſexui, ac temperamento parcunt, ſed præſente eminentiori aeris vitio, ac valde ſimul adiuvante facili contagio, communem ſtragem edunt, ita tamen, ut purpura alba tunc temporis ſemper periculoſior magisque lethifera, quam rubra deprehendatur. Scio quidem, vulgo purpuram albam quovis tempore et apud quævis ſubiecta æſtimari deteriorem; at ſcio etiam, opinionem hanc experientiæ refragari. Nam ipſe plus ſimplici vice obſervavi, purpuram albam, præſertim urticatam, adeo fuiſſe mitem atque benignam, ut nullus plane periculi metus ſubnaſci potuerit.

§. V

§. V.

Cauſſa materialis ex ipſis cutis efflore-ſcentiis ſive propulſis exanthematibus clare innoteſcit, nec ulla alia eſt, niſi *copioſa impuritas acris ſcorbutica, eaque reſoluta magis ac volatilior reddita, et cum tenuiori ſaltem muco remixta.* Notari tamen debet, in febribus huius cenſus malignis cauſticum hoc fermentum valde ad corruptionem putredinoſam inclinare, et in purpura rubra maxime cruori, in alba autem non huic tantum, ſed univerſæ etiam maſſæ ſeroſo - lymphaticæ largius immerſum eſſe; unde ratio etiam præcipue petenda videtur, cur in priori puſtulæ aut tubercula rubra, in poſteriori vero puſtulæ, veſiculæ aut tubercula albicantia in cute effloreſcant.

§. VI.

Memoratæ impuritati acri ingenerandæ, adcumulandæ et exaltandæ, præter multa alia, quæ ſpecialius hoc loco adducere nolo, conſtitutio aeris calida et humida, verno inprimis tempore frigidæ ſiccæ aut humidæ hyemali ſubito ſuccedens, frequentes

tempeſtatum viciſſitudines, gravior ac repetita, præſertim apud ſubiecta cacochymico-ſcorbutica, corporis ſudantis refrigeratio, eſus nimius ciborum acrium, ſalſorum atque acidorum, potus intemperantior decocti Coffee, alimenta craſſa ac dyſpepta, vita ſedentaria, evacuationes ſanguinis naturales ſuppreſſæ, neglecta adſueta venæſectio et ſcarificatio, ſudatio fortior atque crebrior tempore ſicco ac valde æſtuante æſtivo, et parcior nihiloſecius potulentorum diluentium ac contemperantium adſumtio, regimen nimis calidum et incongruus uſus ſudoriferorum aliorumque pharmacorum exagitantium, præſertim apud puerperas, nec non rheumatum ac febrium catarrhalium per ſola propemodum refrigerantia curatio &c. directe aut indirecte famulantur. Non prætermitti quoque oportet contagium, quod, uti ex præcedentibus pridem conſtat, perſæpe cauſſa exiſtit, ut exanthematici hi morbi, ſi malignioris genii ſint, ex uno corpore ægroto in plura ſana deriventur.

§. VII.

Benignæ febres purpuratæ nullum, ſi decens regimen diæteticum obſervetur, ac con-

congrua medela accedat, vitæ periculum adferunt, malignæ contra ſimulque epidemice graſſantes multos interdum homines intra breve nonnunquam tempus extinguunt. Periculum autem adeſſe, morbumque facile exitialem fore, conſtat, quando exanthemata tempeſtive atque complete, febre licet fortiori exiſtente, exire recuſant, aut expulſa ſine cauſſa manifeſta, vel data etiam occaſione per refrigerationem aut terrorem, denuo retroagantur, ac ſummas rurſum anxietates præcordiales, ſpasmos ventriculi cardialgicos, ardorem ventriculi cum perpetua nauſea et conatu vomendi, ſingultum, reſpirationem difficilem, ac penitus quandoque ſuffocatoriam, vel anginam veram, aut peripnevmoniam, aut pleuritidem, vel diarrhoeam ſpumido-aquoſam, vel ſæpius recurrentes artuum motus convulſivos et ſimilia provocant, ſi poſt copioſam tuberculorum, veſicularum &c. eruptionem nulla febris cæterorumque ſymptomatum remiſſio ſequitur, ſi denique puſtulæ ſeu veſiculæ tam denſo agmine in cute elevantur, ut confluant, aut diſtinctæ etiam inſolitam prorſus magnitudinem adquirunt. Ad mala quoque ſigna

pro-

prognoſtica omnimoda lotii ſuppreſſio, aut parciſſima tamen ac difficillima excretio, nec minus urina pauca aquoſa cum inſequente delirio, et adhuc magis urina conſtanter pellucida, citrina, et ſanorum urinae ſimillima, pertinent.

§. VIII.

Praeter purpuram acutam febrilem adhuc alia creberrime occurrit, quae nullam febrem pediſſequam habet, ac vulgo *chronica ſcorbutica*, vel etiam ſimpliciter *ſcorbutica* dicitur. Plerumque haec ipſa rubra, rarius alba eſt, et multa commoda non minus, quam incommoda patientibus adfert. Nam, ſi puſtulae aut tubercula identidem ad cutem extruduntur, et cum iuſta pariter mora, ad plenariam nempe humoris cauſtici exhalationem usque, perſiſtunt, corpus a variis morbis liberatur: Sin acris ex adverſo ac copioſa haec impuritas purpurato-ſcorbutica ad cutem prodire recuſet, aut cito rurſus poſt translationem ad interiora retrogrediatur, varia pathemata moleſtiſſima, vertiginem v. g., cephalalgiam, tuſſim rebellem, reſpirationem difficilem, conſtrictionem pectoris, palpita-

tionem

tionem cordis, ſpasmos ventriculi et inteſtinorum, inſultus hyſtericos, anomalias fluxus menſtrui atque hæmorrhoidalis, dolores artuum rheumaticos et plures alios adfectus morboſos producit.

§. IX.

In purpura rubra febrili *venæſectio*, primis ſtatim diebus adeoque ante ullam adhuc exanthematum eruptionem adminiſtrata, apud ſubiecta valde plethorica interdum conducit, in alba autem nunquam locum habet, ſed totum curationis negotium *diluentibus*, *demulcentibus*, *temperantibus* et lenioribus *diaphoreticis* expediendum eſt, quibus decocta inprimis hordeacea et avenacea cum rad. ſcorzoneræ, cichorii, taraxaci, tuſſilaginis, raſura cornu cervi &c., infuſa theiformia ex radicibus memoratis, herba veronicæ, betonicæ, teucrii veri, chamædryos nob., thea orientali et flavedine corticis citri, potiunculæ ex aqua deſtill. flor. acaciæ, ceraſor. nigr., endiviæ, ſcordii &c., lap. cancrorum, nitro, arcano dupl., ſale mirabili Glauberi, radice ireos Florent., et ſyrupo cort. citri vel aurantiorum, emulſiones

ex

ex aquis iisdem, amygdalis dulcibus, seminibus quatuor frigidis mai. et minoribus, semine cardui mariae, cardui benedicti, et praedictis pulverulentis &c. accensentur. Hisce, si exanthemata debite prodire, aut, prout decet, in cute persistere renuant, *vesicantia* brachiis, suris &c. adplicari et *potentiora quaedam expellentia*, pulvis v. g. cascarillae, aut sulphur antimonii auratum tertiae praecipit. parva quantitate addi, vel pulveres etiam ex absorbente quodam, nitro et camphora, immo subinde mixtura simplex, aut essentia theriacalis, aut scordii aut angelicae cum pauxillo liquoris anodyni mineralis maritata, interponi debent. Sunt quidem inter medicos, qui expellentia paullo potentiora plane reprobant; at scio etiam, iterata experientia convictus, interdum sine horum adminiculo nullam prorsus exanthematum, praesertim in febribus huius census malignis, eruptionem exspectandam esse.

§. X.

Laudata remedia in purpura chronica scorbutica itidem quidem conveniunt, rarissime

ſime tamen ſola corrigendis et eliminandis craſſioribus quisquiliis acribus ſufficiunt, ſed plura *edulcorantia*, *purificantia* et *validiora expellentia*, ut et *ſpecifica antiſcorbutica*, aquæ nimirum ſoteriæ minerales, ſerum lactis ſibi relictum, aut cum ſuccis plantarum acrium remixtum, infuſa theiformia ex rad. glycyrrhizae, ſaponariae, pimpinellae albae, ſarſaparillae, herba hederae terreſtr., ligno Guaiaco, iuniperi, ſem. fœniculi &c., electuaria ex ſyrupo de eryſimo Lobelii, extracto trifolii fibr., ſcordii, angelicae, rob iuniperi, rhabarbaro, pulvere radicis ari ppt., ſulphure antimonii aurato &c. aliaque, in capite de *Scorbuto* recenſita, requiruntur, nec leniora etiam infuſa *laxantia* mannato-rhabarbarina, initio non minus, quam poſtea pariter per vices uſurpata, utilitate carent, quoniam prima haud raro dyſcraſiae humorum ſcorbutico-purpuratae cauſſa materialis in primis viis latet. Quod *venæſectionem periodicam* vero attinet, illa apud ſubiecta plethorica ſolummodo locum habet.



CAP.



CAP. VIII.

DE

FEBRE PETECHIALI.

§. I.

FEBRIS PETECHIALIS est febris exanthematica valde contagiosa, nunc peracuta, nunc acutissima, utplurimum maligna, adeoque periculosa admodum ac gravibus symptomatibus, subitanea nimirum virium prostratione, plenaria adpetitus deiectione, anxietate praecordiali, spirandi difficultate, pulsu frequenti, et saepe etiam agonia aut delirio &c., stipata.

§. II.

Indiscriminatim hic morbus, præsertim si ob pravam aeris constitutionem epidemice grassatur, cuiuscunque aetatis, sexus ac temperamenti homines, frequentius tamen atque facilius sanguineos, cholericosanguineos, plethoricos et puerperas, quibus lochia non debite fluunt, aut denuo sup-

ſupprimuntur, adoritur. Maculæ, quibus a reliquis febribus exanthematicis diſcernitur, quæque, præcedentibus ordinario doloribus dorſi lancinantibus et ingenti capitis gravitate, quarto, vel interdum ſeptimo demum die, immo tardius quandoque, die videlicet nono, undecimo, decimo quarto, in cute, ac primo quidem in dorſo et pectore, deinde in univerſi corporis ſuperficie erumpunt, obuli plerumque magnitudinem roſeumque colorem obtinent, nec unquam ſuper cutem attolluntur; hinc pulicum morſibus valde ſimiles ſunt, præterquam, quod nullum in centro foraminulum habeant, ac digito preſſæ paullulum evaneſcant, preſſione autem ceſſante mox redeant. Non confundi quoque debent cum maculis ſcorbuticis; quippe quæ in muſculoſis artuum partibus præcipue naſcuntur, nec ardentes ſunt, nec ſaturate rubræ, ut maculæ petechiales, ſed prurigino ſæ, pallide rubentes, humidiliuſculæ, et præcedentibus quoque multo latiores.

§. III.

Cauſa materialis, quæ febrem hanc accendit, ac *valde acrem* et *magis ſimul mi-*

nusve putridam indolem urinoso-sulphuream obtinet, apud alia subiecta corpori per solum contagium infertur, apud alia, adaequatis caussis procatarcticis accedentibus, sensim in sanguine generatur. Favent autem pessimi huius fermenti genesi diuturna aeris constitutio humida ac tepida, repentina, vere adventante, tempestatis humido-frigidae aut frigidiusculae in humido-calidam mutatio, exhalationes putridae in locis palustribus, fluminum exundationes tempore calido aestivo, alimenta crassa, viscida atque corrupta, potus aquarum putridarum, subitanea sudoris et fluxus lochialis suppressio, ira ac terror, immo febres purpuratae et catarrhales sinistre tractatae subinde inter caussas antecedentes et obstetricantes locum occupant.

§. IV.

Febres petechiales, sive magis sive minus malignae existant, semper admodum periculosae sunt, et plerosque, quos corripiunt, intra breve tempus, nisi maculae tempestive cum febris caeterorumque symptomatum remissione prodeant, et debite etiam, retento aliquamdiu colore roseo, nec subito postmodum

dum, ſed paullatim palleſcente, in cute perſiſtant, iugulare ſolent. Gravius cæteroquin periculum ſumma ſtatim ſub prima febris invaſione virium atque adpetitus proſtratio, animi deliquia, convulſiones, reſpiratio anxia, omnimoda animi deiectio, vigiliæ contumaciſſimæ, delirium, pulſus frequens et intermittens, vomitus materiæ cuiusdam ſubcruentæ ac nigricantis, diarrhoea aut ipſa quandoque dyſenteria ſuperveniens, incontinentia urinæ et frequens macularum retroceſſio indicant, quin omnem prorſus vitæ ſervandæ ſpem tollunt, ſi maculæ antea rubræ violaceum colorem induant, aut ſtatim eodem colore tinctæ erumpant. Peſſimum quoque eſt, ficuti ſub purpuræ tractatione dudum retuli, quando recenta aut retroacta exanthemata ad collum aut pectus decumbunt, et anginam aut aphthas malignas aut peripnevmoniam &c. provocant.

§. V.

Curatio, ſi venæſectionem, quæ nunquam in febribus petechialibus et petechizantibus malignis conducit, exceperis, cum

purpuræ malignæ febrilis medela convenit, ſimul tamen utile atque neceſſum reperitur, ut remediis ibi commendatis *acidula* pariter pharmaca, ſuccus v. g, citri et limoniorum, clyſſus antimonii ſulphuratus, ſal acetoſellæ &c. addantur, quoniam materia acris in hac febre maximam partem alcalico - urinoſæ indolis eſt, ac maiorem dudum putredinis corruptelam ſubiit. Non cunctandum quoque cum camphoræ ſimiliumque heroicorum expellentium additione, aut veſicantium adplicatione, ſi maculæ, identidem in cute adparentes, propter magnam naturæ imbecillitatem, ex pulſu admodum debili cognoſcendam, perfecte efflorescere nequeunt, aut rurſus quoque retrocedere minantur.



CAP. IX.

DE FEBRE HVNGARICA SIVE CASTRENSI.

§. I.

FEBRIS HVNGARICA ſive *Caſtrenſis* eſt febris acuta, maligna, plerumque epidemica

demica, valde contagiofa, et quoad nonnulla fymptomata caufo atque phrenitidi, quoad alia febri petechiali et catarrhali malignae, excepta tamen catarrhi focietate, analoga.

§. II.

In caftris militum, praefertim in Hungaria, perfaepe graffatur, magnamque fubinde hominum ftragem edit. Cum horripilatione et infigni utplurimum capitis dolore fcenam fuam exorditur, horripilationi aeftus ingens, cum cephalalgiae incremento, fiti intolerabili et eminenti circa fcrobiculum cordis ardore, fuccedit, et hifce deinde ficcitas continua et aliqua intumefcentia linguae, vigiliae contumaciffimae, deliria gravia et plerumque furiofa, deiectio plenaria adpetitus, adftrictio alvi, nec raro etiam narium haemorrhagiae, diarrhoeae vulgares et cruentae, vomitus, inflammatio faucium, intumefcentia parotidum inflammatoria, paralyfes &c., non fingula tamen pofteriora apud unum eundemque patientem, fed apud plura individua et diverfis temporibus, fefe iungunt. Vafa capitis ac colli fanguifera ordinario admodum turgida funt, oculi fulgent, pulfus

fortior, quam in aliis febribus malignis, reperitur, et pleraque symptomata, quod addendum, circa vesperam exacerbantur.

§. III.

Quando haec febris, quae ordinario mensibus calidis aestivis, Iunio nempe, Iulio et Augusto, rarius alio anni tempore, exoritur, per *contagium*, uti creberrime fieri solet, propagatur, nulli aetati, sexui ac temperamento parcit: Sin *subtile* autem, *mobile* atque *putridulo-causticum fermentum* sensim sine ullo contagio in humoribus nascitur, subiecta plethorica magis, quam alia, eidem obnoxia deprehenduntur. Non sponte tamen memoratum miasma nocivum in sanguine generatur, sed varia diaetae vitia, et frequens inprimis aut subitanea corporis aestuantis ac sudantis refrigeratio, nec minus potus aquarum putridarum stagnantium, et aer humido-calidus, putridisque exhalationibus inquinatus, genesi eius occasionem largiuntur; unde minime etiam mirandum est, quod febris haec militibus, in castris commorantibus, maxime infesta reperiatur,

§. IV.

§. IV.

Periculo nunquam penitus caret, et ſaepius fere funeſtum, quam felicem eventum ſortitur. Si cum perfecta ſymptomatum mitiorum harmonia decurrit, ſanitatis recuperandae ſpem facit, et die ſeptimo utplurimum aut decimo quarto, ſudore critico ac ſimili diureſi, vel ſubinde etiam largiori narium haemorrhagia, ſolvitur; inſequente autem lethifero exitu, citius plerumque terminatur. Gravius caeteroquin periculum adeſſe, et prognoſin valde ancipitem fore, iudicandum erit, ſi narium haemorrhagia extra dies criticos accidit, aut ſanguis nimis parca quantitate erumpit, ſi petechiae adparent, vel dyſenteria aut angina ſupervenit, ſi interni denique praecordiorum ardores conſtanter perdurant, ac magis paullatim magisque increſcentes exortam ventriculi aut diaphragmatis inflammationem produnt.

§. V.

Apud ſubiecta plethorica, quibus ipſa natura haud raro in hoc morbo larga, uti dictum, narium hæmorrhagia auxiliatur, *phlebotomia,*

botomia, primis ſtatim diebus adminiſtrata, plerumque proficua exiſtit, apud reliqua ex adverſo, præſertim ſi initio protinus manifeſta malignitatis criteria adſint, nunquam inſtitui debet, ſed curationis negotium *diluentibus* maxime, *temperantibus*, atque *diaphoreticis*, ſub purpuræ rubræ febrilis et febris petechialis curatione recenſitis, expediendum erit. Non negligi quoque debet regimen externum temperate calidum, nec illa pariter omittenda ſunt, quæ exortis ſymptomatibus urgentibus, anginæ, v. g., dyſenteriæ &c., ſpecialius medentur.



CAP. X.

DE FEBRE SCARLATINA.

§. I.

Febris scarlatina eſt febris continua, acuta, exanthematica, latioribus maculis rubris ſeſe prodens, ac febre morbilloſa ſymptomatum vehementia nunc mitior paullulum, nunc plane eidem æqualis.

§. II.

§. II.

Infeſtat maxime infantes, et frequentius autumni initio ac tempore verno, cum epidemica haud raro invaſione, oritur. Incipit cum leni horrore, quem æſtus mediocris ſequitur, ſiti moderata, adpetitus ac virium deiectione, oppletione pectoris, reſpiratione difficili, tuſſicula ſicca, gravitate capitis vertiginoſa aut vehementiori dolore et plerumque pariter faucium ardore ſtipatus. Die quarto facies intumeſcit, et maculæ intenſe rubræ, in vultu primum ac collo, poſteaque in toto corpore prodeunt, quæ vulgo *Rubeolæ* vocantur, et initio qvidem parvæ ſunt, deinde vero latiores ſenſim ac latiores evadunt, et adeo perſæpe coaleſcunt, ut facies ac tota corporis ſuperficies, panni ſcarlatini inſtar, ſaturato rubore ſuffuſa cernatur. Maculæ hæ, ſi adhuc diſtinctæ ſint, morbillis quodammodo ſimiles reperiuntur, multo tamen latiores atque difformes exiſtunt, nec adeo etiam ſuper cutem, ut morbilli, eminent. Paſſim præterea, præſertim in vultu ac circa mentum, corpuſcula quædam ſicca ac candida furfuracea vel ſubflavo - albicantia miliaria, quæ poſteriora ſæpiſſime etiam in

ore, lingua ac faucibus in conſpectum veniunt, iisdem inſident. Per duos circiter vel tres dies macularum rubedo perdurat, deinde paullatim diſparet, vultusque detumeſcit iterum, et cuticula hinc inde deſquamatur. Practicorum nonnulli, quibus calculum meum adiicere nullus dubito, inter perfectam veramque febrem ſcarlatinam et rubeolas diſcrimen quoddam faciunt, ac morbum hunc tunc ſaltim febrem ſcarlatinam appellant, quando, mox confluentibus maculis, rubedo eminens per univerſi corporis ſuperficiem diffunditur, et tota ideo cutis leviter inflammata exiſtit, rubeolarum vero aut febris rubeoloſæ nomine eundem deſignandum eſſe arbitrantur, quoties maculæ tantum diſtinctæ effloreſcunt.

§. III.

Proxime hic morbus ab *exaltata* et *ſpecifica* prorſus *ſanguinis impuritate acri*, cuius geneſi et augmento vitioſa aeris qualitas, refrigeratio corporis et apud adultos quoque naturalium evacuationum ſanguinearum anomaliæ præ reliquis favent, oritur. Valde mobilis atque volatilis memorata materia hete-

heterogenea ſalino-ſulphurea eſt, hinc rubeoloſa etiam febris facile per contagium propagatur: Quod autem, uti aliqui opinantur, cum morbillorum fermento conveniat, minime videtur probabile, quoniam, experientia teſte, rubeolæ variolas et morbillos interdum præcedunt, interdum vero interiecto modico temporis intervallo, ſequuntur.

§. IV.

Perfecta febris ſcarlatina utplurimum quidem rubeolis diſtinctis periculoſior eſt, perſæpe nihilominus morbus uterque, ſi heterogenea materia mature atque perfecte ad cutem prodeat, et maculæ inde enatæ debite perſiſtant, intra octiduum feliciter finitur: Secus iudicandum et funeſtus exitus metuendus erit, quando exanthemata ſolummodo imperfecte erumpunt, vel ſub prima ſtatim eruptione, aut poſt retroceſſionem ſuam fauces et organa, deglutitioni ac reſpirationi dicata, occupant, et inflammationes harum partium, vel etiam, peccante materia altius ad interiora retroacta, diarrhoeam producunt. Optimus enim ſolutionis modus

dus eſt, ſi acria recrementa partim exhalatione paullatina per maculas, partim blanda diaphoreſi e corpore proſcribuntur, immo ſufficiens narium hæmorrhagia ante eruptionem, vel ſub initio eruptionis contingens, apud ſubiecta valde plethorica plerumque ſalutaris deprehenditur.

§. V.

Curatio cum mox ſubſequente variolarum ac morbillorum medela maximam partem convenit; et hoc igitur loco paucis ſolummodo monuiſſe ſufficiat, *regimen externum temperate calidum*, *potulenta gelatinoſo-ac mucilagineo-aquea*, *blanda infuſa theiformia* ex radice ſcorzoneræ, cichorii, taraxaci, herba veronicæ, betonicæ &c., ſemine foeniculi, flavedine corticis citri &c., nec minus *potiunculas* ex *temperantibus* atque *leniſſimis diaphoreticis* optimum præſtare auxilium, calidiora ex adverſo nociva eſſe. Abſtineri quoque oportet ab enematum uſu, etiamſi alvus ebullitionis et eruptionis tempore per plures dies clauſa fuerit. Quod *venæſectionem* vero attinet, illa apud ſubiecta adulta valde plethorica multum quandoque

ſi

ſi initio protinus adminiſtretur, ad felicem morbi decurſum confert, apud infantes vero nullum locum habet.

* *

CAP. XI.

DE VARIOLIS ET MORBILLIS.

---

§. I.

VARIOLAE vulgo in *veras* ſive *exquiſitas* et *nothas* ſive *ſpurias*, et hæ rurſus in *ſicciores*, *duriuſculas*, *acutas* (*Stein-Pocken*, *Spitz-Pocken*), et *halituoſo-aquoſas* (*Wind- und Waſſer-Pocken*), illæ autem in *diſtinctas*, *confluentes*, *benignas* et *malignas* diſtinguuntur. Variolæ veræ, quæ ſemper cum febre magis minusve acuta prodeunt, ſunt puſtulæ fervidæ rubicundæ, vel rectius, tubercula rubra urentia, extra cutem, piſi circiter diſſecti magnitudine, prorumpentia, mox ſuppurantia et in puſtulas ſubrotundas, primum albidas, deinde flaveſcentes, abeuntia; ſpuriæ ex adverſo, ſicuti ex ipſa pridem denominatione patet, vel duriuſcula,

ſcula, acuminata, leviter inflammata, nec unquam igitur perfecte ſuppurantia tubercula, vel veſiculas ſaltim, piſo nunc maiores, nunc minores, nunc plane æquales, limpidoque humore, quem ruptæ effundunt, turgidas, ſiſtunt, et cum leviori utplurimum, et ſubinde vix notabili febricula erumpunt.

§. II.

Quatuor diſtincta decurſus tempora in variolis veris, nimirum *tempus ebullitionis*, *eruptionis*, *ſuppurationis* et *exſiccationis*, notanda veniunt. Tempus ebullitionis, quam plerumque tuſſicula ſicca, tormina ventris, dolores dorſi, cephalalgia, et ſubinde etiam vomitus et narium hæmorrhagia præcurrunt, usque ad diem quartum protrahitur, eoque durante, febris, vel mitior ſaltim ac plane benigna, vel acuta gravior, vel deterior maligna, æſtu corporis, ſenſim increſcente, pulſu pleno, veloci, ſimulque interdum tenſivo, obſtructione alvi, dolore capitis, ſiti, halitu oris acriuſculo et urinoſo-putrido, deiectione adpetitus, rubore ac maiori nonnunquam aut minori vultus intumeſcentia, vigiliis &c. ſtipata, ægrum adfligit, immo hiſce

haud

haud raro, ſi impuritas copioſa, aut acrior magisque corrupta in ſanguine hæret, vel libere atque mature ad cutem exire neſcit, deliria pariter, convulſiones epilepticæ, anxietates præcordiales, oppletio pectoris et magna ſpirandi difficultas, ſeſe comites adiungunt. Die quarto, rarius tertio, ſtigmata rotunda, rubra ac valde urentia in vultu ac paſſim quoque in reliquo corpore erumpunt, et hæc intra breve poſtmodum tempus in tubercula adſurgunt, quæ celeriter ſuppurando in ſubrotundas albidasque puſtulas mutantur. Continuat hæc eruptio usque ad diem ſeptimum, quo univerſalis ſuppuratio incipit, et ulterius ad diem circiter undecimum perdurat. Poſt diem undecimum puſtulæ omnes flaveſcunt ac ſenſim, aliæ tamen pro maturiori ſua aut tardiori eruptione ac ſuppuratione citius, aliæ tardius, in cruſtas nigricantes et paullatim poſtea decidentes, exſiccantur. Die octavo aut nono, quod minime pariter ignorari oportet, alvus, per integrum eruptionis tempus ſalutariter clauſa, ſponte utplurimum ac critica perſæpe diarhoea ſolvitur, quæ corruptam et nonnihil purulentam ſaburram, in inteſtinis colle-

ctam,

ctam, educit, et hac igitur ratione non tantum patienti insigne levamen adfert, sed febrem quoque, die undecimo aut duodecimo haud raro cum novo periculo recurrentem, avertit.

§. III.

Variolae in nostris regionibus inter communes ac saepe funestos infantum morbos militant, et rarius proinde apud adultos nascuntur, in Africa autem, praesertim inter gentes Nigritarum ac Caffrorum, in India orientali, insulis Caribiensibus, pluribusque Americae regionibus maritimis, cuiuscunque aetatis homines invadunt, ac multos creberrime extinguunt. Rarius sparsim exoriuntur, sed epidemice utplurimum, verno inprimis tempore et sub initium autumni, grassantur, et alio tempore *benignae*, *paucae*, *distinctae*, alio *copiosae*, *confluentes*, *malignae* sunt. Ratio caeteroquin nondum manifesta est, cur morbus hic adeo communis existat, ut vix hominum centesimus illum effugiat, nec satis quoque patet, cur corrodentia haec exanthemata faciei inprimis infensa sint. Innotuerunt quidem circa prius momentum

variae

variæ medicorum opiniones, at harum singulæ pro meo iudicio ita comparatæ sunt, ut perfectum assensum vix aut ne vix mereantur.

§. IV.

Caussa variolarum materialis intuitu specificæ suæ indolis exacte quidem determinari nequit, certo tamen certius est, illam plerumque *copiosam*, ac semper *valde acrem* viscido-salinam esse, et proxime etiam in variolis malignis ad *naturam urinoso-putridam* accedere. Delitescit hæc impuritas vel in solo sanguine, vel apud alia subiecta partim in sanguine, partim in prima culina generatur; hinc, præter humido-tepidam aliamque vitiosam aeris constitutionem, addephagia etiam ac iusto frequentior ciborum viscidorum et fermentantium esus, nec minus verminosa in intestinis colluvies, multum ad primos natales, aut ulterius tamen eiusdem augmentum confert. Probabile quoque videtur, nulla prorsus minera variolosa in corpore præexistente, *contagium*, cuius ope variolæ sæpius atque facilius, quam plerique morbi exanthematici reliqui, propagantur, non facile metuendam esse.

§. V.

Prognosis in nullo propemodum morbo alio magis, quam in variolofo, variat, dum periculi non minus, quam exitus falutaris aut funefti præfagia non tantum ab indole, eruptione ac fuppuratione variolarum, fed a bono pariter aut malo fymptomatum genio, a regimine diætetico et ab accidentalibus quibusdam circumftantiis aliis dependent. Variolæ enim fpuriæ periculo penitus carent, nec facile etiam vitæ difcrimen pertimefcendum erit, fi variolæ veræ die quarto cum mitioribus ac regularibus fymptomatibus prodeant, et tempeftive poftmodum in puftulas diftinctas, eminentiores, ac debite, citra febris auctioris recurfum, citra largos fudores, citra retrogreffionem, ac citra diarrhoeam torminofam, fuppurantes, eleventur. Deteriores ex adverfo funt variolæ confluentes, diffluentes, ac feffiles, et maius quoque minusve vitæ periculum imminere certum eft, quando variolæ cum intenfiori æftu febrili, delirio et convulfionibus epilepticis eruptionem moliuntur, aut dudum expulfæ cum infequentibus fymptomatibus iisdem, vel inflammatione faucium vel urinæ

urinæ ſuppreſſione et diarrhoea vehementi ac valde torminoſa ſpumido-aquoſa retrocedunt. Siniſtri quoque, immo peſſimi iudicii eſt, quando in variolarum interſtitiis petechiæ ſimul aut exanthemata miliaria in conſpectum veniunt, vel areolæ circa puſtulas variolarum pallescunt, aut plane nigreſcunt, quando in cacumine puſtularum foveolæ naſcuntur, aut præmature ſubſidentes puſtulæ integræ dehiſcunt, ac loco puris ſtigma ſanguineo-nigricans exhibent.

§. VI.

Medicamentorum, præſertim expellentium multitudo in variolis plus nocet, quam defectus eorum, ac tutius igitur ipſi naturæ pars curæ potior committitur. Teſte enim experientia variolæ benignæ, ſi *regimen* duntaxat *temperate calidum* et *ſufficiens liquidorum modice temperantium* ac *demulcentium potus* accedant, feliciſſime ordinario ac citra imminentis periculi metum ad finem decurrunt; malignæ ex adverſo, adhibitis etiam pharmacis multis ac variis, necem patientibus ſæpiſſime inferunt. Dicta interim ita accipi nolo, ac ſi medicamento-

rum uſum in hoc morbo plane damnarem, ſed parciorem ſolummodo ac congruam eorum adhibitionem commendo, et nonnulla remedia mitiora, quæ naturam in opere ſuo blande adiuvant, et mitigandis inprimis aut plane tollendis ſymptomatibus ominoſis inſerviunt, omnino proficua fore arbitror. Refero ad illa *decocta ſubtepida* ex hordeo, avena, raſura cornu cervi, eboris, radice ſcorzoneræ, cichorii, taraxaci, tuſſilaginis, caricis, ac ſemine fœniculi, *infuſa theiformia* ex thea orientali, herba veronicæ, betonicæ, teucrii veri, chamædryos nob., meliſſæ et flavedine corticis citri, *potiunculas* ex aqua deſtill. flor. acaciæ, endiviæ, ceraſorum nigr., cichorii, fœniculi, cinnamomi borraginata, lapidibus cancrorum, conchis ppt*is*, nitro depurato, pauxillo croci orientalis et ſyrupo acetoſitatis citri, immo interdum, cum maxima tamen apud individua diſtinctione et circumſpectione, *clyſmata*, *venæſectionem* et *validiora* quædam *antiputredinoſa* et *expellentia*, tincturam v. g. myrrhæ genuinæ aquoſam, aquam picis liquidæ *a)*, et cam-

a) Plura de magna huius aquæ in variolis efficacia in GEORGII BERCKELEY *Tractatu de*

camphoram, oleo amygdalarum dulcium parva quantitate mixtam, huc referre nullus dubito. Remedia diluentia, temperantia atque leniſſima diaphoretica non tantum initio, ſed per totum quoque morbi decurſum conducunt, quoniam expellendam materiam exanthematicam præparant, viasque reſerant, et translationem impuritatis ad cutem blande promovent. Clyſmata, ex lacte, aut ſero lactis, aut radicibus, herbis ac floribus emollientibus parata, et imminente demum morbo varioloſo, aut initio ebullitionis febrilis iniecta, ſaburram corruptam ex inteſtinis craſſis educunt, et aliquam igitur fomitis, in prima culina latitantis, partem ſubtrahunt: Venæſectio apud adultiora tantum ſubiecta, eaque valde plethorica, locum invenit, ac multum, ſi, natura nempe nullam adhuc exanthematum eruptionem moliente, adeoque ſub prima ſtatim febris acceſſione adminiſtretur, ad futuræ inflammationis in cute æſtusque præſentis inſolentiam minuendam, ad faciliorem

 vario-

Aqua picis liquidæ, ex lingua Anglicana ſub titulo *George Berkeleys Nachricht von Theerwaßer* in vernaculam noſtram translato, videri poſſunt.

variolarum expulsionem, atque avertendas faucium ac viscerum inflammationes confert *a*), et potentiora tandem expellentia, minori tamen dosi, parcius, et cum subiunctis diluentibus tepidis exhibita, necessaria inveniuntur, quando natura nimis languida atque debilitata variolas, decenti licet praeparatione praegressa, vel plane non, vel iusto tamen tempore ad cutem extrudere nequit.

§. VII.

Auxiliis chirurgico - pharmacevticis, quae hactenus enarravi, quaeque communibus maxime indicationibus curativis dicata sunt, illa etiam, quae periculosioribus symptomatibus, faucium scilicet inflammationi, convulsionibus, tum primam eruptionem variolarum antecedentibus ac comitantibus, tum retrocessionem earum sequentibus, nec minus vehementioribus ventris torminibus et diarrhoeae exorbitanti atque incongruae specialius

a) Conferri hoc loco merentur, quae de utilitate ac necessitate huius remedii in *celebr.* TRALLESII *Tractatu ger. vom Blutlaßen in Blattern*, nec minus in *Satyris Medicorum Silesiacorum* dicta sunt.

cialius medentur, aut oculorum læsiones avertunt, aut alvum iusto diutius adstrictam solvunt, subinde iungenda veniunt. Contra imminentem nimirum aut iam præsentem faucium inflammationem *diaclysmata*, *gargarismata*, *iniectiones* et *linimenta*, ex iusculis avenaceis, cum caricis decoctis, aut pauxillo olei amygdalarum dulc. recentissimi et nitri pulverisati remixtis, vel etiam ex decocto hordei atque ficuum, additoque postmodum syrupo mororum aut rubi idæi &c. paranda, in usum trahi debent. Convulsiones remediis plane peculiaribus sedari nequeunt, sed antea commendata pharmaca interna, quæ acriorem impuritatem exanthematicam temperant, et maturam inprimis eiusdem expulsionem ad cutem adiuvant, ulterius exhibenda erunt. Oculis adhuc apertis *extersio*, *identidem repetita*, cum spongia molli, liquore, ex lacte muliebri aut vaccino recenti, aqua rosarum et tinctura croci aquosa mixto, nonnihil imprægnata, interdum opitulatur, clausis vero nihil prorsus admoveri, tutissimum est. Alvus iusto diutius obstructa optime *blando enemate emolliente* et subinde etiam, ad finem nempe variola-

rum maturatione decurrente, et ſic dicta febre ſecundaria ſub exſiccationis initio ſuperveniente, *laxante mitiori* ex ſolo rhabarbaro, aut hoc et mercurio dulci rite praeparato recluditur, et contra ventris denique tormina, vehementiori aut plane intempeſtiva diarrhoea plerumque ſtipata, *eſſentia theriacalis*, vel per ſe doſi minori exhibita, vel potiunculis temperantibus addita, optatum quandoque auxilium adfert.

§. VIII.

Expoſitae hactenus variolarum curationi nunc multa pariter de *Transplantatione* illarum *vulgari* et plura adhuc de notiſſima hodie et in Anglia inprimis celebratiſſima earundem *Inſitione* ſive *Inoculatione* ſubiungere poſſem; verum enim vero, quum numeroſiſſima pridem ſchediaſmata, diſſertationes atque tractatus, in quibus operatio poſterior quoad variam adminiſtrandi methodum aliaque circa eam ſcitu neceſſaria uberrime deſcripta eſt, in lucem prodierint, de utraque memet hoc loco pauca tantum afferre conſultius duco. Transplantatio vulgaris *Emtionis* nomen habet, et ita peragitur: Parentes

tes obulos quosdam minores probe lotos pustulis ægri cuiusdam, variolis distinctis atque benignis correpti, imponunt, et aliquamdiu, ut madore purulento, vel activo ad minimum halitu inficiantur, super illas relinquunt, deinde pueri sani brachio aut pedi, pectori et aliis locis alligant, ut fermentum volatile variolosum venas bibulas subeat, sensimque humoribus misceatur. Successus non semper quidem exspectationi respondet, persæpe tamen variolæ paucæ atque benignæ cum mitioribus symptomatibus prodeunt. Insitio sive inoculatio, strictius sic dicta, non tantum apud infantes, sed etiam apud adultos iuniores, qui a morbo varioloso penitus in infantia sua ac pueritia immunes fuerunt, locum invenit, apud infantes tamen nunquam tempore lactationis, nec ante absolutam quoque dentitionem, sed, superato demum quarto ætatis anno, suscipi debet. Necesse præterea est, ut infantes æque atque adulti, sustinendæ variolarum transplantationi destinati, ante ipsam insitionem perfecte sani ac vegeti existant, ut victu tenui aliquamdiu ac simplici, ex vegetabili magis, quam animali regno desumendo, utantur, et

bis ad minimum leni cathartico, infuſo v. g. aquoſo ex manna et rhabarbaro, vel ex manna ac foliis ſennæ purgentur, ne præſens forſan in prima culina impuritatum colluvies pravis poſtmodum ſymptomatibus occaſionem præbeat: Immo venæſectio apud adultiores ac valde plethoricos, die ultimo aut penultimo ante inoculationem adminiſtrata, utplurimum utiliſſima, quin plane nonnunquam neceſſaria, reperitur. Præmiſſa hac corporis præparatione, ipſa inſitio ſecundum *Domini* RANBY deſcriptionem *a*), ſequènti modo, qui mihi optimus videtur, inſtituitur: Primo nimirum apud ægrum, variolis benignis laborantem, circa decimum circiter aut undecimum morbi diem, puſtula bene matura, in brachio inprimis aut femore nata, aperitur, et filum craſſiuſculum ex linteo carpto contortum, effluente materia purulenta probe imbuitur. Filum hoc in pyxide, optime claudenda, ad variolarum candidatum defertur, et fruſtum eius proportionatum leviſſimo cutis vulnuſculo, pollicaris

a) Vid. *Allgemeines Magazin der Natur, Kunſt und Wiſſenſchaften, achter Theil p. 360. ſequ.*

ris circiter longitudinis, in utroque brachio, et eo quidem in loco, ubi fonticuli excitari solent, cum lanceola facto, immittitur; quo facto, turunda ex linteo carpto, circum circa emplastro quodam digestivo obducta, filo superimponitur, et haec rursus vulgari emplastro et circumvoluto linteamine contegitur. Relinquuntur haec per quatuordecim circiter horas, deinde filum pure impraegnatum removetur, et praedicta saltim turunda et emplastrum, quae quotidie tamen renovanda sunt, ulterius adplicantur. Peracta insitione, praeter identidem exhibitum pulverem e lapidibus cancrorum, vel ex hisce et pauxillo nitri depurati, tum ante, tum post eruptionem variolarum, quae, teste Auctore laudato, plerumque circa diem septimum accidit, nulla amplius remedia alia necessaria sunt, sed praecipuum negotium, observata tamen supra dudum commendata diaeta tenui ac simplici, naturae committendum, et alvus solummodo adstricta leni interdum clysmate aperienda est; quemadmodum plura de hisce et reliquis, ad inoculationis actum spectantibus, loco allegato, et in aliis quoque scri-

ptis,

ptis, de variolarum insitione seorsim editis, videnda sunt.

§. IX.

Cum variolis MORBILLI quoad multa conveniunt, quoad alia quaedam magis minusve ab iisdem differunt. Exanthemata enim maculosa, quae expelluntur ad cutem, non abeunt in suppurationem, nec quatuor etiam hic morbus, sed tria saltim decursus tempora, tempus nimirum ebullitionis, eruptionis et exhalationis sive exsiccationis habet. Tempore ebullitionis, quod itidem ad quartum usque diem extenditur, eadem, paullo tamen utplurimum mitiora, symptomata, quae instante variolarum eruptione observantur, continuus nempe sensimque increscens aestus febrilis, dolor capitis gravativus, tussicula sicca, inappetentia ciborum, sitis, obstructio alvi, aut diarrhoea, vomitus, oppletio pectoris cum respiratione impeditiori, perpetua, inanis tamen, ad somnum propensio, gravitas oculorum cum aliqua palpebrarum intumescentia, et acris haud raro humoris ex oculis atque naribus stillicidio &c., patientem excruciant. Die quarto, quinto, sexto,

ſexto, ad ſeptimum usque, maculæ rubræ, planæ, petechiis latiores, et ſuper cutis ſuperficiem paullulum eminentes, in vultu, manibus, pectore, ac reliquo corpore erumpunt, et ſymptomata prædicta, rite videlicet atque complete expulſionis actu ſuccedente, partim ceſſant, partim miteſcunt. Maculæ hæ non adeo diu in cute perſiſtunt, ſed poſt diem ſextum inviſibilis exhalationis beneficio paullatim cum aliquo pruritu exareſcunt, ita ut plerumque die octavo in facie, nono in reliquis corporis partibus, penitus diſpareant. Abſoluta humoris acris ſubtilis atque volatilis exhalatione et exſiccatione, sub qua, æque ac in variolis, perſæpe febris, tuſſis, ſpirandi difficultas, &c., nonnihil rurſus augentur, cuticula ſicceſcit penitus, et furfuracea deſquamatio ſcenam feliciter claudit.

§. X.

Morbilli ad contagioſos quoque et ſolenniores pariter infantum morbos ſpectant, variolis tamen, ſi rite tractentur, minus utplurimum periculoſi ſunt; utplurimum, inquam: Non ſemper enim ſporadici atque benigni exiſtunt, ſed interdum quoque,

que, præſertim ſi epidemice graſſantur, ma ligni deprehenduntur, ac multos extinguunt Aegre ordinario hi poſteriores ad cutem prodeunt, vel expulſi facile iterum ad inte riora recedunt, et, præter varia alia ſympto mata gravia, vehementes plerumque anxie tates præcordiales, ſpirandi difficultatem magnam virium proſtrationem et intempe ſtivam fortemque diarrhoeam comites addu cunt. Diſcriminis ratio in diſcrepante cau ſæ materialis indole quærenda eſt: quipp quæ in morbillis benignis lymphæ magis quam cruori immerſa hæret, et *ſubtili* tan tum *acredine* peccat, in malignis vero cruo rem pariter valde inquinat, nec *acris* ſaltim ſed ſimul quoque *putridula* eſſe videtur. D curatione multa rurſus ſubiungere ſupervaca neum duco, quoniam a variolarum medel quoad indicationes potiores et reme- dia minime recedit.

. CAP



CAP. XII.

DE

SVDORE ANGLICANO.

§. I.

SVDOR ANGLICANVS ſive *Anglicus*, alias etiam *Febris peſtilentialis contagioſa unius diei*, itemque *Ephemera maligna* dictus, eſt febris acutiſſima, ſumme maligna, valde contagioſa, ipſi peſti quoad ſævitiem quidem peſſimumque genium analoga, ſine carbunculorum tamen, bubonum aliorumque exanthematum eruptione, intra tempus breviſſimum, cum continuo ac vehementi ſudore, ad finem, ſæpius exitialem, quam ſalutarem, decurrens.

§. II.

In Anglia terribilis hic morbus anno 1483., vel, uti alii referunt, 1485. primum exortus eſt, et quinque poſtmodum aliis vicibus, interiectis tamen plurium annorum intervallis, æſtivo utplurimum tempore, rediit,

diit, tantamque hominum ſtragem, præſertim anno 1517., effecit, ut in pagis oppidisque quamplurimis, quæ intravit, tertia, immo dimidia, incolarum pars extincta fuerit. Tranſiit quoque aliquoties ex Anglia in Belgii, Galliæ et Germaniæ partem, ob paullo minorem tamen atrocitatem in regionibus hiſce pauciores homines, quam in Anglia, trucidavit. Notatu præterea dignum eſt, vitæ lautioris et iuvenilis ac vegetæ ætatis virilis homines hoc morbo præcipue correptos fuiſſe, infantes ex adverſo, ſenes ac pauperes in eundem rarius incidiſſe.

§. III.

Sudor, qui ſubinde tamen magis halituoſus, quam aquoſus deprehenditur, cum ipſa ſtatim febre incipit, et citra ullam quoque intermiſſionem ad morbi finem usque perdurat: Non ſolus cæteroquin accedit, ſed varia gravia et maligna pathemata, ingens videlicet et ſubitaneus virium lapſus, inſignes anxietates præcordiales, cardiogmos, palpitatio cordis maxima, reſpiratio velox et anheloſa, dolor capitis, delirium, calor exurens internus, ſitis inexplebilis,

præceps

præceps et magna virium deiectio, propensio ad lipothymias et summus animi languor eum comitantur. Pulsus, æque ac in reliquis febribus malignis, celer, debilis et inæqualis est, alvus obstructione laborat, nec quicquam pariter urinæ, sudatione perseverante, excernitur.

§. IV.

Paucissimi, hoc morbo prehensi, sicuti in limine pridem dictum fuit, evadunt, et totus quoque morbus, qui pro mea sententia a *subtili, mobilissimo, penetrante* ac *dissolvente sale urinoso* oritur, nunquam ultra diem tertium protrahitur, sed plerumque intra viginti quatuor horas, immo interdum, post paucas horas, præsertim si ægri impatientes aeris frigidiusculi admissione, aut aliqua corporis denudatione eruptionem sudoris, quo pene nonnunquam diffluunt, nonnihil saltim sufflaminant, necem infert. Nam sudor, licet enormis sit, viresque celeriter absumat, criticus existit, nec supprimendus itaque, sed externo potius regimine, et ipsis quandoque *diaphoreticis lenioribus*, quibus ad vires conservandas parcior usus *confortantium*, confe-

ctionis v. g. alkermes, aquae cinnamomi borraginatae, aut melissae, pauxillo succi granorum chermes remixtae, vini generosi &c., interponi debet, promovendus est. „Post aegro-
„tantium, IO. ALLEN, *praeeuntibus aliis,*
„*scribit a*), plurima experimenta et obser-
„vationes, a iuvantibus et laedentibus factas,
„ita usu venit, ut remedium unicuique prom-
„tissimum inventum sit, quod huiusmodi est.
„Si quis interdiu sudore corripitur, cum
„vestitu protinus cubatum eat; si nocte, tum
„quiescat, nec se a loco moveat usque ad 24
„horas exactas; interim ita se stragulis one-
„ret, quo non provocetur sudor, sed sua
„sponte molliter stillet, cibi nihil capiat, si
„tamdiu famem tolerare possit; neque plus
„potionis consuetae, ac calefactae hauriat,
„quam modice satis sit ad sitim extinguen-
„dam; inter hanc curationem inprimis ca-
„veat, ne manum quidem aut pedem suum re-
„frigerandi recreandique causa extra stragula
„proferat, quod facere lethale est. Ad-
„dunt alii, toto isto nycthemeri spatio a som-
„no prorsus abstinendum esse.

CAP.

a) *Lib. saepius citato p. m. 84.*

CAP. XIII.

DE

PESTE.

§. I.

Pestis est febrium malignarum pessima et adeo insuper contagiosa, ut mediante agilissimo halitu virulento non tantum sub arctiori cum infectis consuetudine in corpora sana, absque ætatis, sexus, temperamenti ac vitæ generis discrimine, transeat, sed per vestes quoque ac merces, præsertim pilosas, per utensilia, aliaque, quæ halitum memoratum in poros suos receperunt a), ad loca dissita gentesque valde interdum remotas propagetur, et subito sæpius adventum suum communi invasione ac plerorumque correptorum internecione prodat.

a) Exempla singularia in BOYLEI *Tract. de Mira effluviorum efficacia* et in pluribus aliis scriptis videri possunt.

§. II.

Symptomata huius morbi exitialis merito in *communia*, h. e., in aliis quoque morbis febrilibus ſæpiſſime obvia, et *propria*, ſoli peſti neceſſario fœdere iuncta, dividenda ſunt. Ad illa, præter conſueta febrium malignarum pathemata, repentinam ſcilicet maximamque virium proſtrationem, languorem animi atque deiectionem ingentem, inſignes anxietates præcordiales, ac pulſum velocem quidem, aſt valde ſimul debilem, multa adhuc alia, quæ in eodem tamen ſubiecto rariſſime, vel rectius nunquam, coniunctim adſunt, cephalalgia nimirum, vertigo, vigiliæ, delirium phreniticum, aut levior ſaltim mentis aberratio, lapſus memoriæ, viſus turbulentus, palpitatio et angor cordis, reſpiratio laborioſa, ſiccitas linguæ, vomitus, ſingultus, diarrhoea, immo dyſenteria, hæmorrhagia narium, mictus cruentus, ſputum cruentum, eruptio fluxus menſtrui, dolores hypochondriorum, lumborum, aliarumve partium, æſtus corporis, plerumque mitis, rarius intenſior, ſitis, nunc magna, nunc modica, nunc plane nulla, animi deliquia, inflammatio faucium anginodea, urina, modo tenuis, aquoſa

ac

ac paullulum turbida, inſtar urinæ iumentorum, modo ſanorum urinæ ſimillima &c. referri poſſunt: Ad hæc autem, propria videlicet, *anthraces* ſive carbunculi, *bubones*, *parotides* ac *vibices* ſpectant. Subinde quidem petechiæ ſimul prodeunt, aſt ſignis peſtis characteriſticis ſive pathognomonicis accenſeri nequeunt, ſed prædicti tantum carbones et gangrænoſi aut gangrænoſo-ſphaceloſi glandularum tumores, licet interdum ob maximam naturæ ſuccumbentis imbecillitatem non extrudantur, veræ peſtilentiæ indices ac teſtes ſunt *a*).

 §. III.

a) „Quemadmodum, RICHARDVS MEAD *in* „*Oper. med. Tom. II. Diſſ. de peſte p. 4. inquit*, „in *variolis puſtulis* in cute excitatis corpus exo„neratur, ita in peſte noxii humores aut in *tu*„*mores* glandularum eiiciuntur, in *parotides bu*„*bones* ſimileſque, aut in *carbunculos* in quacun„que corporis parte pronatos. Hæc adeo hu„ius morbi ſpecifica ſigna certa ſunt, ut alte„rutrum ſemper adſit: niſi forte, nimis mali„gnus morbus cum eſt, aut nimis fractæ vires, „æger ante occumbit, quam tempus eſt talis de„poſitionis, nempe morbida materia, quæ „emittenda per tumores externos erat, in cor„reptis viſceribus gangrænas excitante. Hinc

§. III.

Anthrax, *carbunculus*, *carbo* est furunculus summe malignus, valde durus, ex atro rubens ac lividus, qui dolorem acerbissimum ac prunæ instar urentem excitat, nec unquam in peste ad salutarem suppurationem, sed citissime potius in gangrænam et sphacelosam corruptionem tendit. Multis plerumque vesiculis parvis, igneis, acerrimisque obsitus cernitur, immo interdum totus unica vesica magna tegitur. In quacunque corporis parte emergit, semper tamen deterior est, qui in parte tendinea, quam musculosa, nascitur. Cum carbunculis sic dictæ *Vibices*, in partibus utplurimum musculosis erumpentes, quoad duritiem, colorem, ardorem, dolorem et maximam citissimamque ad necrosin inclinationem conveniunt, ac sola tantum forma oblonga et paullo minori pariter ele-

„fit, ut utique contingat, neque tumores glan„dularum, neque carbones apparere; quemad„modum mala interdum variolarum species, te„neris in corporibus, ante eruptionem pustula„rum fatum concitat, aut *diarrhoea*, aut *hæmor„rhagia*, aut alio malo eorum, quæ solet supe„rans malignitas inducere, &c.

elevatione diſtinctæ inveniuntur: Quod *Parotides* vero atque *Bubones* attinet, illi duros, ſumme doloroſos, peſſimosque tumores glandularum parotidum, inguinalium et ſubaxillarium inflammatorios ſiſtunt, qui ſubinde, æque ac præcedentes carbunculi ac vibices, in gangrænam ac ſphacelum, ſubinde autem in ſuppurationem ulceroſam, quam, facta apertura, ichoris acerrimi effluxus ſequitur, abeunt. Paucis cæteroquin adhuc venit notandum, tumores glandularum inguinalium proprie, ſubaxillarium vero falſim improprie et abuſive bubones appellari.

§. IV.

Quanquam peſtis, conſiderata ſimultanea, promiſcua, atque veloci multorum hominum invaſione, ad epidemios mosbos iure referenda ſit, nunquam tamen, quod collectæ medicorum obſervationes abunde confirmant, in regionibus Europæis, ut alii morbi epidemii, ex communi aeris, potus, aut eſculentorum vitio oritur, multo minus metum graviorem, penitus ſcilicet abſente contagio, in cenſum cauſſarum eius accerſere licet, ſed unice illa ex Africa, et frequentius

quidem ex Aegypto et Aethiopia, venit, et aliorſum per *contagium* identidem translata, facile poſtmodum, neglecta inprimis tempeſtiva, congrua et publica prophylaxi, ulterius ſerpit, et ab homine ad hominem, ab urbe ad urbem progreditur. Volentibus interim lubentiſſime largiar, *pravam aeris conſtitutionem*, et *corruptam alimentorum qualitatem*, immo *terrorem* ac *metum maiorem* in noſtris quoque regionibus non tantum ad miaſma peſtilentiale aliunde adductum facilius recipiendum et exaltandum, ſed ad exitialem quoque hanc luem latius ac citius diffundendam multum conferre. Notum enim eſt, peſtem, hyeme ſicca ac gelida adventante, utplurimum a ſævitie ſua paullulum remittere, vere autem humido atque ſubcalido redeunte, magis rurſum exacerbari: Docuit etiam frequens obſervatio, homines plethoricos et meticuloſos peſte facilius plerumque, quam fortis atque intrepidi animi ſubiecta, corripi.

§. V.

Virulentiſſimum fermentum peſtilentiale, quod ſeſe ex aere inquinato in ſano-

rum

rum corpora invifibili inprimis inhalatione et infpiratione infinuat, vel fubinde etiam cum deglutita faliva, cui facile adhærefcit, ingreditur, totamque poftea fyftafin ac mixtionem fanguinis, lymphæ et fluidi nervei intra tempus breviffimum penitus corrumpit, *fubtile admodum*, *mobiliffimum*, *volatile*, *penetrans*, *acerrimum putridumve oleofo-urinofum* eft, et in Aegypto, Aethiopia et aliis quibusdam Africæ tractibus, ubi peftis endemia reperitur, et per intervalla igitur mitefcere paullulum, et atrocius rurfum fævire confuevit, partim ingenti intemperiei aeris calidæ ac humidæ, partim copiofis corporum putrefcentium exhalationibus, fub tanto aeris fervore ad fummam fubtilitatem et caufticam prorfus acrimoniam perductis, genefin fuam debet; quemadmodum RICHARDVS MEAD egregie hæc omnia fequentibus, quæ integra igitur, non obftante prolixitate, huc transferre confultum duxi, expofuit: „Poftquam, *inquit a*), oftendi, hunc morbum fpecie ab aliis omnibus diftingui, et „originem ex fola *Africa* trahere; proximo

 „loco

a) *L. c. p. 22. fequ.*

„loco diſpicienda eſt cauſſa, cur hæc ſola „regio, non item aliæ, hoc malo fertilis ſit. „Itaque conſideranda ſunt, quæ ſibi propria „hæc regio habet, ea enim probabiliter cre„di poſſunt idonea producendo morbo. „Quare breviter, quantum ad ſcopum meum „opus eſt, narrabo, quis ſtatus ſit urbis *Grand* „*Cairo* in *Egypto* et *Aethiopiæ*, magnorum „peſtis ſeminariorum, narrant enim peregri„natores, magis, quam reliquam *Africam*, „has duas regiones infeſtari. *Grand Cairo* „urbs abundat vaſto incolarum numero, „quorum longe maxima pars pauperes ſor„didam vitam agunt; plateæ anguſtæ ſunt: „poſita eſt in arenoſa planitie ad radicem „montis, qui cum ventos detineat aerem „temperaturos, huius ſuffocans eſt calor. „Mediam tranſit magnus *canalis*, quem ex„undans *Nilus* aquis ſuis replet, paullatim „deinde, decreſcente amne ſiccandum. Huc „omnes omnia ſordium genera, cadavera, „&c. coniiciunt, unde ortus fœtor, et limus „modis non ferendis offendunt *a*). Quæ „cum ita ſint, conſtanter omnibus annis peſtis

„incolas

a) Vid. *le Brun Voyage au Levant c. 38.*

„invadit, non ante compeſcenda, quam exundantes *Nili* aquæ ſordium hos cumulos „eluunt, adiuvantibus etiam ventis frigidioribus eodem tempore ſpirare ſolitis, quibus „aer purus redditur. In *Aethiopia* immenſa „illa *Locuſtarum* agmina, quæ interdum famem producunt, conſumtis omnibus fructibus, niſi a ventis omnes in mare aſportentur, novam regioni calamitatem inducere obſervantur mortui putreſcentes, *peſte* „incenſa *a*); putredinem enim auget enormis *intemperies cœli* harum regionum, quas „certo anni tempore violentiſſimæ *pluviæ* „per tres aut quatuor continuos menſes inundant *b*). Sigillatim obſervatum lego, „tum ſolere impetum *peſtem* facere, cum in „fervidos *Iulii* et *Auguſti* *c*) calores pluviæ „incidunt, ſive *Lucretii* verbis cum terra eſt

Intempeſtivis pluviisque et ſolibus icta d).

„Com-

a) V. *Ludolf Hiſt. Aethiop. L. I. c. 13.* et *D. Auguſt. de Civ. Dei L. III. c. ult.*

b) V. *Ludolf Hiſt. Aethiop. L. I. c. 5.* et *Comment.*

c) *I. Leo Hiſt. Afric. L. I.*

d) *Ibid. L. VI. v. 1100.*

„Comparantem porro hanc de *intemperie* „*cæli Aethiopici* obſervationem, cum medi- „corum *Arabicorum a)* in vicinia iſtarum „regionum viventium effato, induci *peſtem* „*intempeſtivis humoribus*, caloribus cum ven- „tis nullis, crediderim, plene edoceri cauſ- „ſam huius morbi. Equidem ex collatis „omnibus his obſervationibus colligo, oriri „a perpetuo in his regionibus *putredinis* fo- „mite, auctæ pravo aeris ſtatu, quem de- „ſcripſi, maxime a putreſcentibus animalium „partibus. Manifeſtum eſt, facile anima- „lium partes mutari in aptiſſimum huius „morbi fomitem, quod in unoquoque ægro „videri poteſt, eius enim omnes humores „corrupti *inficiunt* alios. Probabile eſt, in „ſtatum his humoribus ſimilem converti pu- „tredine, et mala tempeſtate, in fervida ca- „loribus *Africa* poſſe volatiles partes, qui- „bus animalia abundant: nam etiam ſub „frigidiore noſtro cælo videre eas eſt *acri-* „*monia* maiori præditas, quam plerumque „eſt putreſcentium corporum, maiusque pe- „riculum poſitis intra ſphæram ſuarum vi- „rium

a) *Rhas. et Avicenn.*

„rium intentare; quemadmodum in perni„ciosa ista et prope venenata sanie corrupto„rum cadaverum, quorum alio loco exem„plum memoratu dignissimum dedi *a*), et „dare plurima possem, maxime corporum „*hydropicorum* et *tumorum cancrosorum*. „Immo etiam periculosos morbos videmus „nostro sub *septentrione* natos a putredine „animali, etsi malignitate veræ *pestis* ceden„tes; sæpe enim tales febres oriuntur lo„cis, in quæ magna hominum vis arcte com„pellitur, quemadmodum in urbium *obsidio*„*nibus*, *carceribus* et *castris* &c.

§. VI.

Prognosin fusius hoc loco attingere supervacaneum iudico, quoniam abunde pridem ex antecedentibus constat, pestem non tantum morbum sævissimum esse, et correptorum quamplurimos trucidare, sed velocissimo etiam cursu ad finem tendere, ac morituros itaque ordinario intra dies paucissimos, immo sæpius intra diem aut noctem extingui. Sudores largi initio statim, iun-

cta

a) *Expos. Venenor.*

cta inprimis alvi suppressione, supervenientes, nec minus bubones aut carbunculi tempestive atque perfecte erumpentes, morbum hunc subinde feliciter solvunt: Non credendum tamen, ægrum bubone aut carbunculo exorto, in certissimæ pridem securitatis portu esse, dum eventus a bona aut mala bubonis et carbunculi indole dependet. Nam si carbunculus ab integro, pure inter utrumque moto, separatur, et bubo pariter ad suppurationem venit, vitæ ulterius protrahendæ spes adest; sin gangrænosi autem hi tumores post genesin suam cito emoriuntur, et putredo deinde celeriter ad partes circumiacentes atque subiectas proserpit, patiens certissime moritur. Parum quoque boni magna virium prostratio in principio morbi, animi deliquia, sopores, sternutationes, delirium, hæmorrhagia narium, sputum cruentum, motus membrorum tremulus, palpitatio cordis, raucedo, dolor in gutture, anhelitus fœtens, vomitus, diarrhoea, et urina discolor portendunt, immo angina, pleuritis, peripnevmonia, excretio sanguinis per alvum aut urinæ vias, fluxus menstruus, maculae petechiales li-

vidae,

vidae, et pulſus intermittens aegrum certo pariter interiturum indicant.

§. VII.

Medicamentorum multiplex farrago contra vim peſtis nihil valet; hinc, reiecta prorſus venæſectione, reiectis vomitoriis et catharticis, pauca potius, eaque ſelecta et heroica, *antiputredinoſa*, *ſudorifera* et *bezoarlica*, in uſum trahi, præſtat. Prætermitto multa, quæ vulgo laudantur, et præ reliquis ſaltim *acidula* quædam, limonadas v. g., x ſucco citri, aut limoniorum, aqua ſimplii et ſacharo paratas, acetum porro rutaeum, calendulatum, bezoardicum, et prohylacticum, aqua pariter magis minusve diatum, ſpiritum aceti, potiunculis miſcendum, t ſpiritum ſalis dulcem, nec minus ex *balſaicorum* et *bezoardicorum* claſſe eſſentiam ccini, angelicæ, ſerpentariæ Virginianæ, tæ, ſcordii, myrrhæ, theriacalem, camphom, ſulphur antimonii auratum tertiæ præc., theriacam commendabo, quoniam eximia rum virtus frequenti dudum uſu abunde mprobata fuit. Multum quoque *ſuffimi*-*t*, ſæpius tamen die nocteque reiteranda,

ex ſacharo, ſuccino, gummi iuniperi, elemi, animi, lacca, baccis iuniperi, floribus ſiccis lavendulæ &c. proſunt, nec interdum *veſicatoria* etiam ſua laude defraudanda erunt. Quo exorti pariter ac nondum emortui carbunculi et glandularum colli, aut parotidum, aut ſubaxillarium aut inguinalium tumores inflammatorii ad ſalutarem, ſi fieri poteſt, ſuppurationem deducantur, congrua quædam medicamina *emollientia* ac *maturantia* adplicari debent; cuius cenſus v. g. ſunt epithemata et cataplasmata ex caricis, cæpis ſub cineribus aſſatis, allio, radice althææ, floribus ſambuci, farina ſeminis lini, fœni Græci, melle, theriaca Andromachi &c., nec non emplaſtra, v. g. diachylon ſimplex et cum gummatibus, oxycroceum, de galbano crocatum MYNS., de gummi ammoniaco, magneticum ANGLI SALAE et ſimilia. Notari tamen adhuc oportet, bubones, præſertim prope aures et in collo, melius ordinaria emollientia, quam potentiora maturantia et attrahentia, perferre, et tempeſtive etiam pure genito incidendos eſſe, ut materia acerrima debite effluere queat.

§. VIII

§. VIII.

Cura medicorum tempore pestis non tantum ad sanandos dudum infectos, sed etiam ad sanos praeservandos, et ulteriorem atrocissimi huius morbi propagationem avertendam dirigi debet. Plurimum autem, praeter *tempestivam* atque *prudentem infectorum*, *suspectorum* ac *sanorum separationem*, de qua saepe laudatus RICHARDVS MEAD prae reliquis legi meretur a), ad obtinendum hunc scopum 1) *bona diaeta*, 2) *masticatoria* ex rad. angelicae, serpentariae Virg., flavedine corticis citri, cinnamomi, myrrha genuina &c., 3) *crebriora suffimigia* ex speciebus antea allegatis, 4) *usus moderatus fumi tabaci*, 5) *amuleta* ex camphora et fragrantibus aromaticis, et 6) *parcior per intervalla* aceti prophylactici, theriacae, aut alterius medicamenti alexipharmaci *adsumtio* faciunt, praesertim si aer frequentius simul ventiletur, et decens in vestitu, cubiculo et ordinario habitationis loco mundities accedat.

CAP.

a) *L. c.*



CAP. XIV.

DE FEBRIBVS LENTIS ET HECTICIS.

§. I.

FEBRES LENTAE et HECTICAE sunt febres continuæ diuturnæ, sæpius symptomaticæ, quam essentiales, solo duntaxat vehementiæ gradu ab invicem distinctæ. In hecticis enim æstus præternaturalis atque exurens vehementior est, minusque remittens, cum maiori pulsus celeritate, tempore nocturno sudores pingues colliquativi erumpunt, urina valde rubra, cui persæpe guttulæ oleosæ aut pinguis cuticulæ frustula innatant, excernitur, nutritio corporis plane cessat, et vires proinde carnesque intra modicum temporis spatium adeo consumuntur, ut æger vix amplius ossibus hæreat, et totum corpus eius sceleto simillimum evadat; in lentis vero æstus multo remissior est, magisque, per incerta tamen intervalla, mitescit, debilitantes sudores nocturni vel prorsus

prorſus abſunt, vel rarius tamen ſuperveniunt, nec adeo præterea pingues, quam præcedentes perfecte colliquativi, reperiuntur, in urina rubicunda nihil oleoſi cernitur, corpus, adpetitu non penitus deiecto, aliqua adhuc nutritione fruitur, nec vires igitur habitusque carnoſus tam cito ac ſenſibiliter, ſed tardius, decreſcunt. Frequenti cæteroquin ac fere quotidiana obſervatione comprobatur, febres lentas, niſi tempeſtiva ac congrua medela feratur, facillime in hecticas degenerare.

§. II.

Aeſtus præternaturalis, quod minime pariter ignorari oportet, in lentis non minus quam hecticis febribus poſt paſtum inprimis et circa veſperam ſenſibiliora ſua incrementa habet, et in facie maxime ac volis manuum percipitur, unde etiam fit, ut eo tempore genæ ac totus quandoque vultus fallaci rubore ſuffundantur. Adpetitus eſculentorum vagus eſt, ac modo viget, modo languet, modo, præſertim in hectica, plane proſternitur, ſitis vero naturali ac regulari utplurimum fortior eſt. Alvus nunc ſegnitie et

ſiccitate, quin perfecta interdum obſtructione laborat, nunc autem lubrica eſt, et apud hecticos conſummatos plerumque etiam exitiales diarrhoeae colliquativae ſuperveniunt. Somnus interdum bonus eſſe videtur, parum tamen patientem recreat, interdum vero deficit, aut turbulentus eſt. Animus magis paullatim magisque irrequietus redditur, et magna inprimis in eo proclivitas ad iracundiam oritur. Symptomatibus hiſce ac praecedentibus ſeſe pro cauſſarum ac partis praecipue affectae diverſitate plura adhuc alia pathemata, et frequentius quidem, exulceratione ſcilicet pulmonum praeſente, tuſſis fere continua ulceroſa, atque inſignis et quotidie propemodum increſcens reſpirandi difficultas, vel etiam, praecipua nimirum morbi cauſſa in ventre infimo eiusdemque viſceribus latitante, abdominis intumeſcentia atque durities comites adiungunt.

§. III.

Creberrime quidem febres lentae et hecticae colliquativae, praeſertim poſteriores, a *pulmonum*, aut *iecoris*, *lienis*, *renum*, *veſicae*, aut *alterius partis internae nobilioris exulceratione*,

ratione, et *continuo exinde materiæ ſanioſæ ad ſanguinem affluxu* oriuntur, haud raro nihilominus *refractarias* pariter viſcerum memoratorum, vel pancreatis, vaſorum lacteorum et glandularum meſeraicarum *obſtructiones*, nec minus ſcorbutum inveteratum, luem veneream et præmature in ea cohibitam ſalivationem, ruptas vomicas pulmonum, empyema pectoris, cancrum clauſum et apertum mammarum aliarumque partium, lepram, ſcabiem retroactam, imminentem aut rurſus turbatam plicam Polonicam, ſpinam ventoſam, hydropem pectoris et abdominis varium, nec non fluorem album, diarrhoeas criticas, aut febres intermittentes intempeſtive ſuppreſſas, et adſumta venena ſaturnina cauſſas agnoſcunt, immo interdum coeliacæ diuturnæ, hæmorrhagiis immodicis, lactationi infantum crebriori nimiumque protractæ, exceſſibus venereis &c. ſuccedunt: Vnde protinus etiam ac clare unumquemque cogniturum ſpero, in febribus hiſce non ſemper *alimenti neceſſarii defectum*, vel *magnam ſeri contemperantis penuriam*, et *ulceroſam*, aut *valde* tamen *acrem*, *ſubtilem* ac *diſſolventem impuritatem ſalino-inflammabilem*, tum

maſſæ humorum univerſæ altius immerſam, tum nervis hinc inde tenaciſſime adhærentem atque infixam, totam ætiologiam abſolvere, ſed apud diverſos huius cenſus ægrotantes ad plures atque diſtinctas cauſſas, tam proximas, quam paullo remotiores, ſedulo reſpiciendum eſſe.

§. IV.

Perfectae febres hecticæ nunquam, lentæ autem ſubinde curantur, generalis tamen prognoſis circa has poſteriores propter maximam cauſſarum diverſitatem formari nequit, ſed ſcitu in hac parte neceſſaria ex pluribus capitibus, in quibus cauſſarum allegatarum quamplurimæ ſeorſim et ſub propriis ſuis titulis pertractatæ fuerunt, diſcenda ſunt. Idem quoque de potiori curationis parte monendum venit: De parte, inquam, potiori; ſunt enim remedia quædam, quæ in quacunque febre lenta et hectica proficua iudicantur, vel citra ullum tamen ægri detrimentum in uſum trahi poſſunt. Spectant autem ad ea non tantum *alimenta ordinaria*, ſed etiam *pharmaca temperatæ gelatinoſæ, mucilagineæ et aqueo-oleoſæ indolis*, v. g. iuſcula ſaturatiora

tiora carnis vitulinæ et pullorum cum pineolis, piſtaceis et amygdalis dulcibus excorticatis, iuſcula ex milio, oryza, fagopyro Polonico, turundis vermicularibus Norimbergenſibus, avena et hordeo excorticatis, gelatinæ cornu cervi et eboris, miva cydoniorum, decocta hordeacea et avenacea cum radice ſcorzoneræ, tuſſilaginis, graminis arvenſis, paſſulis minoribus, flavedine corticis citri, et raſura cornu cervi, ſerum lactis dulce, lac aſininum et caprinum *a*), aquæ Selteranæ cum lacte, emulſiones ex aquis refrigerantibus, amygdalis dulcibus et ſeminibus quatuor frigidis maioribus ac minoribus, ſuccus radicum dauci ſativi, ſuccus cucumerum recentium, probe tamen depuratus et ſacharo canto nonnihil edulcoratus, &c. Hiſce etiam ad eminentem partium ſolidarum atoniam corrigendam *roborantia temperatiora*, v. g. cortex Peruvianus, modice et ſub forma varia uſurpatus, eſſentia myrrhæ genuinæ aquoſa, confectio alkermes ſine moſcho et ambra, pilulæ ex balſamo Tolutano, extracto meliſſæ, angelicæ, cardui benedicti, et pulvere granorum chermes &c., addi merentur,

rentur, nec frequentiora etiam *suffimigia* ex balsamicis utilitate carent.

* *

CAP. XV.

DE FEBRIBVS INTERMITTENTIBVS.

§. I.

FEBRES INTERMITTENTES, h. e., per certos atque perfecte distinctos paroxysmos redeuntes, nec indesinenter itaque, sed post longiora demum aut breviora intervalla patientem adfligentes, pro stato, eoque citiori, aut tardiori paroxysmi recursu et differenti quietis interiectae diuturnitate, vel *quotidianae*, vel *tertianae*, vel *quartanae*, rarissime *quintanae* audiunt, et quum paroxysmi pariter, ratione reditus, durationis atque decursus, apud alios eundem semper ordinem servent, apud alios admodum dissimiles accedant, in regulares rursum et irregulares distinguuntur: Nec silentio etiam divisio earum in *simplices* et *duplicatas* sive *duplices*, quae eodem scilicet die duplicem paroxysmum habent,

bent, vel ex duabus febribus intermittentibus compositæ sunt, nec minus in *stomachales* et *sanguineo - lymphaticas* prætermittenda est. Postrema hæc distinctio maiorem præ reliquis considerationem meretur; quare eandem futuræ quoque tractationi fundamenti loco substernere consultum duco.

§. II.

Febres intermittentes stomachales sive vulgares passim, citra caussam communem, unum saltim alterumve subiectum corripiunt, et notabiliter quoque a sanguineo - lymphaticis, quae sæpe sæpius epidemice grassari solent, nec immerito igitur etiam epidemicæ adpellantur, intuitu originis, indolis, symptomatum ac sedis causæ materialis, distinctæ reperiuntur. Symptomatum historia in prioribus sequens est: Sub prima febris invasione et cuiuscunque etiam novi paroxysmi accessu, cuius adventum, præter inquietudinem et lassitudinem membrorum, frequentes pandiculationes et oscitationes, vel obtusi ad minimum dorsi et partium musculoso - membranacearum dolores tensivi ac gravativi præsagiunt, in universo habitu cu-

 taneo

taneo notabilis accidit constrictio, ita ut superficies ubique pallida evadat, et innumera tubercula in conspectum veniant: Transpiratio cutanea, cum plerisque se- et excretionibus reliquis, protinus supprimitur, aut valde tamen minuitur, cruor e vasculis peripheriæ minoribus cum impetu quodam ad interiora corporis ac vasa viscerum maiora reprimitur, ibidemque plus iusto adcumulatur, respiratio fit paullo difficilior, cor vel prorsus palpitat, vel vehementius tamen et cum aliquo angore pulsat, cerebrum turbatur, et æger haud raro tympani quasi pulsus in capite sentit, ciborum fastidium, quin sæpius nausea, conatus vomendi et ipse vomitus actualis superveniunt, salivæ scaturigines exsiccantur, et lingua igitur cum tota oris cavitate arida fit, dentes plerumque strident, et frigus molestissimum, nunc maiori, nunc minori horripilatione stipatum, totum corpus repente percurrit, nec lecti unquam aut fornacis calore profligatur, donec, interiecto breviori aut longiori tempore, ipse æstus febrilis, cum cephalalgiæ augmento, accedat, et ita pristinam mutet tragœdiam, ut patiens sese e frigida zona in torridam trans-

translatum esse existimet. Praeternaturalis hic aestus per duas, tres, quatuor, quinque, immo plures horas perdurat, usque dum sudor superveniens paroxysmum sensim sensimque solvat. Vrina, praesertim sub paroxysmi vigore vel paullo post eundem excreta, ordinario rubelli coloris est, et, in quiete aliquamdiu relicta, fit turbida, mucidumque aut mucido - lateritium sedimentum deponit.

§. III.

Memorati frigoris eidemque succedentis caloris praeternaturalis vehementia atque duratio, pro febrium specie et differenti caussae materialis copia, tenacitate atque natura, admodum variant. In febre tertiana, quae febres continuas magis, quam reliquae intermittentium species, aemulatur, frigus praecurrens plerumque, si solitaria nempe et perfecte vulgaris existat, remissius est et brevioris durationis, aestus insequens autem comparative intensior et adeo interdum pertinax, ut aegrum per quinque, sex, septem, et plures horas, quin integrum diem aut integram noctem excruciet. In febre quartana

na ſtatum, priori quoad frigus et æſtum fere contrarium, h. e., algorem diuturniorem, per quatuor, quinque, pluresve horas quandoque perſeverantem, æſtum vero comparative breviorem obſervamus, et in quotidiana denique horripilatio non minus quam æſtus intra mediocritatis terminos conſiſtunt, ita ut frigus remiſſius atque brevioris durationis, quam in quartana, paullo fortius autem atque diuturnius, quam in tertiana, æſtus ex adverſo vehementior ac diuturnior, quam in quartana, exiſtant: Quæ ita tamen nequaquam intelligenda erunt, ac ſi nulla prorſus in hoc paſſu exceptio apud ſubiecta diverſa locum inveniret, ſed quæ dicta fuerunt, cum frequentiori obſervationi ſint conſentanea, vulgaris ſaltem regulæ loco, adeoque ſingularibus nonnunquam exemplis limitandæ, ponenda veniunt.

§. IV.

Non reticendum quoque erit, circa reliqua etiam pathemata, frigori et inſequenti æſtui complicata, ſubinde diſcriminis quicquam animadverti, immo creberrime alia ſymptomata, in antecedentibus nondum allegata

gata, ſeſe recenſitis comites adiungere. æpiſſime nimirum ſub acceſſione atque vi- ore horripilationis aut algoris, præſertim febre tertiana, vomitus bilioſi, inſignes xietates præcordiorum, leviores lipothy- iæ, dolores pectoris tenſivi cum ſpirandi fficultate, et artuum aliarumque partium ntractiones, concuſſiones atque dolores asmodici ſuperveniunt, quæ, ſi vomitum animi deliquium exceperis, remittere orſumque ceſſare recuſant, donec calor ac- dit, et corpus æſtuans ſudore aut leni ta- en madore perfundi incipit.

§. V.

Haud obſcure ex hactenus commemo- is, maxime autem ex vehementi horripi- one et repentina ac fere momentanea ex- ationis cutaneæ et excretionis ſalivalis preſſione aut imminutione, nec minus ex eri ſolitoque impetuoſiori, nec raro ſi- l irregulari, arteriarum pulſu, cauſſa mo- febrilis proxima atque formalis, *univer- ſ* nempe, eaque *fortis generis nervoſo- nbranacei contractio* innoteſcit. Oritur , quamprimum *copioſa*, *craſſa*, *viſcida*, *acris*,

acris, impuritas febrilis, heterogenei et nocivi fermenti inſtar, per univerſam humorum maſſam diſſeminata, in tubulis capillaribus ſtagnare, quieſcere, eosdemque et alia vaſcula minora obſtruere, premere et nerveam inprimis canalium tunicam iteratis ſtimulis hoſtilibus vexare incipit. Prima autem heterogeneae huius materiae collectio ac geneſis apud aegros, vulgari ſcilicet febre intermittente laborantes, ſemper in ſic dictis primis viis, ventriculo videlicet et inteſtinis quaerenda eſt, et inde demum, non uno tamen impetu, ſed ſenſim et per vices, ad ſanguinem caeterosque humores circulantes transmittitur. Continuo quippe ventriculi et inteſtinorum tenuium motu periſtaltico pars alia poſt aliam reſolvitur, portio reſoluta partim ſola, partim ſucco alibili mixta, ad ſanguinem tranſit, et adfluxus hic diebus intercalaribus, citra ſenſibiles motuum naturalium turbas, tamdiu perdurat, donec translatae materiae impurae moles, paullatim aucta praedicto modo vario novam iterum partium ſolidarum contractionem velociorem ac fortiorem, novumque paroxyſmum febrilem excitare valeat.

§. VI

§. VI.

Ratio, cur alia febris intermittens quovis die, alia die tertio, et alia demum die quarto recurrat, vel suum potius paroxysmum repetat, in clara quidem luce nondum posita est, maxime nihilominus in febribus intermittentibus vulgaribus sive stomachalibus ad discrepantem resolvendae ac transferendae materiae febrilis indolem, praecipuamque sedem primordialem, nec minus ad maiorem vel minorem ventriculi et intestinorum atoniam, in morbis hisce caussae materiali arcto utplurimum foedere iunctam, redundare videtur. Nam copiosa, crassa, ac viscida saburra, primam culinam obsidens, in febre quartana, quae prae reliquis refractaria reperitur, tenacissima est, acido rudi coagulante saepius referta, et difficillimae igitur resolutionis; in febre tertiana autem longe tenuior ac solubilior, corruptis tamen partibus biliosis valde remixta, et in quotidiana denique acido-mucida aut bilioso-acido-pituitosa tenuissima et maximae comparative solubilitatis deprehenditur: Hinc tantum huius fermenti impuri, quantum producendo novo paroxysmo sufficit, in quotidiana intra bre-

breviſſimum tempus ventriculi et inteſtinorum calore ac motu periſtaltico attenuatur, fluidumque factum ad maſſam humorum ſenſim deducitur. Hiſce accedit, quod atonia partium, chymificationi inſervientium, in quartana plerumque maxima, in tertiana autem et quotidiana relative minor exiſtat, et ventriculi proinde atque inteſtinorum actio in priori comparative languidior, in poſterioribus fortior inveniatur.

§. VII.

Prædictæ cauſſæ febrium intermittentium primariæ, impura nempe materia acido-pituitoſa, aut pituitoſo-bilioſa, aut acido-bilioſo-mucida, ut et maior vel minor ventriculi et inteſtinorum atonia nunquam ſponte naſcuntur, ſed natales ſuos variis cauſſis procatarcticis debent, quarum præcipuæ atque frequentiores ſunt alimenta craſſa, viſcida, muria condita, vel fumo aut aere exſiccata et indurata, iuſto inprimis copioſius ac crebrius adſumta, itemque terror, mœror, curæ, meditationes profundae nimiumque protractae, vita ſedentaria et maxime iracundia gravior, praeſertim paullo ante paſtum,

ſub

ſub paſtu, et ſtatim poſt eundem ſuperveniens. Notandum tamen, iracundiam magis tertianæ, reliqua autem magis quotidianæ et quartanæ geneſi favere, et cauſſarum quoque memoratarum aliam præ alia producendæ febri intermittenti aptiorem exiſtere.

§. VIII.

De prognoſi generali, propter differentiam febrium intermittentium ſpecificam, et diſcrepantem inprimis cauſſæ materialis genium, multa hoc loco addere ſuperſedeo, et dixiſſe ſaltim ſufficiat, febres haſce, etiamſi nonnunquam ſatis rebelles ſint, et ægrorum non minus, quam medentium patientiam per multas haud raro hebdomades, multosque menſes magnopere exerceant, vitæ tamen periculo vacare, ſi patientes ſcilicet decens præſcriptis diætæ regulis obſequium præſtent, et medicus pariter curationem provide inſtituat. Contrarium etenim evenire, ægrosque immorigeros aut impatientes in morbos alios, febre graviores, quorum uberior in ſequentibus fiet mentio, facillime, ſi motus febrilis, præſertim tempore autum-

 nali,

nali, intempestive cohibetur, praecipitari, frequens experientia testatur.

§. IX.

Perspecta caussa harum febrium materiali, ceu potissima turbarum in corpore genitrice, genuina quoque medendi methodus statim manifesta evadet, et practicus rationalis protinus videbit, totam curandi rationem in eo versari, ut 1) *saburra mucido-acris aut mucido biliosa, in primiis viis coacervata, per congrua et adaequata remedia resolvatur ac temperetur*, 2) *praeparata ac mobilis reddita per superiora postmodum aut inferiora educatur*, 3) *viscera imi ventris, simul haud raro in febribus hisce obstructa, aperiantur*, et 4) *solidis denique partibus, praesertim primae succi alibilis praeparationi inservientibus, robur amissum denuo restituatur.*

§. X.

Ad pharmaca, quae primae et simul quoque tertiae indicationi satisfaciunt, praeter notissima *terrea antacida*, modica reliquis quantitate addenda, *salina incidentia mediae naturae*, v. g. sal digestivum Sylvii, sal

ſal de Seignette, arcanum dupl., tartarus ſolubilis et tartariſatus, terra foliata tartari, ſal Ebshamenſe, Sedlizenſe et Carolinarum, et flores ſalis ammoniaci ſimplices, nec minus ſic dicta *ſalia fixa*, ex herba abſinthii, fumariæ, cardui benedicti, centaurii minoris et trifolii fibrini incineratione et elixiviatione parata, referri merentur. Egregie pariter allegatorum actionem mucidæque ſaburræ reſolutionem adiuvant mercurialia, acria, amara, balſamica et aromatica, v. g. mercurius dulcis rite pptus, radix ari, pimpinellæ albæ, ſcillæ, iridis Florentinæ, zedoariæ, galangæ, aniſum ſtellatum, ſemen ſantonicum, cuminum Aethiopicum, crocus orientalis, cortex caſcarillæ, cinnamomum, ſuccinum &c., ſub forma congrua uſurpata, nec minus mixturæ calidiores ex eſſ. abſinthii comp., diptamni albi, gentianæ rubræ, trifolii fibrini, millefolii, meliſſæ, flor. chamomillæ Rom., cort. citri, aurantiorum, caſcarillæ, gummi ammoniaci, benzoes &c., vel etiam temperatiores ex terra foliata tartari, aut floribus ſalis ammoniaci, aut tartaro ſolubili, et extracto angelicæ, cardui bened., ſcordii, cent. minor., fumariæ, trifolii fibrini,

chamomillæ vulg., ligni Guaiaci &c., cum vino Rhenano aut Mofellano paratæ, ut et pilulæ ex gummi ammoniaco depurato, et vix memoratis extractis amaris, nec minus electuaria et infufa vinofa eiusdem cum præcedentibus naturæ atque virtutis. Silentio etiam minime hoc loco *nitrofa* et *acidula*, v. g. nitrum depuratum, cremor tartari, fpiritus nitri ac falis dulcis &c. prætermittenda funt; quippe quæ in febribus tertianis, ubi demixta impuritas biliofa fimul temperari debet, neceffaria reperiuntur: Vt nihil de ipfo paroxyfmo febrili dicam, in quo nulla calidiora, fed, præter temperata ac leniter diapnoica diluentia, pulveres tantum ac potiunculæ ex abforbentibus, nitro, et aliis falibus neutris locum inveniunt.

§. XI.

Peracta fufficienti præparatione, quae pro faburrae febrilis copia, tenacitate, et acrimonia differenti, nunc citius, nunc tardius abfolvitur, de evacuatione, cui tempore alio *emetica*, alio *cathartica* aut faltim *laxantia* melius inferviunt, cogitandum, pofteaque labefactatum chymificationis et chyli-

ficationis

ficationis negotium per *roborantia* ad priſtinam integritatem reducendum eſt. Plurima horum roborantium ad amara, aromatica, balſamica, ſubadſtringentia, quin fortius adſtringentia pertinent, et maximam pridem partem in antecedente paragrapho allegata fuerunt, quare iteratam eorum recenſionem ſuperfluam eſſe ſatisque futurum exiſtimo, ſi nonnulla ſaltim de cortice Peruviano, ceu febrifugo celebratiſſimo, adiecerim. Duplici hic cortex principio activo, eoque fixo, altero ſcilicet terreo-reſinoſo, altero gummoſo-terreo inſtructus reperitur. Principia haec tam arcte invicem mixta ſunt, ut alterum ab altero perfecte purum ſeparari nequeat; quod parum tamen referre videtur, quum vires medicae in ſubſtantia utraque lateant. Subſtantia reſinoſo-terrea mixtionem maiori copia ingreditur, et ſeparata ſaporem amaricantem ac valde auſterum obtinet, hinc gummea etiam, quae remiſſiori ſtypticitate et paullo fortiori ex adverſo amaritie pollet, virtute adſtrictoria ſuperior, abſtergente autem ac vulgari roborante inferior eſt. Ad mixtas haſce vires abſtergentes, roborantes et ſatis valide adſtringentes ſpecifica virtus

antifebrills unice redit. Nam, cum magna ventriculi et inteſtinorum atonia, quod ex praemiſſis dudum conſtat, cauſſae materiali utplurimum complicata ſit, et in vulgaribus quoque febribus intermittentibus cauſſa exiſtat praecipua, ita ut, reſeratis etiam viſcerum obſtructionibus ſubinde connexis, et reſoluta pariter ac prorſus educta ſaburra olim genita, novæ quotidie impuritates febriles generentur, et paroxyſmi ideo iterum iterumque ſtato tempore recurrant, potentioribus quoque remediis, quae nonſolum abſtergendo et ſenſim ſenſimque roborando, ut amara et aromatica, ſed valide ſimul ad- et conſtringendo, ut cortex Peruvianus, operantur, nonnunquam opus eſt.

§. XII.

A febribus intermittentibus ſtomachalibus, hactenus quoad genium, cauſſas et curationem breviter expoſitis, *Febres ſanguineo-lymphaticæ*, quae, uti ſupra pridem dictum fuit, crebro epidemice graſſantur, et vernali inprimis tempore et adhuc ſaepius exeunte aeſtate et initio autumni exoriri conſueverunt, quoad multa recedunt. Non naſcun-

nascuntur enim a cruditatibus, sensim in prima culina collectis, aut citius interdum, graviori commisso delicto diaetetico, genitis, sed universali potius *sanguinis* et *lymphae muciditati ac spissitudini*, cui *copiosae* utplurimum *quisquiliae acres scorbutico-purpuratae*, nec raro etiam *obstructiones viscerum* ac *magna partium solidarum atonia* iunctae reperiuntur, suos natales debent; hinc iisdem subinde etiam febricula continua lentescens, quae, cessante paroxysmo, scenam suam ludere viresque patienti suffurari pergit, sese comitem adiungit, aut aestus, praegresso brevi ac moderato frigori succedens, tam fortis ac diuturnus est, ut novi paroxysmi recursus, propter brevissimam duntaxat interiectam quietem, vix annotari queat, ac tota igitur febris intermittens continuae non adeo dissimilis videatur. Interdum tamen dico, non semper: Nam alio tempore et apud alia subiecta horripilatio, aestus et reliqua symptomata, a symptomatibus, quae vulgares febres intermittentes comitantur, parum, tum ordinis, tum vehementiae, atque durationis intuitu, discrepant, et medicus proinde prorsum incertus foret, an eiusmodi fe-

bris intermittens, ſive quotidianæ, ſive tertianæ, ſive quartanæ typum obſervet, ſanguineo-lymphaticis, an vero ſtomachalibus accenſenda eſſet, niſi morbi frequentia, et maior utplurimum ac citior virium deiectio febris ſanguineo-lymphaticæ præſentiam quodammodo oſtenderent. Quemadmodum plura de hiſce ac præcedentibus in Diſſertatione noſtra, *de Febrium intermittentium vulgarium* et *epidemicarum differentia* anno 1751. habita, videri poterunt.

§. XIII.

Ad producendam ſenſimque humoribus ingenerandam prædictam dyſcraſiam mucidam et acrem ſcorbutico-purpuratam varii errores diætetici, circa quantitatem, qualitatem et modum adſumendi alimentorum commiſſi, nec minus iracundia, terror, mœror, curæ, meditationes nimiæ, vita ſedentaria, neglecta adſueta venæſectio periodica et ſimilia ſuum quidem ſymbolum conferre poſſunt, maxima nihilominus culpa ad vitioſam atmoſphæræ conſtitutionem et diuturnam inprimis aut frequentem aeris intemperiem humidam, ſimulque frigidam aut fri-

gidi-

gidiusculam, et repentinas atque creberrimas tempestatis siccæ ac calidæ in frigidam et humidam, vel humidam etiam, nebulosam, pluviosam, simulque tepidam, mutationes redundat. Caveat tamen medicus circumspectus, ne totam semper rationem in præsente duntaxat aut proxime prægressa aeris conditione quærat. Nam altius omnino sive e longinquo prima corruptelæ origo sæpissime petenda, nec momentanea semper, sed paullatina indicatæ dyscrasiæ genesis æstimanda est.

§. XIV.

Febres intermittentes sanguineo-lymphaticæ per se quidem patientibus, congrua scilicet observata diæta et prudenti accedente medela, rarissime necem inferunt, utplurimum tamen, præsertim tempore autumnali supervenientes, valde rebelles *a*) ac diutur-

a) BERNARDVS RAMAZZINVS, qui in *Operibus* suis multa notatu dignissima de febribus intermittentibus epidemicis proposuit, indolem hanc refractariam &c. suo pariter suffragio confirmavit: „Nam cæterum, *p.* 127. *scribit*, „nunquam visæ contumaciores febres ad reci-

næ ſunt, et ſublatæ etiam facillime iterum revertuntur. Nimium cæteroquin rigoroſe dicta neutiquam accipienda erunt: Nam experientia iterata me edocuit, ægros, febre eiusmodi tempore æſtivo correptos, ſanitatem ſubinde, poſt aliquot ſaltim pulverum reſolventium uſum, exſpectatione citius recuperaſſe, nec ullam quoque recidivam poſtea expertos eſſe.

§. XV.

Curandi ratio in febribus hiſce eo potiſſimum redit, ut humores craſſi, mucidi, tenaces reſolvantur, et mixtæ altiusque ſuccis naturalibus immerſæ quisquiliæ acres ſalinæ

„divandum magis pronæ, et quæ magis Medicorum induſtriam eluderent; ſiquidem nec repetitæ phlebotomiæ, nec purgationes, nec mille alexipharmaca, quæ pleno gutture, tanquam manus Deorum, receptariorum Chorus adeo celebrat, quicquam profuere. Immo obſervatum, citius ac tutius reſtitutos, quibus nec ſanguis detractus, nec purgantia exhibita, nec ullum aliud remedii genus adminiſtratum, toto ſalutis negotio Naturæ morborum Medicatrici commiſſo &c.

linae ſcorbutico-purpuratae contemperentur, poſteaque blande, ſenſim, et per apta organa, una cum reſolutis copioſis partibus mucidis, eiiciantur; unde generatim quoque medicamenta *incidentia*, *abſtergentia*, *diluentia*, *leniora diaphoretica* ac *diuretica* et *temperata roborantia* commendanda veniunt: Cuius cenſus v. g. ſunt pulveres ex abſorbente quodam, nitro depurato, ſalibus mediis, rad. iridis Florentinae, ari ppta, croco orientali, caſcarilla, ſulphure antimonii aurato optimo &c., potiunculae ex aquis deſtillatis diapnoicis et vix memoratis pulverulentis, mixturae leniores, ex terra foliata tartari, extracto chamomillae vulgaris, angelicae, ſcordii, centaurii minoris &c. cum vino paratae, tum ſibi relictae, tum etiam tincturae rhabarbari, eſſentiae gummi ammoniaci, pimpinellae albae &c. miſcela potentiores redditae, electuaria ex ſyrupo florum perſicorum, corticis citri, aurantiorum, extractis amaris, pulvere rhabarbari, rad. iridis Florent., ari, caſcarillae &c., pilulae ex gummi ammoniaco depurato, extracto trifolii fibrini, cardui benedicti, ligni Guaiaci, mercurio dulci rite ppto, ſulphure antimonii aurato tertiae praec., &c., infuſa theiformia

mia ex herba meliſſae citrariae, veronicae, flavedine corticis citri, ſem. fœniculi &c., ut et, loco potus ordinarii, praeſertim durante calore febrili, ptiſanae ex hordeo, avena, raſura cornu cervi, radice graminis arvenſis, ſcorzoneræ, glycyrrhizae &c. Circa laudata caeteroquin remedia probe adhuc notandum eſt, amara, balſamica, acria et quaevis calidiora parcius ac provide, praeſertim initio morbi aut febricula lenteſcente complicata, incidentibus ſalſis, diluentibus et temperantibus nitroſis, quae ſemper atque per totum morbi decurſum tuto exhiberi poſſunt, addenda aut interponenda, quin penitus ab uſu eorum in ipſo paroxyſmo abſtinendum eſſe, ne aeſtus nimium increſcat.

§. XVI.

Praeter laudata varia remedia praeparantia et evacuantia, utplurimum quoque *lenia laxantia* ex manna, rhabarbaro, foliis ſennae &c. conducunt; quod *phlebotomiam* vero attinet, illa, praeſente dudum febre intermittente epidemica, nihil emolumenti praeſtat, ſed vires magis deiicit, et ſalutares excretiones, quas natura per poros cutis, vias

vias urinarias et ſubinde etiam per alvum molitur, nonnihil turbat: Sin ante febris autem acceſſionem apud ſubiecta plethorica adminiſtrata fuerit, utilitate non penitus caruiſſe, exempla docuerunt. Rarius quoque in febribus hiſce *cortex Peruvianus* et ſic dicta *febrifuga* reliqua, quae potiſſimum adſtringendo operantur, locum inveniunt, dum magis pleramque nocent, quam proſunt. Conſentientem in hac parte antea allegatum RAMAZZINVM habeo, qui de Peruviani corticis uſu in febribus intermittentibus epidemicis ſequentia propoſuit *a*): „Maior „pars Medentium apud noſtrates, ut vulgi „calumniis et aſſiduis aegrorum querimoniis „ſe ſubducerent, in hac tempeſtate ad Pe„ruviani Corticis ſacram Anchoram confu„gere, at parum proſpere; nam in periculo„ſiores ſcopulos aegrotantes ſuos perſaepe „adduxere. Vſu febrifugi per aliquot dies „equidem ſub doloſo cinere latebat ignis, ve„rum poſtliminio violentior recandeſcebat. „Qui tamen peritiores erant, ac rebus aegro„tantium magis, quam propriae ambitioni con„ſultum volebant, *Nabant ſine cortice*.

CAP.

a) *L. c.*



CAP. XVI.

DE FEBRE ALGIDA.

§. I.

FEBRIS ALGIDA ſive *ſeroſo-lymphatica*, quam alibi etiam *Horripilationem idiopathicam* adpellavi, nihil aliud eſt, niſi vehemens motus univerſae maſſae lymphaticae reſolutorio-depuratorius, convulſiva tubulorum ſeroſo-lymphaticorum actione productus, adeoque citra aeſtum ſubſequentem continua ſaltim, vel ſubinde etiam per vices remittente ac redeunte, horripilatione abſolvendus.

§. II.

Ad morbos rariores febris algida ſpectat, ac valde a vulgaribus febribus, tam continuis, quam intermittentibus differt. In ordinariis enim febribus continuis univerſalis corporis horripilatio levis eſt, ac cito utplurimum tranſit, nec facile etiam in intermittentibus, in quibus tamen longe fortior, quam in continuis, deprehenditur, ultra duas, tres aut

aut quatuor horas protrahitur, eidemque semper aestus praeternaturalis remissior aut intensior cum variis novis symptomatibus succedit; in morbo praesente autem nullus plane calor praeternaturalis eandem sequitur, sed ista per totum morbi decursum primarium patientes sola adfligit, ita tamen, ut apud alia subiecta per breviora duntaxat aut longiora intervalla redeat, apud alia ex adverso, citra ullam remissionem plenariam, per unum alterumve diem, usque ad sudoris critici aut exanthematum eruptionem, perduret.

§. III.

Subinde hic adfectus, praesertim si febrium intermittentium vulgarium instar per ordinatos aut inordinatos paroxysmos aliquoties recurrat, tanto impetu supervenit, ut ipsius insultus epileptici saevitiem propemodum attingat; quemadmodum hoc ex casu singulari, quem in *Commercio litterario Norimbergensi* relatum legimus *a*), abunde patet: „Puella nimirum duodecim annorum „purpura aegrotabat, quae ex negligentia „parentum retrogressa per octiduum nullum „pro-

a) *Ann*, 1736, *p*. 256.

„produxit incommodum; tunc vero patiens, „aere pluvioſo magnam paſſa refrigeratio- „nem, brevi poſt corripiebatur horrore fe- „brili maximo, ſine ſubſequente tamen ca- „lore. Horror tres dies ab hora tertia po- „meridiana ad octavam usque veſpertinam „ægrotam afflixit, et tertia præprimis vice „ita notabilis et viſu horrendus fuit, ut non- „ſolum a duobus viris magni roboris omni vi „vix aut ne vix in lecto retineri potuerit, ſed „etiam ad aliquot horarum ſpatium muta ja- „cuerit, cæteris illæſis. Horrore medica- „mentis profligato, eruptio exanthematum „adeo enormis denuo eſt ſubſequuta, ut tota „cutis, a vertice ad calcem usque, corticis „inſtar aſpera, præprimis vero caput, pectus, „brachia cum manibus, valde tumida vehe- „menterque eroſa eſſent, cum perpetua ma- „teriæ ſeroſæ acris ſummeque fœtidæ, ut „etiam adſtantes non potuerint perferre pu- „torem, ſecretione dolorifica. Oculi erant „ex tumore fere clauſi, ex quibus itidem „continuo ſerum morſicans et mali odoris, „cum cruciatu, copioſe ſtillabat. Hæc per „menſem et ultra cum ſumma durarunt mo- „leſtia, donec medicamentis internis, abſor-

„bentibus,

„bentibus, blandam diaphoresin provocan-„tibus et sanguinem purificantibus, externis „vero abstergentibus continuatis, ægrotæ „tandem restitueretur sanitas. &c.

§. IV.

Facile quidem rarioris huius motus convulsivi invasio universalis et ingens nonnunquam atrocitas patientes ignaros et minus attentos quoque medicos decipere eoque perducere possunt, ut istum pro ipso insultu epileptico habeant: Verum enim vero, si rationalis practicus singula phænomena, in hac et epileptica affectione obvia, decenti scrutinio subiicere velit, differentiam sine difficultate inveniet. In epilepsia enim temporaria sensuum omnium, tam internorum, quam externorum, sufflaminatio adest, oculi torvi sunt, vel inordinate hinc inde moventur, dentes arctissime, absque stridore ac motu alternatim stringente et relaxante, coniunguntur, spuma ex ore protruditur, pollices in manus retrahuntur, et caput, brachia, pedes, totusque corporis truncus horrendo prorsus modo nunc antrorsum, nunc retrorsum, moventur; in hac contra horripilatione aliisque

febribus algidis ſenſus interni et externi integri permanent, aut leviſſimam ſaltim imminutionem patiuntur, oculorum motus naturalis eſt, nulla ſpuma ante os obſervatur, dentes, propter colliſionem et retractionem alternantem, ſtridorem excitant, ac totum corpus, citra ullam pollicum retractionem, concuſſione remiſſiori magisque æquali, immo interdum vehementiori tantum partium, præſertim externarum, tremore afficitur. Hiſce accedit, quod huic convulſionis ſpeciei ſemper maximum ægrisque moleſtiſſimum frigus coniunctum ſit, et vehemens præterea motus præternaturalis multo magis partes peripheriæ nervoſo-membranaceas, quam muſculoſas, exerceat.

§. V.

Ratio, cur horripilationem ac frigus in febribus vulgaribus et ſtricte ſic dictis ſemper maior vel minor æſtus præternaturalis ſubſequatur, in algidis vero nullus plane eidem ſuccedat, ad differentem heterogeneæ materiæ irritantis ſedem præcipue redundare videtur. Pro mea enim ſententia in prioribus materia peccans in vaſculis ſanguiferis maxime

me-hæret, in poſterioribus autem potiſſimam dudum partem ad canales lymphaticos translata eſt, et hoſce inprimis ſtimulis ſuis vexat: Vnde etiam fit, ut incipiente ac perſeverante vehementi, veloci, atque reciproca hac fibrarum contractione et relaxatione, non tantum lymphæ circulus ubique irregularis evadat, ac magis hinc inde minusve ſufflaminetur, ſed ipſius quoque ſanguinis influxus in tubulos capillares, præſertim cutaneos, impediatur, et hac igitur ratione materia caloris partibus, peripheriæ proximis, tamdiu ſubtrahatur, donec irritante impuritate reſoluta, confracta, et expulſa, ſimuli ceſſent, et decens circuli libertas ubivis redeat. Lubens cæteroquin largiar deſiderantibus, eminentiorem quoque materiæ ſtimulantis copiam atque acredinem ad horripilationis diuturnitatem ac vehementiam ſuum conferre ſymbolum. Ex ſupra enim recenſita morbi hiſtoria aliisque caſibus ſimillimis clare patet, ingentem ſemper materiæ heterogeneæ quantitatem in maſſa ſeroſo-lymphatica latitaſſe, eamque valde etiam acrem, quin pene cauſticam, fuiſſe.

§. VI.

Silentio pariter hoc loco minime prætermittendum erit, febres algidas homines iuniores, aut in vegeta tamen ætate adhuc conſtitutos, frequentius, quam ſenes invadere, et illos quoque ordinario vehementius, quam hoſce, adfligere. In iunioribus quippe ac vegetis ſubiectis partes corporis ſolidæ longe ſenſibiliores ſunt, et longe maiori utplurimum robore pollent, hinc irritatæ facilius in violentiores contractiones, reſolvendæ, excutiendæ, promovendæ et eliminandæ materiæ hoſtili aptas et adæquatas, ruunt; in ſenibus ex adverſo, ob naturæ torporem, roborisque neceſſarii defectum, ſeſe languide duntaxat contrahunt, et debili proinde preſſione ſua rariſſime impuritates, tubulis lymphaticis tenacius inhærentes, plene planeque exturbant: Vnde etiam haud mirandum eſt, quod apud illos eadem cauſſa materialis tantummodo morbos chronicos, ad dolores rheumaticos, cachexiam, hydropem intercutaneum, œdemata membrorum ſimilesque affectus redeuntes, provocet. Dictis experientia, quæ ſubiecta debilia atque debilitata facilius, quam robuſta, ſpasmis corripi docet,

haud

haudquaquam refragatur, quum hoc loco de universali tantum ac vivida quadam convulſione, minime vero de languidis ſtricturis ſpasmodicis ſermo ſit, et facili præterea negotio demonſtrari poſſit, quod febres vehementes et motus convulſivi inſolentiores ſæpius ſubiectis vegetis, ſenſibilibus atque robuſtis, quam debilibus ac torpidis, et chronici contra morbi remiſſioresque ſpasmi ſæpius hiſce, quam illis, ſuperveniant, et ſupervenire debeant: Quandoquidem noto etiam notius eſt, paullatinum ac naturale vis vitæ decrementum, ſicuti iſtud morbi varii, certæ ætatis hominibus magis familiares, abunde comprobant, primum plerumque in corporis peripheria minimisque vaſculis lymphaticis, deinde in canalibus ſanguiferis minoribus, tandemque maioribus, obſervari.

§. VII.

Quanquam horripilatio deſcripta, quam in algida febre obſervamus, patientibus moleſtiſſima ſit, et ipſis pariter adſtantibus, ſi diutius perduret, graviorque evadat, horrorem fere incutiat, certo nihilominus certius eſt, ad ſalutarem eandem naturæ medicatri-

cis remedia pertinere, quibus haud raro attenuandi, promovendi et eliminandi fine utitur, quando coacervatae et refractarie subsistentes impuritates scorbuticae, scabiosae et maxime purpuratae graves canalium obstructiones pariunt, certumque corpori, nisi tempestiva feratur medela, interitum minantur. Hinc semper quoque fit, ut salutarem hanc actionem, si obstructionibus tollendis adaequata fuerit, tandem, nunc citius, nunc tardius, larga sudoris, aut exanthematum aliarumque efflorescentiarum proruptio, quae turbis hisce denuo finem imponit, vel illas tamen confestim notabiliter minuit, sequatur.

§. VIII.

Clare ex praemissis patescere arbitror, primarium medici, curationem huius morbi suscepturi, officium esse, ut naturae succurrat, totamque igitur medendi methodum eo redire, ut materiam crassam viscidamque, tubulis lymphaticis tenacius inhaerentem, attenuet, acrem, rodentem, pungentem, ardentem aliove modo irritantem temperet, et tempestivam utriusque expulsionem adiuvet. Triplici autem huic scopo decocta tepide

hausta

hauſta ex hordeo, avena, raſura cornu cervi, eboris, radice graminis arvenſis, althææ, taraxaci, tuſſilaginis, glycyrrhizæ, cichorii, ſaponariæ, herba veronicæ, betonicæ, chamædryos nobilis, meliſſæ citrariæ, flavedine cort. citri, ſemine fœniculi &c., ſerum lactis, emulſiones ex aqua deſtillata ſcordii, flor. acaciæ, ſambuci, chærefolii, amygdalis dulcibus, ſemine cardui benedicti, cardui mariæ, aquilegiæ, pulvere rad. irid. Florentinæ, ſyrupo papaveris albi &c., nec minus potiunculæ ex aquis iisdem, terreis abſorbentibus, nitro aliisque ſalinis mediæ naturæ, croco orientali, pulvere caſcarillæ, ſulphure antimonii aurato optimo, &c., pulveres terreo-nitroſo-camphorati atque ſimilia inſerviunt, immo ſubinde potentiora quoque ac calidiora, mixturæ nimirum ex eſſ. ſcordii, helenii, angelicæ, caſcarillæ, theriacali, tinctura antimonii tartariſata, ſpiritu bezoardico Buſſii, liquore cornu cervi ſuccinato, aut anodyno minerali ſua ſeſe virtute commendant, dummodo adſumtioni eorum itidem largior diluentium tepidorum uſus iungatur aut interponatur. Probe præterea notari debet, procurata deterioris materiæ peccantis per ſudorem, aut

puſtularum, tuberculorum &c. efflorefcentiam eruptione, ab uſu expellentium mitiorum non ſtatim deſiſtendum, ſed iſtum ſub decenti regimine diætetico aliquamdiu adhuc protrahendum eſſe, ut, quicquid reſtat impuritatis, plene planeque educatur.



CAP. XVII.

DE AESTV VOLATICO.

§. I.

AESTVS VOLATICVS, quem recencentiores ſæpiſſime etiam, contra veterum tamen medicorum conſuetudinem, *Phlogoſin* (a *φλογόω*, *incendo*) appellant, ab æſtu febrili differt, ac nihil aliud eſt, niſi ſubitanea, ingrata, ac cito rurſus tranſiens univerſi corporis, vel faciei ſaltem, colli ac pectoris, aut, quanquam rarius, ſolius abdominis, aut præcordiorum ac hypochondriorum incaleſcentia, adfectæ partis rubore, pulſu velociori, inæquali, ac magno, et maiori utplurimum aut minori anxietate præcordiali, immo

mo vertigine aliquando, temulentia capitis, animi inquietudine, intumeſcentia conſpicua venarum colli ac temporum, reſpiratione difficiliori et palpitatione cordis ſtipata.

§. II.

Præcipue hoc pathema *a viſcerum aliarumque imi ventris partium obſtructione et inde identidem naſcente impetuoſa ſanguinis congeſtione verſus ſuperiora*, vel *ab abundantis aut ſpiſſi atque acris cruoris ſtagnatione, ac paſſim igitur ſufflaminato liberiori ac regulari progreſſu, eumque protinus excipiente fortiori globulorum attritu* oritur; hinc nonſolum ſymptoma frequens ſcorbuti, hecticæ, rheumatiſmi, paſſionis hypochondriacæ et hyſtericæ, anomali fluxus menſtrui atque hæmorrhoidalis, infarctus vaſorum hepatis, lienis, ac meſenterii &c. conſtituit, ſed, hiſce etiam morbis abſentibus, ſæpiſſime, dilata inprimis aut prorſus neglecta phlebotomiæ adminiſtratione, vel modice ſaltim adſumtis ſpirituoſis aliisque exagitantibus, apud plethoricos et cacochymicos, nec minus apud alios aliasque ſub flatuum adcumulatione et alvi ſiccitate, ſegnitie atque obſtipatione ſupervenire ſolet.

§. III.

Aeſtus volaticus, præſertim crebro recurrens, haud levem quidem moleſtiam patientibus creat, per ſe tamen atque directe nunquam illos in vitæ diſcrimen deducit, ſed meliora aut deteriora circa eum præſagia a meliori aut deteriori cauſſæ principalis genio dependent. Idem quoque de medela dicendum venit; quippe quæ, propter indicatam ingentem originis diverſitatem, admodum variat, nec ſola ſemper *venæſectione*, aut ſolo *nitri aliorumque temperantium* uſu abſolvitur, ſed plura ſæpius, eaque diſtincta, ac tollendo aut mitigando morbo primario ſpecifice dicata, remedia poſtulat.



CAP. XVIII.

DE SCORBVTO.

§. I.

SCORBVTVS, a Ruſſico vocabulo *Scorb*, quod, teſte STRAHLENBERGIO *a*), in genere *morbum* denotat, ita dictus, tam variis

a) *Hiſtoriſch-Geographiſche Beſchreibung des Nord- und Oſtlichen Theiles Ruſslandes.*

riis et tam pravis ſymptomatibus deprehenditur ſtipatus, ut rectius, præſertim adultior ac dudum ad gradum eminentiorem evectus, plurium morborum, natura diſtinctorum, congeries, quam ſimplex affectio, nuncupandus ſit.

§. II.

Practici igitur ſagaciores, ut difficultates, quibus diagnoſis huius morbi premitur, niſi tollant penitus, aliquantulum tamen minuant, tres gradus, ex complicatorum pathematum numero, genio, et atrocitate cognoſcendos, conſtituunt. Sub primo nimirum gradu, præter febriculam lentam, valde utplurimum erraticam, quam pulſus celer, parvus et durus, urina nunc pallide, nunc obſcure rubra, nunc plane fuſca, et phlogoſes frequentes produnt, varia gingivarum vitia, earum nempe pruritus, tumor, facillima cruentatio, ſugillationes, putredinoſam corruptelam cito ſubeuntes, et acrem fœtidamque ſaniem, ſanguine permixtam, effundentes, itemque aphthæ, eroſiones maxillarum, fœtor oris cadaveroſus, vacillatio quin ipſe caſus dentium, laſſitudo totius corporis, et maior inprimis aut minor artuum, præſertim crurum, imbecillitas ac gravitas notantur.

§. III

§. III.

Accedente poſtmodum gradu ſecundo, accedit oſſium crepitus, accedunt quoque tendinum in cruribus et ſubinde etiam brachiis contracturæ rigidiſſimæ, extenſionem motumque articuli affecti magis minusve impedientes et duro ſemper ac quaſi ſcirrhoſo tumore ſtipatæ. Cutis partium tumidarum ubivis cœrulea ſugillatione fœdatur, et interſperſis inſimul tuberculis puſtulisve miliaribus obſita conſpicitur. Nunquam hi tumores, qui in muſculis pariter, præſertim buccarum ac crurum, naſcuntur, in ſuppurationem abeunt, ſed magis paullatim magisque, niſi inviſibili interdum reſolutione inteſtina tollantur, indureſcunt, et tunc ad mortem usque, ſi ſuſcepta ſcilicet ſcorbuti curatio fauſto deſtituatur ſucceſſu, perdurant. Contracturis memoratis atque tumoribus dolores porro, maculæ et ulcera iunguntur. Dolores, arthritica, rheumatica, venerea tormina æmulantes, nunc mitiores, gravativi, tenſivi, vermiculares ſunt, nunc atrociſſimi pungentes, lancinantes, ardentes, oſtocopi, ſuamque ſævitiem non in brachiis ſolum ac genubus contractis ac tumidis exercent, ſed alias quoque articulationes

lationes aliasque partes, nucham v. g., ſpinam dorſi, lumbos, coxendicem, femora, malleolos, plantas pedum, manus, ac digitorum extrema, immo ventriculum et inteſtina invadunt, ac torquent. Maculæ latæ, quæ paſſim in cute generantur, et in collo, pectore, et muſculoſis brachiorum, femorum ac tibiarum partibus frequentius in conſpectum veniunt, colorem ſublividum, cœruleo-nigricantem, purpureum, aut ſaltim rubrum dilutiorem obtinent. Hæ poſtremæ, quæ valde utplurimum pruriginoſæ ſunt, et identidem evaneſcunt ac redeunt, ſerum tenue et acre transſudando emittunt, et, malo ingraveſcente, ſæpe ſæpius in ulcera fœdiſſima, carnem circumiectam ſenſim et interdum ſatis cito depaſcentia, curatu difficillima, degenerant. Subinde etiam partes brachiorum ac crurum carnoſæ gravi eryſipelate ſubito corripiuntur, nec raro pariter fit, ut huic inflammationi peſſima exulceratio ſuccedat.

§. IV.

Ingruente tandem tertio ac ſummo gradu, genuum vacillatio et allegatorum ſymptomatum quamplurima adhuc incrementa

ma-

maiora capiunt, gingivæ putridæ non minus, quam buccæ mirifice prorſus intumeſcunt ac gangrænoſæ evadunt, maxillæ carie corrumpuntur, in palato, faucibus et ipſa lingua ulcera cacoethica generantur, ſitis oritur intenſior, adpetitus plane deiicitur, et hydrops varius aut phthiſis pulmonalis, aut huius loco tanta dyſpnoea ſupervenit, ut patientes, quemadmodum hoc I. G. HENRICVS KRAMERVS ſæpiſſime obſervavit *a*), ſub motu leniſſimo in animi deliquia incidant, et ſubito nonnunquam inter eundum ſuffocentur. Depravationes partium internarum depravationibus partium externarum valde utplurimum reſpondent. In extinctis enim poſteaque diſſectis glandulæ meſeraicæ, pancreas, hepar, lien, aliaque viſcera graviſſime obſtructa, tumida, ſcirrhoſa, et exulcerata reperiuntur, immo pulmones ita quandoque cum pericardio, pleura et diaphragmate concreti cernuntur, ut reſpirationi amplius inſervire, motumque neceſſarium ſubire nequeant *b*).

§. V.

a) Vid. *Eiusd. Diſſ. epiſtolar.*, ut et *Commerc. litt. Norimb. ann. 1738. p. 116.*

b) Conf. *Memoir. de l' Acad. Royal. des Sciences ann. 1699.*

§. V.

Adductis symptomatibus plura molestissima et ominosa pathemata alia, minus tamen, quam illa, in hoc morbo diagnostica, addi merentur, largissimi nempe, tandemque penitus colliquativi sudores nocturni, paralyses, stupores, tremores et convulsiones partium, melancholia, somnolentia constans, aut pertinaces ac diuturnæ vigiliæ, cephalalgia immanis cum gravi scotomia, susurrus et tinnitus aurium, odontalgia, creberrima sputatio, constrictio gulæ cum deglutitionis difficultate, tussis inanis, hæmoptysis, exorbitantes narium hæmorrhagiæ, tremor et palpitatio cordis, coangustationes pectoris, dolores acutissimi in lateribus, sterno, et maxime circa cartilaginem ensiformem, cardialgia, nausea, vomitus, rugitus, frequentes ructus acidi, amari, nidorosi, inflationes hypochondriorum, murmura ventris, colica nunc mitior ac diuturna, nunc atrocissima convulsiva, dysenteria, fere perpetua, aut huius loco adstrictio alvi summe refractaria, cum tanta interdum strictura spasmodica, ut anus quasi introrsum trahatur, hæmorrhoides cæcæ valde torminosæ, et huius commatis sexcenta alia. Notari tamen

debet,

debet, nunquam hæc ipſa apud unum idemque ſubiectum coniunctim aut conſtanter obvia reperiri, ſed hæc iſtos, illa rurſus alios ægros ſcorbuticos longiori aut breviori tortura afficere.

§. VI.

Præter *magnam partium ſolidarum atoniam*, *univerſalis* atque *ingens* tam *ſanguinis*, quam *lymphæ depravatio* in hoc morbo obſervatur, et tanta inprimis eorum *muciditas* initio adeſt, ut vaſcula minora libere amplius ſubire ac permeare neſciant, ſed hinc inde ſubſiſtere et refractarias in viſceribus, organis ſe- et excretoriis cæterisque partibus corporis quamplurimis *obſtructiones*, unde uberrimus poſtmodum dolorum, tumorum, ſpasmorum, inflammationum, macularum &c. proventus explicari poteſt, producere cogantur. Copioſiſſimus ac tenaciſſimus hic mucus, qui ſanguinem, vena extractum, cruſta plane nonnunquam lardiformi obducit, in principio multis quidem *recrementis acribus ſalinis*, *ſalſæ*, *urinoſæ* et ſubinde etiam *acidæ naturæ*, refertus eſt, nondum tamen manifeſte putridus reperitur; malo autem creſcente et ad ſecundum ac tertium gradum evecto,

in-

insignem sub stasi sua diuturna *corruptionem putredinosam* contrahit, *salia* mixta indiscriminatim *alcalescere, acerrimamque indolem assumere* incipiunt, et tota igitur massa mucida sensim in *causticum liquamen* resolvitur.

§. VII.

Veterum medicorum plerique ac multi pariter neotericorum scorbutum in *frigidum* ac *calidum* distinxerunt, et priorem, qui homines, loca maritima, palustria, uliginosa simulque frigida incolentes, saepius corripere creditur, dyscrasiae humorum mucido-acidae, posteriorem vero, in tractibus humidis calidioribus frequentiorem, dyscrasiae mucido-alcalicae natales suos maxime debere, statuunt. Receptissimam hanc distinctionem ego penitus quidem reiicere nolo, eandem tamen, quum differentem solummodo cacochymiae gradum concernat, non adeo necessariam esse, arbitror. Nam scorbutus frigidus nihil sane aliud est, nisi scorbutus recentior ac mitior, in quo humores, sicuti dudum in antecedentibus dictum fuit, sola tantum, eaque ingenti, muciditate salso-urinosa, rarius salso-acida, laborant, et a sensibili putredinis labe adhuc immunes inveniuntur; calidus vero appel-

landus erit, quamprimum manifesta humorum, praesertim subsistentium, corruptio putredinosa supervenit, et salinae quisquiliae in universa succorum massa acerrimam naturam alcalico-urinosam nanciscuntur, adeoque complicata febricula lenta erratica, h. e., increscens per vices atque decrescens, itemque phlogoses et inflammationes notabilia augmenta capiunt. Certo caeteroquin certius est, scorbutum frigidum sive salino-mucosum in regionibus maritimis atque palustribus calidioribus, nec minus apud nautas, longiora in Indiam itinera suscipientes, celerrime in mucido-putridum seu calidum transire, immo hunc posteriorem persaepe sub diuturna aeris constitutione humida et calida protinus, nec antea observato priori, dispositos adoriri, quoniam mucus, tubulis minoribus tenacissime inhaerens, praesentibus indicatis similibusque circumstantiis, intra tempus brevissimum in putrilaginem degenerare solet.

§. VIII.

Inducendae praedictae partium solidarum atoniae sensimque simul ingenerandae acri, mucidae, ac putridae cacochymiae multa quidem, ad sex rerum nonnaturalium ac praeternatu-

naturalium classes spectántia, favent, præ reliquis nihilominus aer humidus, nebulosus, simulque frigidus nimium aut nimium calidus, vel corporum quoque putrescentium exhalationibus valde inquinatus, nec minus esculenta, concoctu difficilia, nimis salsa, muriatica, rancida ac putrida, defectus potus ac motus sufficientis, mœror, curæ, studia profundiora diu protracta, plus minus impedita exhalatio cutanea, et imminuta aut penitus suppressa excretio sanguinis menstrui et hæmorrhoidalis in censum caussarum procatarcticarum veniunt. Nec prætermittendæ etiam sunt sinistre tractatæ febres intermittentes, præsertim epidemicæ et quartanæ autumnales, itemque diarrhoeæ criticæ, stypticorum usu præmature cohibitæ; quippe quæ rebelles utplurimum viscerum obstructiones relinquunt, et propter hanc caussam et vi retentas copiosas impuritates mucido-acres, corruptelæ humorum scorbuticæ nisi semper prima, latiora tamen, fundamina ponunt.

§. IX.

Pro durationis ac vehementiæ discrepantia prognosis in hoc morbo admodum variat. Facilius enim curatur, quando nondum

ultra limites primi gradus progreſſum fecit, et ægri quoque, in vegeta adhuc ætate conſtituti, congruum diætæ regimen exacte obſervant; difficilius ex adverſo, quin difficillime profligatur, ſi pridem ad gradum ſecundum exaltatus radices altiores egerit, aut patientes, præſertim iam ſeniores, præſcriptas diætæ regulas ſpernant, et omnem denique medentis operam præſente tertio gradu eludit. Quoties eventum ſortitur ſalutarem, blanda utplurimum diarrhoea protractiori, vel fluxu hæmorrhoidali, aut menſtruo, vel diureſi critica, vel copioſa exanthematum purpuratorum eruptione, vel paullatina etiam diaphoreſi ſolvitur, aut tamen minuitur: Irrita autem quacunque medela, in phthiſin, uti ſupra pridem §pho 4. indicatum fuit, aut hydropem lentiori progreſſu degenerat, vel, apoplexia ſuperveniente, aut ſyncope graviori, aut ſuffocatione patientes ſubito extinguit.

§. X.

Curatio huius affectus duabus indicationibus generalibus, quarum altera *humorum emendationem* ac *depurationem*, altera *deiecti roboris reſtitutionem* concernit, maxime nititur. Medicamenta igitur, ad obtinendam pri-

primam indicationem neceſſaria, partim *evacuantia* partim *alterantia* ſunt. Inter priora tum *lenia laxantia* et *emetica*, ex pulpa tamarindorum, manna, rhabarbaro, foliis ſennæ, tartaro ſolubili, cremore tartari, ſale amaro Ebshamenſi ac Sedlizenſi, radice ipecacoanhae &c. paranda, ac ſaepius repetenda, tum *diuretica* ac *blanda diaphoretica*, quae ſpecifica inſimul alterandi virtute pollent, locum occupant; ad poſteriora autem varia, indole non minus, quam operatione diſtincta, *acria* nimirum, vulgo *antiſcorbutica* dicta, nec minus *amara*, *balſamica* et *aromatica* v. g. rad. ari, pimpinellae albae, raphani, armoraciae, ſcillae, iridis Florentinae, ariſtolochiae longae et rotundae, gentianae rubrae, trifolii fibrini, angelicae, herba cochleariae, naſturtii hortenſis et aquatici, folia, flores, et fructus cardamindi, hb. marrubii albi, ſcordii, trifolii fibr., hederae terreſtr., flores arnicae, ſummitates tenellæ pini et abietis, caſcarilla, cortex Winteranus verus, canella alba, lignum ſaſſafras, guaiacum, iuniperi, lentiſci, ſem. ſinapi, cochleariæ, baccæ iuniperi, lauri, gummi ammoniacum et ſimilia, ſub diverſa tamen forma, quam textura et uſus conſuetus determina-

minabunt, usurpata, nec minus ex *acidulo-balsamicorum* classe aqua picis liquidae *a*) referuntur, immo iisdem *salina* pariter *alcalinà, salsà, sulphurea, sulphureo-alcalia* et *mercurialia*, v. g. tinctura tartari, metallorum, antimonii acris et tartarisata, aqua calcis vivae, praesertim cum tinctura antimonii acri aut metallorum largius remixta, sulphur antimonii auratum tertiae praec., morsuli antimoniales KVNCKELII, mercurius dulcis *b*), flores salis ammoniaci simplices aliaque salina media, itemque aquae soteriae minerales Spadanae, Schwalbacenses, Egranae, Pyrmontanae, &c. addi merentur.

§. XI.

Medicamenta hactenus recensita, quod necessario monendum est, in sic dicto quidem scorbuto frigido, ubi humores, a putredinosa corruptione adhuc immunes, ingenti

a) C. GEORG. BERCKELEY *Nachricht von Theerwaßer*.

b) Circa usum mercurii dulcis in scorbuto practici dissentiunt, eumque alii plane nocivum iudicant, alii istum opem egregiam ferre contendunt. Quod me attinet, nec horum nec illorum sententiam simpliciter adprobare aut damnare audeo, sed utrique, sub certa tamen conditione, veri quidquam inesse, arbitror. Pro meo enim iudicio in scorbuto frigido mucoso, in quo nullae adhuc viscerum corruptiones adsunt, ob insignem resolvendi et irritandi virtutem conducit, in calido putredinoso autem nocet, et, observatione teste, exulcerationum incrementa promovet.

genti duntaxat muciditate atque lentore laborant, valde proficua reperiuntur, in calido autem ſive putrido promiſcue adhiberi nequeunt. Hic ipſe enim nulla amplius acria potentiora, nulla aromatica calidiora, nulla denique emetica et cathartica completa patitur, ſed, præter *laxantia* et *temperate balſamica*, præcipue *antiputredinoſa* atque *refrigerantia acidula*, cuius cenſus ſunt ſerum lactis, ſuccus citri atque limoniorum, aqua et ſacharo temperatus, infuſum acetoſæ et acetoſellæ recentis, cum ſero lactis paratum, ſpiritus ſalis rite dulcificatus, ſpiritus aceti, ſal acetoſellæ, cremor tartari &c., ad ſui curationem poſtulat.

§. XII.

Muciditate ac ſpiſſitudine humorum aliquantulum emendata, de reſtituendo partium ſolidarum robore protinus cogitandum eſt. Atonia enim perſeverante, nulla unquam curatio radicalis ſperanda eſt, ſed humores nonnihil reſoluti, interiecto brevi tempore, ad priſtinum vitium denuo relabuntur, ac ſenſim ſenſimque ipſius putredinis corruptela, funditus poſtmodum vix aut ne vix exſtirpanda, depravantur. Neceſſe itaque eſt, ut congruis alterantibus activà et adæquata *confortantia* addantur et interponantur: Activa, inquam, et adæquata confortantia; nam, licet multa quidem a Scri-

ptoribus ad hunc finem obtinendum cum elogiis recenſeantur, valde tamen dolendum eſt, quod pauciſſimorum effectus, propter refractarium morbi genium, voto et exſpectationi reſpondeat. Pro meo iudicio *auſteriuſculo-amara* et *auſteriuſculo-balſamica*, v. g. cortex Peruvianus, grana chermes, radix caryophyllatæ, tormentillæ, biſtortæ, terra Iaponica, cortices granatorum, aliaque auſtera, amaris atque balſamicis, vel ſubinde etiam acribus decenti quantitate nupta, præſtantiora ſunt, quoniam magis leni adſtrictione, quam commotione operationem ſuam abſolvunt.

§. XIII.

Curationi internæ, hactenus breviter deſcriptæ, externorum quoque medicaminum adplicatione, et exactiſſimo inprimis regimine diætetico ſubveniendum eſt. Remedia externa pro urgentium ſymptomatum varietate admodum quidem differunt, potiora tamen, frequentius ſcilicet in uſum trahenda, cum iis, quæ vulgo diſcutiendi fine in tumoribus et inflammationibus eryſipelaceis, vel abſtergendi, purificandi ac conſolidandi ſcopo in ulceribus ſordidis adhiberi ſolent, conveniunt: Nec negligi pariter debent, quæ alibi pridem contra ſtomacacem commendata fuerunt.

CAP.

* * * * * * * * * * * * * * * * * *

CAP. XIX.

DE LVE VENEREA.

§. I.

LVES VENEREA, alias etiam *Morbus Gallicus*, *Variola magna Hiſpanica*, *Malum Indicum*, *Malum Neapolitanum*, *Syphilis* &c. nuncupata, olim in Europa plane ignota, et, ſic cenſentibus Medicorum quamplurimis, anno demum milleſimo, quadringenteſimo ac nonageſimo tertio a militibus Hiſpanis, ex India occidentali reducibus, et lue hac, ibi locorum, uti traditur, paſſim endemia, infectis, cum aliis mercibus in Hiſpaniam translata, et mox quoque in obſidione Neapolitana Italis ac Gallis, et per hos poſtmodum reliquis gentibus per contagium communicata fuit. Sunt quidem inter Scriptores, qui morbum hunc Hippocratis pridem tempore Medicis cognitum fuiſſe contendunt; at, parum hanc ſententiam probabilem eſſe, arbitror.

§. II.

Diriſſima fœdiſſimaque hæc lues adeo contagioſa reperitur, ut miaſma virulentum non tantum per impurum concubitum venereum, uti plerumque fit, ſed facillime etiam per accubitum, ſudorem, halituum inſpirationem, oſcula, veſtimenta, lectos, po-

cula, cochlearia, cucurbitulas, fellas, ephippia, novaculas, &c. in corpora fana derivari, immo infantibus ab inquinatis parentibus in ipfo utero, et poftea pariter a nutricibus mediante lacte aut per pultes præmafticatas communicari queat: Vt nihil de ulcerum contactu dicam, quo incautæ inprimis obftetrices, impuris parturientibus opitulantes, nonnunquam infectas fuiffe, obfervationes teftantur.

§. III.

Multa ac varia, eaque peffima, pathemata præfentiam huius morbi, qui adultior factus *Scabiei malignæ* fpeciebus iure maximo accenferi meretur, produnt. Sub primo nimirum gradu vel in folis tantum partibus genitalibus, quibus fefe penetrans virus venereum fub impuro concubitu, ceu medio propagationis frequentiffimo, primum infinuavit, vel in hifce fimul ac faucibus, uvula, velo palatino, tonfillis aliisque oris glandulis tumores varii, excrefcentiæ, inflammationes et cacoethica fœtidaque ulcera, quæ in partibus pudendis et circa eas fub ulcufculorum venereorum, gonorrhoeæ, phimofis, paraphimofis, condylomatum, caruncularum, ficuum, tefticuli venerei ac bubonum nominibus nota funt, nafcuntur, et vox quoque, fi malum fauces dudum occupavit, magis paullatim minusve rancefcere incipit, dolores tamen capitis et artuum no-

cturni ægrum nondum torquent, nec ulla adhuc ossium caries adest. Accedente gradu secundo, accedunt insolentes dolores ostocopi nocturni, virus ossa spongiosiora narium, palati, ac passim quoque duriorum substantiam exteriorem atque epiphyses adgreditur, cariemque infert, et varias exostoses atque hyperostoses producit, dentes cum scabritie et vacillatione nigrescunt, fœtor oris increscit, pili excidunt, et tumores, inflammationes, atque maligna ulcera serpentia magno sæpius numero in superficie corporis generantur, viscera tamen adhuc illibata sunt, et ciborum itaque appetentia ac respiratio maximam plerumque partem integræ reperiuntur. Malo tandem ad summum usque gradum aucto, ulcera ubique latius atque profundius serpunt, caries ad medullam intimasque ossium cavitates progreditur, viscera corrumpuntur, respiratio valde difficilis evadit, adpetitus deiicitur, accedit febris lenta ac totum corpus exeso hinc inde cadaveri haud dissimile redditur.

§. IV.

Miasma venereum, quod post introitum suum humores lymphaticos coagulat, et hosce non minus, quam sanguinem atque pinguedinem magis paullatim corrumpit, solidasque partes inflammat, erodit atque corrodit, *materia subtilis, valde mobilis, exhalabi-*

labilis, et *acerrima oleoso-salina* eſt, et viſcidiori utplurimum ac facile adhærenti maſſæ lymphaticæ, ceu matrici, immerſa atque involuta reperitur: An ſingulare autem atque ſpecificum elementum eius ſalinum propius ad acidam, an alcalico-urinoſam naturam accedat, nondum in clara luce poſitum eſſe arbitror; id vero certius exiſtit, virus venereum partibus glanduloſis magis, quam reliquis, infeſtum eſſe, et pertinacius pariter ac copioſius in lympha atque pinguedine, quam in cruore, nidulari.

§. V.

Multo deterior hic morbus in regionibus calidis, ubi æſtu aeris intenſiori fermenti venerei acredo magis exaltatur, et putredinoſa quoque humorum corruptio citius promovetur, quam in frigidioribus ac temperatis, deprehenditur, et difficilius etiam apud ſubiecta antea dudum cacochymica atque ſcorbutica, quam apud reliqua, purioribus ante infectionem humoribus prædita, curatur, ſuppoſito ſcilicet eodem morbi gradu, ad quem apud ægros huius cenſus quoscunque et ubivis locorum præcipue reſpiciendum eſt, quoniam felix aut infelix eventus et facilior aut difficilior medelæ ſucceſſus ab eo potiſſimam partem dependent. Lues enim venerea primi gradus raro ſalivationem mercurialem ad ſui curationem poſtulat, ſed ſolis perſæpe cathar-

ticis

ticis et ſpecificis ſanguinem purificantibus perfecte tollitur: Gradus ſecundus plus medentibus negotii faceſſit, nec ulla unquam ſanatio perfecta in eo citra ſalivationem mercurialem exſpectanda eſt, et in tertio denique ac ſummo gradu, nulla amplius ſanitatis recuperandæ ſpes ſupereſt, ſed patiens, propter viſcerum corruptionem, quæ uſum ſalivationis penitus interdicit, hecticus evadit, et poſt multas ærumnas certiſſime atque miſerrime perit.

§. VI.

Modus procedendi et potiora pharmaca, quæ ſanando morbo Gallico recentiori ac nondum ultra limites primi gradus evecto, congrua non minus, quam ſæpe etiam adæquata reperiuntur, in antecedentibus pridem, Cap. de *Gonorrhoea*, *Phimoſi*, ac *Paraphimoſi*, expoſita fuerunt; quare illa hoc loco rurſus repetere nolo, ſed paucis ſaltim monebo, largius illa in lue completa, quam in ſolitario duntaxat eiusdem affectu ſymptomatico uſurpanda, nec ſpecialem quoque eorum ſymptomatum medelam, quorum cura alibi in hoc opuſculo nondum tradita legitur, *ficuum* ſcilicet ſive *mariſcarum*, circa anum ordinario excreſcentium, *caruncularum urethræ* ac *condylomatum glandis* omittendam eſſe. Eadem autem hæ excreſcentiæ remedia externa, *cathæretica* ſcilicet ex unguento Aegyptiaco, aut melle roſa-

roſarum, aut oleo amygdalarum dulcium cum mercurio præc. rubro, aut alumine uſto, aut mercurio dulci et tutia præparata &c. deſiderant, quæ ficubus et condylomatibus inungi, carunculis vero urethræ cum bacillo flexili ceraceo, cuius ſummitati pauxillum imponitur, applicari poſſunt.

§. VII.

Purificantibus memoratis poſt uſum temporarium vel nihil omnino proficientibus, vel malo tamen radicitus exſtirpando imparibus, ſine mora, niſi ætas forſan nimis tenera, aut aliæ circumſtantiæ obſtent, ad *Curam ſalivalem internam* aut *externam*, cuius ſpecialem adornandi methodum omnes propemodum ac ſinguli, qui de Morbis venereis peculiares Tractatus ediderunt, uberrime deſcripſerunt, confugiendum eſt. Pro meo cæteroquin iudicio cura ſalivalis externa, mercurii currentis, recenti pinguedine ſuilla ſubacti, inunctione peragenda, curæ internæ, larga mercurii dulcis adſumtione primario abſolvendæ, ſemper præferri meretur, quoniam ſub ea non tam facile, quam ſub interna, intempeſtiva catharſis, quæ ſalivæ fluxum impedit, ſupervenire ſolet.



INDEX



INDEX SPECIALIOR.

De-

Fra-

Ob-



Cor-

Corrigenda.

Pag. 19 *lin.* 12 *pro* tumomoribus *lege* tumoribus.
- 25 - 6 - vahementi - vehementi.
- - - *ultima* - multo - multa.
- 29 - 9 - istæ, ut - ut istæ.
- 31 - 16 - paracenthesi - paracentesi.

Idem orthographiæ vitium, quod (nescio quo fato) sæpius irrepsit, etiam *pag.* 40. *lin.* 4. et 10. p. 47. *lin.* 3., *pag.* 49. *lin.* 10. et alibi emendandum est.

- 40 - 13. et *pag.* 57. *lin. ult. pro* catharctica *lege* cathartica.
- 62 - *ultima pro* externæ *lege* externo *et pro* internæ *lege* interno.
- 69 - 19 - solum - solam.
- 71 - 11 - catharcticis - catharticis.
- 169 - *ult.* - inflammatis - inflammantis.
- 200 - 8 *post vocab.* Hospitium suum *adde* hi vermes.
- 221 - 22 *pro* ecandescentia *lege* excandescentia.
- 224 - 15 - humorem - humorum.
- 251 - 14 - Carolinaram - Carolinarum.
- 326 - 19 - ἴχω - ἴσχω vel ἴσχω.
- 328 - 21 - tatem - talem.
- 369 - 15 - Ὀχεὸς - Ὀσχεὸς vel Ὀσχεὸς.
- 446 - 8 - optimi - optima.
- 490 - 18 - ineremento - incremento.
- 501 - 19 - PONPARTIO - POUPARTIO.
- 502 - 19 - oriundus - oriunda.
- - - 17 - qui - quæ.
- 524 - 19 *post* sic *adde* SYDENHAMIUS.
- 550 - 24 *post* myrrha genuina, *adde* Elixiria e vino generoso.
- 551 - 7 *pro* remixtæ *lege* remixta.
- 600 - 12 - quavis - quovis.
- 615 - 18 - dimidium - dimidiam.
- 630 - 12 - exulari - exulare.
- 651 - 12 - retroagantur - retroaguntur.

Pag.

Corrigenda.

Pag. 673	*lin.* *ult.*		*pro*	metuendam	*lege*	metuendum.
- 739	-	15	-	ſimuli	-	ſtimuli.
- 762	-	30	-	rancefcere	-	raucefcere.

Erratis hiſce, in ſecundo hoc Tomo paſſim obviis, ſequentia, quæ adhuc in Tomo primo reperta ibidemque nondum annotata fuerunt, hoc pariter loco ſubiungenda duxi, nimirum:

Pag. 255 *lin.* 3 *pro* inciſione *lege* inciſioni.
- 286 - 13 - meandros - mæandros.
- 370 - 15 - νόσος - νόςος.
- 431 - 8 - catharctica - cathartica.
- 439 - 10 - ut - et.
- 443 - 14 - obſuritas - obſcuritas.
- 481 - 7 - concinomata - carcinomata.
- - - 10 - ſpiriru - ſpiritu.
- - - 15 - et ſolutio mercurii ſublimati tenuiſſima *lege* cum ſolutione mercurii ſublimati tenuiſſima mixta.
- 506 - 6 - Siagonogra - Siagonagra.
- 528 - 2 - permittet - permittat.
- 554 - 3 - tanto - tanta.
- 574 - 15 - paracentheſi - paracenteſi.
- 576 - 14 - paracentheſin - paracenteſin.
- - - 15 - a ſupremis - ab infimis.
- 613 - 2 - catharcticorum - catharticorum.
- 695 - 18 - largius - parcius.

9 ₶ en 2 vol.

2 vols.



